

7/7/1982


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATURAE CURIOSORUM
J. G. Pintz. sc.

ACTA
PHYSICO - MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO - CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM
EXHIBENTIA
EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIAE ET EXTERARUM REGIONUM *VIRIS*
HABITA ET COMMUNICATA SINGULARI STUDIO COLLECTA
VOLUMEN SEPTIMUM
CUM APPENDICE.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAR. MAJESTATIS

NORIMBERGÆ
Impensis B. W. M. ENDTERI CONSORTIUM,
ET VID. B. JUL. ARNOLD. ENGELBRECHTI.
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCXLIV.


HISTORY



SACRATISSIMO
POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO

CAROLO VII

ELECTO ROMANORVM

IMPERATORI

PIO FELICI SEMPER AVGVSTO



GERMANIAE AC BOHEMIAE

REGI

BAVARIAE SUPERIORIS ET INFERIORIS

UT ET PALATINATUS SUPERIORIS

DUCI

COMITI PALATINO AD RHENVM

ARCHIDUCI AUSTRIAE

SACRI ROMANO-GERMANICI IMPERII

ELECTORI

LANDGRAVIO LEUCHTENBERGICO

CETERA

IMPERATORI, REGI

ET DOMINO SUO

DOMINO LONGE OMNIUM CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME
IMPERATOR.

Innata TIBI, SACRATISSIME CÆSAR, clementia, nobilis illa virtus, ſine qua reliquæ Principum dotes nihil habe-

habere possunt solidi, neque perfecti, præcipue autem ineffabilis TUA in assiduos quoscunque Musarum cultores propensio, quam nunquam universus orbis literatus immortali laude satis valebit deprædicare, quaque TIBI, OPTIME IMPERATOR, ad subiectissimum cultum atque venerationem peculiariter obstrinxisti nostram academiam, hortatur nos, ut audeamus, novam hancce observationum physico-medicarum collectionem ad pedes TVOS humillime deponere, & AUGU-

STIS-

STISSIMO NOMINI TUO demiſſiſſime inſcribere.

Magnæ quidem, fatemur, eſt audaciæ, a SUMMO MONARCHA petere, ut in tam immenſa rerum gubernandarum mole, quam IPSE Solus humeris ſuis ſuſtinet, ab arduis & graviſſimis belli pacisque negotiis ad Muſarum curas deſcendat. Dum autem, CLEMENTISSIME IMPERATOR, gratiſſima pariter ac devotiſſima mente nobiſcum recordamur, quam

incredibili benignitate ac munificentia, inter auſpicatiſſimi Imperii TUI initia, in excelſiſſimum patrocinium TUUM ſuſceperis academiam noſtram; quanta tunc IMPERATORII vultus ſerenitate præſidem atque directorem, quos ſplendido Archiatrorum TUORUM titulo exornaſti, Auguſtalem MAJESTATIS TUÆ thronum ſupplici adoratione appropinquantes intueri, CÆSAREAE que TUAE voluntatis radios in ipſos gratioſiſſime diffundere dignatus

tus ſis, quum TIBI, IMPERATOR MAXIME, ſextum ephemeridum noſtrarum volumen, ceu cultus noſtri ſubjectiſſimi primitias, humillime offerrent; quam clementer & liberaliter privilegia, quæ a DIVO LEOPOLDO, Auguſtiſſimo Societatis noſtræ *nunquam otioſæ* Statore, nobis olim benignisſime fuerunt impertita, ſumma TUA Auctoritate confirmaveris, extenſeris, auxeris: læta ac venerabunda tam inſignium a TUA, CÆSAR AUGUSTISSIME, clementia in

nos collatorum benefacto-
rum recordatio, noſtram mi-
rabiliter auget fiduciam, effi-
citque, ut ab omni ſoli-
citudine liberati, SERENISSIMO
NUMINI TUO hoſce qualescun-
que ingenii & induſtriæ noſtræ
fructus ſubjectisſime conſecrare
non amplius vereamur. Siqui-
dem divinæ providentiæ acce-
ptum referre debemus, quod
TE, SACRATISSIME IMPERATOR,
eo ipſo tempore ad clavum ſum-
mi dominatus admovere volue-
rit, quo atrocisſimæ bellorum
tem-

tempeſtates in omnibus fere Europæ regionibus ſævientes, Argonavi noſtræ naufragium minari videbantur. Ubi enim in tam turbulento rerum ſtatu exoptatius invenire potuiſſet refugium, quam in TANTI PRINCIPIS clementia, qui tantum reliquos orbis terrarum Principes, quantum Apollo univerſam Muſarum cohortem, ſapientiæ ac virtutum lumine antecellit.

Sufficiat nobis, IMPERANTIUM MAXIME, ex innumerabili

virtutum TUARUM ſerie eas ſaltem obiter tetigiſſe, quarum ſuaviſſimis ornamentis noſtra ſeſe hactenus Academia uberrime ſenſit illuſtratam atque recreatam. Ampliſſimum interea laudum TUARUM virtutumque heroicarum campum, venerabili ſilentio admiramur, Deumque Omnipotentem ſupplices precamur, ut TIBI, AUGUSTISSIME IMPERATOR, valetudinem tribuat nullis unquam morborum moleſtiis agitatam, ut annos virtutibus ac meritis

ritis TUIS aequet, ut non modo diuturnum, ſed & tranquillum TIBI concedat imperium, ut AUGUSTAM eamque HEROICAM FAMILIAM TUAM in ſubjectorum populorum ſpem atque ſolatium diutisſime ſoſpitet, ut per TE mox auream Germaniae totique Europae pacem reddat; tandem, ut omnia felicitatum genera, quibus unquam Principes ſibi dilectos beavit, TIBI affatim contingere jubeat! Ita vale, et, ſi hoc addere fas eſt, conatus noſtros gratia TUA munificentiſ-

ſima

ſima complecti ne dedignare,
Haec ſunt vota, quae pio animo nuncupare ſtudent

SACRAE CAESAREAE

MAJESTATIS VESTRAE

humillimo obſequio devotiſſimi

Præſes, Director, Adjuncti & Collegæ Academiæ Naturæ Curioſorum.

PRÆ-



PRAEFATIO.

Dum ea, quæ nobis præfanda ſunt, meditamur argumenta, triſtis ante omnia noſtras ſubit mentes jacturæ haut ita pridem factæ recordatio. *Rerum* quidem *irrecuperabilium optimam ex oblivione peti medicinam*, in vulgare conſtat abiiſſe proverbium. Magnum vero & incredibilem animi noſtri dolorem oblivionis remedio levare, tam difficile atque impoſſibile, quam impium & ingratum foret. Grata potius ac ſempiterna cohoneſtamus memoria beatos manes ILLUSTRIS quondam DIRECTORIS Academiæ noſtræ τȣ̃ χαριεςάτȣ WIDMANNI

)( )(MANNI

MANNI, rebus humanis, eheu! mature nimis erepti. Hujus enim CELEBERRIMI VIRI obitum tanto majori luctu atque mœrore prosequimur, quo præstantiora ILLIUS in nos extiterant merita; quo rariorem VIR SPECTATISSIMUS humanitatem cum exquisita eruditione conjunxerat; quo denique prudentiori industria quaslibet officii sui partes impleverat. Speramus interim fore, ut vacans Directorium munus, de quo sustinendo jam jam fuit inter nos deliberatum, ab alio proxime suscipiatur Academiæ nostræ Collega, in medio Imperii gremio degente, omnibusque illis, quas olim in Widmanno admirati sumus, dotibus egregie exornato. Sic tandem (si Deo placuerit, nova avertere mala) nihil amplius nostris defuturum credimus commodis. In hoc autem nobis præcipue gratulamur, quod ILLUSTRISSIMUM atque EXCELLENTISSIMUM DOMINUM, DOMINUM JOANNEM GEORGIUM JOSEPHUM, COMITEM DE KOENIGSFELD, S. R. I. VICE - CANCELLARIUM cet. cet. inter Naturæ Curiosos numerare, EVNDEMque, tanquam

quam gratiosum Chori nostri Ducem atque Patronum, sub agnomine APPOLLINIS MUSAGETÆ venerari nobis liceat. Quantum enim ex TANTI MAECENATIS favore, emolumenti; quantum, ex ILLIUS singulari in literarum studia amore, prosperitatis nostra sibi polliceri debeat Academia, iis præsertim nobiscum damus expendendum, qui nobis jucundissimæ hujus sortis voluptatem non invident.

Quod vero ad præsens Actorum nostrorum volumen attinet, neque necessarium esse arbitramur, neque præfatiunculæ permittit angustia, ut Tibi, Benevole ac Erudite Lector, prolixe exponamus, quantum vel utilitatis, vel oblectamenti exinde colligere possis. Loquantur ipsa scripta de valore suo. Quodsi autem forte non omnia apud omnes æqualem invenerint applausum, liberum cuique relinquemus, quid de singulis statuere, quid eligere, quidve reprobare velit; maxime contenti, si septimum hoc Volumen pari cum antecedentibus sorte fruatur, atque non minorem in orbe literato nanciscatur approba-

tionem. Optaremus equidem, ut ex Honoratissimorum Dnn. Collegarum numero illi frequentiorem nobis exhiberent obſervationum ſuarum copiam, qui ad easdem eleganter & concinne elaborandas maxime forent idonei. Proximis vero annis eosdem ad penſa ſeſe revocaturos eſſe, plane confidimus. Quod reliquum eſt, Benevolo ac Erudito Lectori inſtitutum noſtrum de meliori commendamus.



I.

Continuatio
CATALOGI
Dnn. Collegarum Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum,

Anno 1741. & 1742. in eandem receptorum.

Anno 1741.

Ordo Receptionis.

513. Dn. D. *Salentinus Eugenius* COHAUSEN, Archidiœceseos Trevirensis Proto-Physicus, Præsidii Electoral. Medicus & Poliater Confluentinus. *Cleombrotus II.*

514. Dn. D. *Joannes Philippus* BURGGRAVE, Eminentiss. ac Celsiss. Principis Electoris Moguntini Archiater & Poliater Francofurtens. ad Mœnum. *Serenus II.*

515. Dn. D. *Joannes Wolffgang Fridericus* BOENNEKEN, Sereniss. Principis de Lœwenstein-Wertheim Consiliar. aulicus & Archiater, Practicus Wertheimensis. *Bassus II.*

516. Dn. D. *Michael* ADELBULNER, Phys. & Mathem. Prof. P. O. in Universitate Altorfina. *Aristarchus Samius.*

517. Dn. D. *Joannes Gerardus* WAGNER, Practicus Lubecensis. *Silimachus II.*

518. Dn. D. *Carolus Philippus* GESNER, Illustriss. Comitis de SAPIEHA, Ducatus Lithuaniæ Magni Cancellarii, Archiater. *Demosthenes II.*

Ordo Receptionis.

519. Dn. D. *Guilielmus Ferdinandus Ernestus* KERMANN, Practicus Heidelbergensis. *Crito II.*

520. Dn. D. *Christophorus Conradus* SICELIUS, Practicus Nordhusanus. *Dorotheus II.*

Anno 1742.

521. Dn. D. *Joannes Martinus* BREHM, Reg. Suec. & Hassiacus itemque Ducalis Hildburghusanus Medicus respective aulicus & provincialis, Practicus Smalcaldiensis. *Sethus II.*

522. Dn. D. *Joannes Fridericus* CRELLIUS, Anatomiæ, Physiolog. & Pharmaciæ Prof. Publ. Ordinar. in Academia Helmstadiensi. *Sostratus III.*

523. Dn. D. *Christianus Gottlieb* FREGE, Practicus Lipsiensis. *Idmon II.*

524. Dn. D. *Joannes Thomas* DEGENHARD, Liberæ ac Regiæ Civitatis Sopronienſis Physicus primarius. *Diodorus II.*

525. Dn. D. *Joannes Georgius* LOECHL, Sac. Cæsar. Majest. Consiliar. & Medicus Cubicularis, utriusque Nosocomii aulici SS. Josephi & Elisabethæ Physicus. *Menecrates.*

526. Illustrissimus ac Excellentissimus Dn. Dn. *Joannes Georgius Josephus*, Comes de KOENIGSFELD, S. R. I. Vice-Cancellarius, cet. cet. tanquam Patronus & Dux Chori nostri receptus fuit d. 13. Aug. cum agnomine APOLLINIS *Musagetæ.*

527. Dn. D. *Ernestus Gotthold* STRUVE, Augustiss. ac Sereniss. Magni Ducis Russiæ & regnantis Ducis Holsatiæ Consiliar. Status & Archiater, nec non Professor Medi-

Ordo
Receptionis.

Medicinæ ordinar. in Academia Kiloniensi. *Euphorbus II.*

528. Dn. D. *Joannes Martinus* WOLFF, Physicus adjunctus Suinfurtensis. *Cleon II.*

529. Dn. D. *Henricus Augustus* GERLACH, Practicus Hamburgensis. *Gesius II.*

530. Dn. D. *Joannes Daniel de* PERLICI, Nobilis Hungariæ, Inclyti Comitatus Neogradiensis in Hungaria Physicus ordinar. & Societat. Reg. Boruss. Scientiar. Sodalis. *Archimedes IV.*

II.

CATALOGUS

Dominorum Collegarum hujus Academiæ, hactenus, quousque quidem nobis constat, demortuorum.

Ordo
Receptionis.

225. Dn. D. *Fridericus* HOFFMANN, Serenissimo Borussiæ Regi a Consiliis sanctioribus & salutis tutela, Comes Palatinus Cæsareus, Medicinæ Prof. Publ. Primarius totiusque Academiæ Halensis Senior, Academiæ Imperialis Petropolitanæ, Regiarum etiam Societatum Londinensis & Berolinensis Sodalis, † d. 12. Novembr. 1742. ann. ætat. 83.

Memoria Ejus extat in Appendice hujus Voluminis *pag. 269. sqq.*

329. Dn. D. *Joannes Wilhelmus* WIDMANN, Sacr. Cæsar. Majest. Consiliar. Archiater & Comes Palatin. S. R. I. Nobilis, DIRECTOR Ephemeridum Academ. Imperial. Naturæ Curiosor. & Reipubl. Norimbergens. Physicus Senior, † d. 16. Junii 1743. ann. ætat. 54.

380.

Ordo
Receptionis.

380. Dn. *Joannes Leonhardus* FRISCH, Rector Gymnasii Berolinensis, & Regiæ Societat. ibidem Director in Classe Historico-Philologico-Germanica, † d. 21. Mart. 1743. ann. ætat. 77.

406. Dn. D. *Joannes Fridericus* HENCKEL, Sereniss. ac Potentiss. Reg. Polon. & Elector. Saxon. Consiliar. rerum metallicar. Academ. Imperial. Nat. Cur. ADJUNCTUS, † Mens. Januar. 1744.

419. Dn. *Georgius Fridericus* RICHTER, Philosoph. moral. & Polit. Prof. Publ. & Facultat. Philos. Adsessor. in Academ. Lipsiensi, † d. 23. Junii 1742. ann. ætat. 51.

420. Dn. *Joannes* ANDERSON, J. U. D. Reipubl. Hamburgens. Consul Senior, & Consilii bellici Præses, † d. 3. Maji 1743. ann. ætat. 70.

429. Dn. D. *Hermann. Frideric.* TEICHMEYER, Sereniss. Ducis Saxo-Isenacens. Consiliar. aul. & Archiater, Anatom. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. in Academ. Jenensi, Societat. Reg. Scientiar. Berolin. Sodalis, † d. 6. Februar. 1744.

449. Dn. D. *Gerardus* TABOR, Medic. Prof. Publ. ordinar. in Academ. Giessena, Consiliar. & Archiat. Hassiacus, dictæque civitatis ac præsidii in ea militaris Medicus ordinarius, † Mens. Junio 1742. ann. ætat. 47.

460. Dn. D. *Joannes Jacobus von* DOEBELN, Med. Prof. Publ. in Academia Lundinensi Scanorum, Collegii academici Senior, Regii Collegii medici Holmiensis Adsessor & Regiæ Upsaliens. Societat. Scientiar. Sodalis, † M. 1743. ætat. 69.

527. Dn. D. *Ernestus Gotthold* STRUVE, Augustiss. ac Sereniss. Magni Ducis Russiæ & regnantis Ducis Holsatiæ Consiliar. Status & Archiater, nec non Prof. Medic. ordinar. in Academia Kiloniensi, † d. 21. Novembr. 1743.

III.

III.

CATALOGUS

alphabeticus

Excellentissimorum Virorum, qui pro VII. hoc Volumine Observationes physico-medicas communicarunt.

 Dn. M.

Dn. M. *Bonifacius Henricus* EHRENBERGER, Mathes. & Metaphys. Prof. Publ. in illustri Gymnasio Coburgensi & Alumnor. Inspector, Acad. N. C. *Euclides III.* *pag.* 145. & 305.

Dn. D. *Christianus Gottlieb* FREGE, Practicus Lipsiensis, Acad. N. C. *Idmon II.* *pag.* 343. & 484.

Dn. D. *Joannes Hermannus* FüRSTENAU, Prof. Medicinæ primarius & Oeconomiæ ordinarius in Academia Rintelensi. *pag* 32. 98. & 390.

Dn. D. *Carolus Philippus* GESNER, Illustriss. Comitis de *Sapieha*, Magni Ducatus Lithuaniæ Magni Cancellarii, Archiater, Acad. N. C. *Demosthenes II.* *pag.* 79.

Dn. D. *Joannes* GRASHUIS, Med. Pract. Amstelodamensis. Acad. N. C. *Mantias II.* *pag.* 408.

Dn. D. *Tobias Henr.* HAEHNE, Physicus Leoberg. Siles. Acad. N. C. *Hygienus II.* *pag.* 45.

Dn. D. *Laurentius* HEISTER, Sereniss. Brunsuicensis & Lüneburg. Ducis Consiliar. aulicus & Archiater, Medicinæ, Chirurg. & Botan. Prof. Publ. in Academ. Helmstadiensi, Regiar. Londinens. & Berolinens. Societat. Scientiar. Sodalis, Acad. N. C. *Sostratus I.* *pag.* 86. & 272.

Dn. D. *Carolus Frider.* HUNDERTMARK, Practicus Lipsiensis, Acad. N. C. *Hesperus II.* *Append. pag. 95. sqq.*

Dn. Lic. *Christian. Frider.* JOERDENS, Physicus ordinarius & Scholarcha illustr. Gymnasii Curiensis in Variscia, Acad. N. C. *Micon.* *pag.* 371.

Dn. D. *Gottlieb Henricus* KANNEGIESSER, Medic. Prof. Publ. in Academia Kiloniensi, Acad. N. C. *Telamon II.* *pag.* 36. & 108.

Dn. D. *Joannes Elias* KIRCH, Liberæ Civitatis Imperialis Suinfurtensis Physicus ordinarius. Acad. N. C. *Archigenes. II.* *pag.* 294.

Dn. D.

ACTO-



ACTORUM PHYSICO-MEDICORUM ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM VOLUMEN SEPTIMUM.

OBSERVATIO I.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Parotis ſcirrhoſa, multum protuberans, feliciter reſecta.

VIr XXXVI. annorum, juſtæ ſtaturæ, ſanguineo-melancholicus, euſarcus, robuſtæ compagis, ad ſudorum effuſionis facillimus, & iisdem madidus, ex rationibus vitæ generis, vinarii ſcilicet ſæpe cel-

lam ingredi coactus, ante octo circiter annos, glandulas in collo sibi intumescere observabat, tandem & parotidem sinistram, quae, reliquis ad sanum statum redeuntibus, sola tumida perstabat. Consulebat hinc chirurgum, qui impositis emplastris post aliquot dies pus subesse putans, lanceola tumorem pertudit, quo facto, loco puris, sincerus sanguis copiose effluebat. Dilatabat dein inflictum vulnus, & nescio quid amplius tentabat, sed incassum: tumor hinc increscere pariter ac indurari pergebat, ita, ut jam pugni magnitudinem excederet, inaequalem simul monstrans superficiem, sub integumentis communibus nonnihil mobilis adparens, in obtuso vero apice suo, ubi olim pertusus fuit, ovali callosa fovea profunda notatus. Quoniam igitur justissimus nascebatur metus, scirrhum hunc, ut ad suppurationem perducatur, si remediis imponendis nimium quantum vexaretur, in cancrosum ulcus degeneraturum, hinc nullum aliud auxilium restabat, quam tumoris mediante ferro exstirpatio. Huic cum aeger se facile submitteret, & praevia purgatione ac sanguinis missione praeparatus esset, operationem adgressus est, omni necessario adparatu decenter exposito, eandemque me praesente feliciter perfecit solertissimus chirurgus nostras *Weber*, cum socio non indigno *Kirsch*, & quidem hunc in modum.

Die XV. Augusti MDCCXL. aegro in sellam commode locato, quod propter foveam notatam latam & profundam, in apice tumoris, integumenta decussatim haud commode incidi potuerant, juxta utrumque foveae latus, eadem parabolica linea dissecabat ita, ut crura parabolae se invicem exciperent; tum integumenta a scirrho confestim separabat, scirrhum acu triquetra, filo cerato instructa, pertundebat, utrumque fili extremum, remota acu, in nodum colligebat, & connexo sic filo, pro manubrio in attollendo scirrho utebatur. Ipso igitur hocce tumore modeste sursum tracto, hunc

hunc circa radicem cultro prudenter resecabat, & cum surculi arteriæ carotidis externæ, parotidem subeuntes, abscindi debuerint, singulis confestim glomeres lineos, liquore styptico madidos, imponebat, adprimebat, & per ministrum, imposito digito, ita servari curabat, ipse interim in separatione scirrhi prudente festinatione pergebat ita, ut omnem sectionem hucusque enarratam intra minuta horæ duodecim absolveret, & vix decem sanguinis unciæ effluerent. Exstirpato scirrho mox partes sauciatas glomeribus lineis, liquore styptico imbutis, dein aliis copiosum pulverem stypticum continentibus, muniebat: his adprimendis varia splenia imponebat, omnia vero fascia solari dextre firmabat.

Æger, qui laudabili animi firmitate hanc operationem sustinuerat, cum satis adhuc valens esset, imposito severo silentio, ne maxillæ inprimis motu vulnus irritaret, jubebatur in commoda sella per aliquot adhuc horas morari, ne decubitu in lectum hujusque tepore sanguis turgescat, & hæmorrhagia deligationem perrumpat. Duo chirurgi ministri præsto erant, qui alternatim palma manus ligaturam comprimebant per nychthymeron. Victus tenuis, refrigerans & demulcens, ex cremore hordei, avenæ, & potus aquæ simplicis injungebantur.

Die XVIII. Augusti & tertio a vulnere, cum ligatura caute solveretur, splenia & glomuli linei facile secedebant; patuit vero in medio & profundo vulneris orbiculum scirrhi, magnitudine fere floreni, remansisse, qui sub operatione, propter sanguinis effusionem, observari haud poterat. Ad consultationem igitur die postero, qui erat XIX. Augusti & quartus ab operatione, iterum invitatus, specillo deprehendimus, in inferiore margine orbiculi istius patere aditum sub istum orbiculum, huncque potissimum in ambitu suo minus in medio, sanis partibus cohærere, ita ut specillo subter illum huc illuc explorari potuerit. Convenimus cunicu-

lum iſtum glomulis lineis, balſamo Arcæi, cum mercurio præcipitato rubro & alumine uſto ſubacto obductis, probe explere. tum & ſimilibus ambitum iſtius orbiculi adgredi, ut hoc molimine ſeparationem ejusdem ſpontaneam provocaremus, ſicque ſectionem iteratam evitaremus, quam propter arterioſum ſub orbiculo ſurculum, quem pulſare obſervabamus, omni ſtudio declinare adlaboramus. Succeſſit ſpatio aliquot dierum optime negotium, ita tamen, ut cultello hinc inde ſuccurrere neceſſum fuerit. Cum vero tota fere parotis ſcirrhoſa fuerit, adeoque ad ſanam usque in profundo hærentem, ejus particulam reſecari debuerit, latex ſalivalis ſcaturiens, ſplenia & ligamenta multum madefaciebat, ſtypticis hinc coërcenda. Interim reliquum ut ſimplex vulnus curabatur, ægerque ſic ſpatio ſex ſeptimanarum pulchre ſanatus fuit.

OBSERVATIO II.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Febris Epiala variolis ſuppuratis innoxie ſuperveniens.

EPialam febrem, in noſtris oris valde infrequentem, non niſi bis mihi hactenus videre contigit. Prima vice in muliere ultra 40. annos nata, plebeia, procera, robuſta, ſanguineo-melancholica, crudis humoribus tum ſcatente: hæc exeunte æſtate corripiebatur languore ſummo & levi horrore, qui poſterior mox in tantum algorem, ſed absque ſuccuſſione & horrore corporis, tranſibat, ut attacta cadaveris inſtar frigeret, & algido ſimul ſudore maderet. Cum ego vocatus adveniſſem, ultra ſex jam horas ita decubuerat; pulſus erat valde debilis, & quodammodo celer; non nihil p. n. ſitiebat; mente ſibi integre conſtabat, voce ſatis robuſta utebatur, in lecto ſe erigere valebat, de

ſummo

ſummo ſaltem languore & cordis oppreſſione conquerebatur. Nulla igitur funeſta ſigna in tam diuturno ingente algore, omnia ſollicito animo examinando conſpiciens, Epialam febrem, nunquam antea viſam, præ manibus eſſe intelligebam. A craſſis frigidisque humoribus, circa capillaria vaſa hærentibus, hunc algorem oriri exiſtimabam; hinc attenuare ſine ſtimulo ſtatuebam, ne intempeſtive movendo, æſtum deſtructorium excitarem. Propterea jubebam pannis calefactis ægram ſuper totum corpus, maxime juxta ſpinam dorſi, probe fricare, & infuſum theæ, quam calidiſſime ferre poſſet, aſſiduo ipſi propinare, præſcribendo ſimul ſequentem Linctum: Rec. Syrupi quinque radic. aperientium, Oxymellitis ſimpl. ana ℥vj. Miſce, ſumat ſingulis dimidiatis horis modicum cochleare. Altero mane verſus meridiem mihi adcedenti refert, heri præſcriptis temperatum quidem fuiſſe algorem, per ſex tamen adhuc porro horas, ſicque in totum per duodecim integras horas continuaſſe, nullum ſubſequutum fuiſſe æſtum, ſed naturalem calorem. Hunc etiam per duodecim horas duraſſe, & ſe jam iterum per aliquot horas algere. Iisdem ergo mediis heri præſcriptis illam iterum uti juſſi, & quamprimum algor deſierit, ac ægra naturaliter iterum per duas horas caleret, ſequentes Pilulas pro una doſi ſumere: Rec. Extr. panchymag. Crollii ℈j. gr. vj. F. Pil. pond. gr. ij. no. XIII. conſperg. pulv. ſem. Lycopod. & harum actione ante craſtinum paroxysmum finita, attenuati heſterno eclegmate humores expellantur. Factum, & tertius paroxysmus longe mitior & utcunque brevior fuit præcedentibus, quarto vero vix ſenſibili febris deſiit. Hæc præfari placuit in gratiam ſequentis exempli Epialæ febris, ſuppuratis variolis ſupervenientis.

Puella duorum annorum, albiſſimi coloris tam cutanei, quam pilorum, pallide glaucis oculis, quibus notis & matrem & ſororem refert, variolis diſtinctis, nec copioſis,

 benigne

benigne admodum, niſi quod ſæpius horrore quodam ſuccuſſa fuerit, menſe Junio 1739. laborans, ita, ut parentes præter aquam fumariæ nil pharmaci puellæ exhibuerint: ſeptimo ab eruptione die fœtidiſſima & ſudabat & mingebat, ſeorſim ſudor cadaver fere olebat. Sicca hactenus alvus, octavo die, qui erat 22. Junii, liqueſcere cœpit, bisque ſolvebatur. Variolæ pure ſcatebant, quarum plurimas vero in facie utpote prurientes, manibus detriverat. Eodem octavo die, mox poſt horam quartam pomeridianam, tota frigida facta fuit, frigidoque ſudore perfuſa. Accerſitus altero mane circa octavam, ad hanc relationem de triſti eventu timebam; inſpiciens vero puellam, non adeo graviter illam ægrotare inveniebam, quam prius exiſtimaveram, utut cadaveris inſtar adhuc algeret tota madida. Vultus haud erat collapſus, oculi vitali fulgore ſplendebant, ſola reſpiratio citatior paulo naturali erat: variolæ nondum detritæ pure ſcatebant, ſed in apicibus nonnihil ſubſiderant; ſitiebat nonnihil p. n. Aluus ægræ haud ſoluta fuit. Omnia hæc phænomena, variolas nempe ſuppuratas, aluum liquidam, ingentem algorem per totum corpus diffuſum, ac jam per XVI. horas continuantem, ægrotulam vero non adeo infirmam, ſollicito animo mecum reputanti, patebat quidem, febrem epialam adeſſe, ſub qua tamen fatalem variolarum retroceſſionem, purisque reſorptionem & diarrhœam metuebam. Pulſum explorare puella nullo modo permittebat, ſed ita reluctabatur manibus, ut nihil de pulſu percipere licuerit. Indicari mihi videbatur, vires expellentes circumſpecte excitandas eſſe. In hunc finem ſuadebam, ut mater aliquid vini gallici, Frontignac dicti, puellæ, valde parvis, ſed repetitis doſibus exhiberet, interponendo ſæpe hauſtulum infuſi herbæ Thee tam calidi ac puella ferre poſſet. Præſcribebam ſimul: Rec. Sem. Aquileg. ʒiij. aqu. Aquileg. ℥iij. f. l. a. emulſio, colaturæ adde Antimonii diapho-

phoretici non edulcorati, ſed ſubtiliſſime triti ℈j. Syrupi Betonicæ ℥ß. Miſce; ſumat ſingulis horis parvum cochleare. Vinum libenter admittebat puella. Nihilo minus algor in ſeram usque veſperam, horam nempe nonam, ſicque ad duas & triginta horas durabat, dein naturaliter incaluit. Nocte ſemel aluo excrevit pauca ſeroſa. Die decimo morbi & 24. Junii mane variolæ partim pure adhuc turgidæ, parte vero maxima deſiccationi proximæ erant: excreverat & iterum aliquid ſeroſi alvo; cæterum niſi reſpiratio adhuc nonnihil juſto frequentior fuiſſet, nil p. n. in puella jam notari potuiſſet. Calebat naturaliter. Emulſionem abſumſit, ſed difficulter; nihilo minus repetendam curabam, & ut parentes ſubinde aliquid vini nominati exhiberent. Cum dicta die circa meridiem mater puellam cunis eximeret, & ſuper ulnas decumbentem ſuſtineret, quo lectulus denuo ſterni potuerit, protenſis verſus cunas manibus, puella in cunas decumbere deſideraverat, & cum protinus in illas deponeretur, per quadrantem horæ maxime infirma jacuit. Interdixi hinc parentibus cunis illam eximere. Hoc ipſo die hora ſexta veſpertina, adeoque poſt elapſas XXI. horas, cadaveris inſtar iterum algere & frigido ſudore perfundi cœpit. Hodie frequenter ſingultiebat. Suaſi parentibus, ut uſui remediorum ſupra enumeratorum ſtudioſe inhærerent, & algor jam nonniſi per aliquot horas continuabat: tum ſimiliter per aliquot horas vix naturali gradu calebat; & hic algor, hæcque exigua incaleſcentia per totam alternabant noctem non ſolum, ſed & usque ad diei 25. Junii horam nonam matutinam, abinde modice calere pergebat; cibos adpetebat & quinquies dejiciebat. Continuare parentes juſſi prudenti uſu dicti vini, ſicque factum, ut d. 26. Junii & die decimo morbi, a febre liberata puella ſatis commode valeret, dormiret, adpeteret cibos. Per aliquot adhuc dies poſt paſtum ſemper aliquid præmemorati vini puellæ prudenter exhibere

paren-

parentibus ſuaſi, partim quod nulla pharmaca admitteret, partim ut motu humorum inertium vitali nunc excitato lentor minueretur, ſicque ſucceſſive & a variolis quoque belle convaluit.

OBSERVATIO III.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Sectio Puelli, Tuſſi ferina & Ictero, ſupervenientibus convulſionibus haud adeo violentis, ſubito extincti.

PUellus 2¼. anni, melancholico-ſanguineus, euſarcus quidem, ſed rhachiticus, ante ſex circiter ſeptimanas torpere, calere & vehementer tuſſire cœpit. Præſcriptis variis remediis, inprimis quod puellus nauſeoſus eſſet, largo ſacchari lactis uſu, aliquantum iterum convaluit: ad robur deinde viſceribus puelli rhachitici conciliandum, limatura martis cum elæoſaccharo cinnamomi ſubacta per octo dies exhibita fuit. Adhuc melius quidem habere cœpit, neutiquam tamen integre convaluit. Ante octiduum nunc ſubito totus ictericus evaſit; præſcripſi arcani tartari liquidi duplum, cum ſimplo tincturæ martis pomatæ, mane & veſperi ad guttas XL. & ultra exhibendum; ſed cum ad ejus adſumtionem difficilis eſſet, ſubſtitui Tartarum ſolubilem, noctu inprimis, quando, ut ſolebat, avidius biberet, potui ejus aquoſo largiter immiſcendum: factum, & color ictericus multum imminui cœperat. Pridie veſperi puellus caput & oculos varie torquere cœpit, ſui tamen compos. Nocte anxius fuit geſtibus, & quantum balbutire valebat, etiam verbis. Heri mane circa nonam convellebatur puellus leviter, ſed inſtar moribundi, & poſt undecimam exſpirabat.

Hodie

Hodie die 21. Januar. illum diſſecui. Totum corpus adhuc icterico colore tinctum, ſed ita flaccidum & flexile, ut, quanquam per 24. horas jam exanimum fuerit, accerrimumque ſit frigus, tamen ſicuti vivum tractari potuerit. Diſſectis integumentis abdominis, nullum occurrebat omentum, & non niſi in ſiniſtro latere ad inteſtinum colon aliquid ejus inveniebatur. Inteſtina tenuia flaccida, inflata, quaſi pellucida, bilioſo tamen virore tincta comparebant: craſſa, præcipue colon, conſtricta. Medium inteſtini ilei in ſemet ipſum ultra pollicem cum dimidio introſuſceptum, absque ullis prægreſſæ inflammationis ſignis, ita, ut pars ſuperior dilatata, ſupergreſſa ſit proximam inferiorem contractam, hancque ſatis arcte complexa. Simile intro ſuſcepti ilei exemplum *Volumine Vto horum Actorum obſ. LXXX. pag. 298.* recenſui. Glandulæ meſeraicæ maximam partem tumefactæ & duriuſculæ. Hepar grandiuſculum, hinc inde, ſed minima ſui parte, nativo ſuo colore, maxima vero parte bilioſo virore tinctum. Veſicula fellea tota vacua & flatu quaſi repleta, manifeſto indicio, bilem ex advecto per venam portæ ſanguine haud ſecretam, ſed cum eodem venæ cavæ infuſam, ſicque cum ſanguine tandem per totum corpus diffuſam fuiſſe. Lien ſanus; renes, ut in infantibus, grandiuſculi. Aperto thorace pulmones flaccidi, in medio ſiniſtri lobi tuberculum crudum, fere tophaceum, fabæ magnitudine, intra digitos vix friabile. Pericardium inferna ſua tota facie latius, quam vulgo obſervatur, diaphragmati arctiſſime accretum. Dexter cordis ventriculus ſolito longe flaccidior videbatur. Reſecto cranio, dura mater calvariæ adeo arcte accreta erat, ut non niſi magno labore hæc auferri potuerit, nec abſque plenaria duræ matris dilaceratione, quæ fornici calvariæ ita adhærebat, ſicuti exterius pericranium, ita, ut abradi debuerit.

(Francofurto ad Moen. Erfordiam miſſa d. 1 . Octobr. 1741.)

OBSERVATIO IV.

Dn. D. JOANN. JACOBI RITTERI.

Historia & Observata circa febrem petechialem, mensibus Novemb. & Decemb. 1740. itemque Januar. Februar. & Martio.

1741. in Hassia, præsertim tractu Homburgensi, grassatam.

RELATIO HISTORICA.

§. I. ÆGroti omnes, ante quam decumbere coguntur, de lassitudine maxima, gravativo corporis, pressorio ventriculi, & pungitivo pectoris, artuumque, dolore conqueruntur. Porro de horrore subtili interno, & tensione carnis surarum dolorifica. Adest quoque sensus imaginarius membrorum tumefactorum, ossa quasi fracta contusa, & ardor internus magnus, per totum morbi decursum durans.

Consectarium 1. Nonne ab inflammatione vasorum minimorum, majora nutrientium, uti censet *BAGLIVIUS Prax. med. p. m. 17. 51.*, hic sensus?

Facies plerumque naturalis. Genæ atque labia quandoque rubra. Aridura faucium. Frigus in spina dorsi. Nausea, cephalalgia magna, pulsans, pungens, in fronte & temporibus, quandoque per 2. aut 3. dies, aut totum morbi decursum sæviens. Omnes conqueruntur de amaritudine oris & ventriculi ardore.

Consectar. 2. Nonne sedes morbi in ventriculo? siquidem 1.) miasma per aërem dispersum, ore primo susceptum, & dein ad ventriculum delatum, copiosiores magisque superficiales linguæ ac palati partes, & sinistrum ventriculi orificium

cium adficit 2.) miasma hoc, ventriculo haustum, absorbetur intra venas in eo patulas, harumque auxilio immiscetur humoribus circulantibus; & quidem citius ibi, quam in cute, ob calorem ejus majorem, quam cutis, qui est ad ventriculi ut 64 : 54 :: 32 : 27. conf. SCHREIBERI *Tract. de Peste 1740. Petropol. Coroll. 11. & 12. pag. 11.*

Plurimi hoc morbo non correpti eodem tempore intumescentia colli adflicti fuere.

Consect. 3. An miasma humores dissolvens in aëre statuendum?

Dolor in nucha, delirium in principio morbi nocturnum. Tinnitus aurium, quandoque ab initio, quandoque sub declinatione morbi, & per longum, morbo jam profligato, spatium durans. Pulsus quandoque profundus, tener in cholericis; in reliquis a naturali statu raro recedens. Respiratio facilis aliis, per totum morbi decursum; aliis principio, aliis diebus criticis, difficilis, mutata dein. Tumor pedum, sanatorum plerosque invasit. Odor cadaverosus ægrorum alcalinus, Medici nares feriens, exhalabat sudore, aut transpiratione.

Consectar. 4. A miasmate alcalino ortus hic odor.

Multi siti vexantur clamosa, aut mediocri, aut nulla. Alvus aut quotidie soluta, aut, si constipata, anxietates effecit. Diarrhœa alios ab initio morbi, alios diebus criticis corripuit. Urina varia, in principio, incremento & statu morbi, aut pellucida, flammea, citrina, aut turbida, sedimento tardo, demum die 20. aut 25. separato, diebus criticis raro lateritio, si quid præcipitatum; multis per totum morbum sanæ similis. Materiæ crudæ & celerioris sanguinis motus signum! Somnus in omnibus, exactis 3. aut 4. diebus, placidus plerumque rediit in sanguineis, in cholericis plus turbatus. Tussis paucis in principio sicca & sonora.

§. II. 1.) Natura sponte quandoque hunc morbum soluit. Invasit omnis ætatis homines; infantes, juvenes,

 usque

usque ad annum 30. morbum hunc plerique superarunt; adultiores vero, scilicet a trigesimo ad quadragesimum quintum & ultra, plerique mortui. Dispositio ad diaphoresin magna, major aut minor pro ratione subjecti, attamen debilitans omnes. Motus convulsivi, subsultus tendinum, totum morbum, in omnibus fere subjectis, concomitari solebant, nilque mali portendebant. Pauperes, in obscuris angustis tuguriis habitantes, fame mox adflicti, mox multo farcti cibo, impuris indusiis vestiti, facilius & gravius præ divitibus hoc morbo correpti fuere.

Consectar. 5. Patet hic causa prædisponens; similis effectus in plurimis pestis relationibus observatur; analogia quædam inter hos duos morbos reperitur, hic non disquirenda.

2.) Quorum hypocausta a lana, oleo, vestibus, alcalinus odor replevit, aut qui talem hausere aërem, gravius præ ceteris occubuere.

Consectar. 6. Lana quam maxime & facillime hocce contagium suscipere valet: Pestis Marsiliana anno 1720. & aliæ hoc probarunt. Confer. Consect. præced.

Consectar. 7. Miasma externum, interno in humoribus latenti se evolvendi dedit occasionem.

3.) Temperamenta sicciora, cholerica, & qui sanguinem spissiorem vasaque minora habebant, morbum facilius superarunt; in reliquis, etsi morbus gravioribus stipatus symptomatibus, constans tamen typum servavit benignior. Miasma sanguinem illorum non adeo facile dissolvere potuit, robur vasorum id ipsum prohibuit, ejusque mixtionem conservavit. In sanguineis, iisque, qui sanguinem fluidiorem, vasa majora, habitum laxiorem & gracilem habuere, morbus erat confusus inconstans, incertus, gravis, plerumque lethalis, quamvis mitior videretur.

Consectar. 8. Effectus miasmatis dissolutivi in sanguine jam prædisposito intelligitur.

In

In phlegmaticis & ſanguine viſcido præditis, morbus tacite finitus, ſymptomata, ut cephalæa, dolor artuum, ultra 3. dies non durarunt; anne viſciditas ſanguinis diſſolutionem impedivit?

§. III. Exanthematum eruptio die quarto, vel ſeptimo morbi fiebat, prægreſſis utplurimum frigore, horrore: Petechiæ erant aut latæ, eryſipelaceæ, aut morſibus pulicum ſimiles, mox ellipticæ, mox rotundæ, majores, minores. Majores ſolæ, aliquando minoribus mixtæ. Color carneus ruber majorum, purpureus minorum. Locus primus in pectore, nucha, brachio ſupra cubitum in muſculo bicipiti fuit. Dein antibrachium, femur, pedes paulatim; faciem nunquam occuparunt. Durarunt majores usque ad diem duodecimum, minores diſparuere demum decimo quinto, decimo ſeptimo, decimo nono, aut vigeſimo ſecundo. In mortuis etiam poſt obitum durantes quandoque conſpicuæ erant.

Conſectar. 9. Ergo mors non ſemper a retroceſſione exanthematum? petechiæ quandoque copioſe eruperunt, frigore aut ſpaſmodicis motibus prægreſſis. Immo ſubſtitere, diarrhœa ſemper fluente.

Conſectar. 10. Nulla retroceſſio exanthematum a diarrhœa timenda? Multi iisdem ſymptomatibus ſine exanthematibus decubuere.

Conſectar. 11. Ex hiſce & præced. & toto genio morbi concludere licet, exanthemata ſimplex eſſe accidens morbo & ſymptoma, nec critici quid.

Duratio morbi in cholericis erat dierum 20. 22. 24. in ſanguineis & phlegmaticis brevior, ſcil. dierum 7. 14. 17.

§. IV. *Incrementum* morbi in ſanguineis usque ad diem quintum, in reliquis a ſeptimo ad decimum tertium ſe extendit. Signa incrementi erant pulſus durior & celerior. Cephalæa urgens, æſtus internus, cutis arida, aut paulo hu-

mida, urina pellucida, aut turbida absque sedimento, sitis quibusdam clamosa.

Status in sanguineis a quinto ad septimum, in reliquis a septimo ad decimum tertium, a decimo ad decimum sextum, a nono ad decimum quintum, sic per sex dies duravit, unde confirmatur effatum *BAGLIVII* Prax. med. p. m. 67.

Quo longius incrementum, eo longior morbus.

Signa status ex nulla symptomatum mutatione desumebantur. Incrementi & status discrimen quandoque observatu difficile, ob symptomatum similitudinem.

Decrementum ab hisce diebus incipiebat; ejus signa erant: Mutatio pulsus ex profundo in altiorem, ex celeri in tardiorem, ex duro in molliorem, remissio symptomatum, disparitio exanthematum, sedimentum urinæ.

§. V. *Crises perfectæ salutares* talibus se manifestabant signis: 1.) Surditate, plerumque quinto, nono, undecimo, aut decimo quarto die incipiente, & per novem, vel undecim dies, imo ad finem morbi & in sanatis diu durante, omnibus ac singulis, mortuis æque ac restitutis communi. 2.) Hæmorrhagia narium, octavo, nono & decimo tertio die eveniente, quæ, si copiosa erat, semper cum levamine, pauca vero cum exacerbatione contigit. 3.) Diarrhoea die nono, decimo & decimo quinto invadente, per 2. 3. dies, aut totum morbi decursum cum euphoria continuante, ita, ut ejus suppressio delirium motusque spasticos induxerit. Videtur hæc necessaria ad morbi solutionem? Quo longius duravit, eo melius. 4.) Vomitu, die decimo, decimo quinto, pituitoso primo, dein amarescente austero, remittentibus æstu, siti, pulsu molliori.

Consectar. 12. Nonne sedes morbi in primis viis & intestinis, a foco per os in ventriculum delato?

5.) Sudore, qui rarissime diebus criticis erumpebat, eratque irregularis, aut nullus, aut copiosus; si quando proveniebat,

niebat, fœtens alcalinus; in declinatione morbi, circa diem vigesimum & vigesimum secundum, prorumpens copiosus, frigidiusculus, debilitans cum metu hecticæ, utplurimum prægresso delirio, aut horrore nocturno, symptomatibus cessantibus, quandoque somnum excipiens largus, debilitans, per 5. dies durans, post remedia convenientia cessans. In principio signum criseos perfectæ, dein atoniæ partium?

Consectar. 13. Via transpirationis & sudoris non videtur aptissima naturæ pro solvendo morbo, cum debilitatem induxerit.

6.) Somnolentia, die supra decimum tertio, quinto, aut septimo morbi, transpiratione, urina cocta, respiratione facili concomitata, quandoque per 3. dies duravit. Sub declinatione morbi salutarior ea, quæ in principio & statu accidit. 7.) Pituita, in cholericis nulla, in sanguineis die undecimo & decimo quinto copiosa rejecta. 8.) Convulsivi motus, juncti lectioni floccorum, delirio absque febre, jectigationi in lecto, sudori frigido, oculis lacrymantibus, urinæ pellucidæ, subsultibus tendinum & maxillæ inferioris, circa undecimum, vel decimum tertium diem, continuante pulsu bono ac vegeto, nil mali, sed crisin instantem salutarem, aut per diarrhœam, aut sudorem, adnuntiarunt. Quantum signis criticis in hoc morbo fidendum?

Consectar. 14. Motus convulsivi non adeo, ac lethargus, metuendi.

Consectar. 15. A constantia pulsus prognosis fieri debet.

§. VI. *Crises imperfectæ* fiebant symptomatibus non mitigatis. 1.) Urina quamvis erat cum eneoremate, attamen turbida. 2.) Surditas diebus criticis. 3.) Hæmorrhagia narium paucis guttulis die quinto, septimo, undecimo & decimo tertio, nulla majore altero die critico subsequente. Confirmatur itidem observatio *BAGLIVII*, qui malam exitialemque pronuntiat, *Prax. med. p. m. 86. edit. Lugd. 1714. 4to.*

§. VII.

§. VII. *Solutio morbi* plenaria fiebat 1.) Pulſu ad naturalem ſtatum accedente. 2.) Æſtu ceſſante. 3.) Sudoribus copioſis fœtentibus, odorem olei C. C. ſpirantibus, ſub declinatione. Conf. num. 5. §. V. 4.) Somnolentia per unum, aut plures dies. 5.) Diarrhœa brevi in ſtatu morbi. Conf. num. 3. §. cit.

§. VIII. *Signa felicis eventus* erant: 1.) Adpetitus bonus conſtans. 2.) Tranſpiratio naturalis nec copioſa mane, membris naturaliter calidis. 3.) Sitis magna. 4.) Somnolentia levis in declinatione & die 14. bonis concomitata ſymptomatibus. Conf. num. 6 §. V. 5.) Reſpiratio facilis & æquabilis in toto thorace & abdomine, immotis claviculis & humero.

§. IX. *Signa lethalia* erant: 1.) Reſpiratio facilis, celer, elevatis claviculis, coſtis, ventre agitato.

Conſectar. Conſtituit itaque elevatio claviculárum differentiam inter reſpirationem ſalutarem & lethalem,

2.) Lethargus die quinto, aut ſeptimo, pulſu tremulo, oculis apertis, nullis ſuperabilis remediis veſicatoriis. 3.) Subſultus tendinum, in carpo, maxilla inferiori præſertim, pulſu irregulari. Conf. num. 8. §. V. 4.) Os patulum, varie diſtortum. 5.) Lingua aut gravis, aut ſumme volubilis. 6.) Auditus acutiſſimus.

Conſectar. 17. Nonne linguæ, auris, maxillæ, & manuum nervi præ ceteris materia critica in eos prolapſa, correpti?

7.) Situs aut transverſus in lecto, aut in dorſo.
8.) Naſus in principio collapſus, adpropinquatio manuum.
9.) Sudor copioſus diebus criticis quinto, ſeptimo, nono, decimo tertio & decimo ſeptimo, nunquam remittens, quamvis calidus. Conf. num. 3. §. VII. 10.) Tranſpiratio copioſa per totum morbum. Conf. num. 2. §. VIII. 11.) Quando ægri ſe ſemper tegunt ſtragulis, externo partium colore naturali, periculoſum. 12.) Singultus decimo tertio, quarto,

to, aut quinto die respirationi difficili junctus 13.) Urina citrina, pellucida, turbida, quandoque eneoremate acuminato, nulli præterea symptomati critico salutari juncta.

Consectar. 18. Ex urina incerta prædictio in hoc morbo. Conf. num. 1. §. VI. & num. 8. §. V.

14.) Pulsus tremulus tam ab initio, quam tertio & quinto morbi die.

§. X. *Symptomata* & mortuis & sanitati restitutis *communia* erant sequentia: 1.) Respiratio facilis, æquabilis, paulum elevatis claviculis & costis, dein facilis, præcipue diebus criticis. 2.) Somnolentia die undecimo & decimo septimo pro ratione symptomatum concomitantium bona aut mala. Conf. num. 2. §. IX. num. 4. §. VII. & num. 6. §. V.

Consectar. 19. Elucet exinde, quantum signo alias salutari in acutis morbis sit fidendum.

3.) Pituita copiosa exscreata, diebus criticis. 4.) Hæmorrhagia narium mox copiosa, mox pauca, diebus criticis septimo, undecimo & decimo tertio. Conf. num. 3. §. VI. & num. 2. §. V. 5.) Singultus die supra decimum tertio, quinto & septimo invasit, quo longius duravit, eo periculosior erat, in mortuo quodam per tres dies, in sanatis non nisi per unum aut duos dies durans, & vesicatorio, suris adplicato, cedens.

Consectar. 20. Vesicatorium haud dubie materiam a nervis phrenicis, stomachicis succutiendo, stimulando dissipavit, revulsit? Conf. num. 11. §. IX.

6.) Tinnitus aurium quosdam ab initio per totum morbum, multosque jam sanatos vexavit. 7.) Delirium absque febre, nocturnum, per totum decursum, diurnum in statu morbi, sed rarum omnibus malum, si junctum fuerit malis symptomatibus; periculi alias expers. Conf. num. 8. §. V.

§. XI. Quorum ſanguis cruſta inflammatoria obductus, iis ſerum pellucidum flaveſcens erat; quibus vero nulla cruſta, iis ſerum ſtriis albis mucilaginoſis fluctuantibus intermixtum, aut maxima ex parte mucoſum albidum, muco narium ſimile, tenue, erat: in omnium ſanguine utrum horum conſpiciebatur.

Conſectar. 21. Stimulus, qui febribus hiſce magis vel minus ineſt, ſerum ſanguinis coagulat.

Sanguis venoſus ſanguineorum erat plerumque ater in ſuperficie, ſero copioſo flaveſcente ſupernatante; in fundo ruber, difficulter concreſcens. Signum acrimoniæ alcalinæ, juxta *BOERHAAVIUM*, *Inſtit. med.* §. *912.* Cholericorum vero coccineus erat absque ſero, mox concreſcens. Ab adfuſis liquoribus ſequentes mutationes ſpatio 15. horarum productæ fuere: 1.) a ſpir. ſalis armoniaci ſerum rubrum factum; 2.) ab aceto vini color ruber in nigrum mutatus, partes ſanguinis adunatæ, cruſta mucoſa reſoluta, æquabilis mixtio & conſiſtentia partium, abſque mutatione fluiditatis, inde facta, ſerum dilutum, color ejus flaveſcens non mutatus; 3.) a ſpir. vini rectificatiſſ. ſanguis in grumos, in ſero fluentes, coagulatus; 4.) a ſpir. ſulphuris ſerum coagulatum in ſubſtantiam caſeoſam duram; 5.) a ſpir. Nitri acido eadem & quidem celerior mutatio; 6.) a ſpir. ſalis acido eadem, ſed tardior & flaveſcens coagulatio. Summatim: ex variorum liquorum, vario ſanguini, eodem morbo correptorum, admiſtione obſervavi: 1.) acida mineralia ſanguinem coagulaſſe; 2.) acida vegetabilia eum attenuaſſe; 3) utraque colorem rubrum mutaſſe in nigriorem; 4) alcalia vero colorem rubrum auxiſſe. Hæc experimenta, quorum ſeriem recenſet amiciſſimus *HALLER* in *Not. ad prælect. Inſtit. Bærhaav. Vol. II. ad* §. *CLXV. not. a. &* §. *CLXVI. pag. 79. 80.* jam a *BOYLAEO*, *BAGLIVIO* & *BOERHAAVIO*, *Chym. Vol. II. p. 377. 378. Ed. Lugd. Bat.* inſtituta, ut oculis

ipſe

ipse videam, repetii, ut genium materiæ morbificæ in eo latentis aliquatenus perspicerem. Non tamen dixerim, fieri eadem plane, adfusis hisce liquoribus sanguini in vasis corporis fluenti, bene memor, unum eundemque adfusum liquorem, in sanguine moto alia producere phænomena, quam in quiescente; attamen ex hisce principium & miasma alcalinum sanguini inesse elucet. Difficile tamen est, verum characterem ex datis hisce eruere, cum in sanguine sano eadem fere contingant; quem characterem heic propono omnibus naturæ scrutatoribus, ut intensis viribus eius naturam, verumque specificum opponendum mecum eruere adlaborent.

§. XII. Morbus noster Hassiam fere integram, præsertim tractum Homburgensem, per spatium 6. mensium partim anni 1740. partim 1741. infestavit; aliis regionibus vicinis eodem tempore ab hoc morbo immunibus. An halitus fœtentes limi ex aquis multos præterito autumno Hassiæ pagos inundantibus relicti, & stagnatio aquarum circa Homburgum aliquid contulerint? saltem probabile est. Inconstantes annorum 1740. 1741. tempestates non adeo in censum venire possunt, utpote in tota Europa eadem, in parva ejus parte vero febres hæ grassatæ. Itaque tamquam hujus morbi causa non accusari possunt; alias in tota Europa grassari debuisset talis morbus, quod vero non relatum fuit. *Rarum etiam*, pronuntiante *BAGLIVIO* Cap. V. §. XI. p. 17. Prax. med. *contagium in aëre, ab ejus pravis qualitatibus, & non ita frequens in singulis morbis, ut multi arbitrantur Medici.* Quidquid somniant auctores de primo hujus morbi, seu si mavis, contagii, ortu aut ex aëre, ventis, aut contaminatione, timore, conjunctionibus planetarum, pravis inde effluviis, incertum sane est; adeoque inutile erit in causas primas hujus morbi, quæ a plurimis extra nos, sicque etiam extra nostram potestatem sitas, inquirere, cum pateat aditus,

 proxi-

proximas, inque nostro corpore sitas, eruendi causas, quasque tollere magis in potestate medici est, quæque ex modo enarratis symptomatibus (§. I. - V.) & experimentis circa sanguinem, §. præced. adductis, elucent, quas hic late explanare non animus est, siquidem ex tota hac historia deduxisse mihi sufficit sequens.

Consectar. 22. Miasma alcalinum sanguinem inquinasse (Confect. 5. & 7. §. II.) illudque coagulasse (Confect. 21.) alcalia fixa & volatilia ab acidis inertia reddi, & quidem in nostro casu ab aceto, ut specifico quodam (num. 2. §. XI.)

Consectar. 23. Ergo acida conveniunt huic morbo, præcipue acetum simplex & destillatum.

§. XIII. Curam perfeci hisce principiis insistens, in omnibus, paucis, pro ratione circumstantiarum mutatis, adhibendo, I.) *Ex fonte pharmaceutico* 1.) acida vegetabilia, acetum simplex & destillatum, succum Citri, Berberum, Granatorum, Coralliorum, Decoctum prunorum, aquam vino dilutam; 2.) acida animalia, serum lactis, lac ebutyratum acidum; 3.) acida mineralia, α.) cruda, scil. spir. Vitrioli vulg. spir. Nitri, β.) dulcificata, ut spir. Nitri dulc. & Liquor anodyn. min. Hoffm. II.) *Ex fonte diætetico*, Decoctum hordei cum succo Citri, ex cerasis acidis, prunis coctis, aquam puram, aut Selteranam, juscula tenuia gallinarum cum succo Citri, aut aceto alterata. Ex relatione amicorum Nitri & Camphoræ anaticæ partes in sufficiente quantitate Decocti C. C. aut hordei, omne curationis genus tum absolverunt. Quod egregie confirmant dicta de usu Camphoræ sagaciss. *SCHREIBERI* M. D. & Physici Moscoviens. in Tract. nupero *de Peste p. 34. ad finem Schol. 1. Exper. 5. pag. 35. Coroll. 10.* consentientibus *RIVERIO* & *Frider. HOFFMANNO.* Alvum obstructam, quæ raro & quidem solum cholericis accidit, reseravi tuto clysteribus aquosis antiphlogisticis. III.) *Ex fonte chirurgico*, venæsectionem in

sangui-

ſanguineis frequentius, quam in cholericis, majori in illis, quam his, ſucceſſu, in principio & incipiente ſtatu morbi largam, repetitam, magno vulnere, in lecto adhibui. Quando poſt primam venæſectionem nulla mutatio pulſus, nec remiſſio ſymptomatum, v. g. cephalalgiæ, ardoris interni, nulla tranſpiratio, ſecuta, eam bis vel ter repetere ſummo cum levamine curavi, ſurdus iis, qui forte ob præjudicia timidi, indiſcretim V. Snem ut ſumme deleteriam in hoc morbo pronuntiavere. Non diffiteor, tales dari febres malignas ardentes, V. Snem non admittentes, ſed rariores ſunt, quam vulgo creduntur; hic locus non eſt pro adducendis obſervationibus. Medici eſt, unius cujusque morbi epidemice graſſantis genium explorare, & periculum de adhibendis remediis caute atque prudenter facere.

§. XIV. Obſervationes peculiares circa ſymptomata morbi feci ſequentes 1.) Variæ agitationes animi in ſubjecto cholerico, nullam extraordinariam in corpore exiguam in pulſu mutationem produxere.

Conſectar. 24. Jam ſupra ad §. II. num. 3. dictum: Cholericos præ ſanguineis morbum hunc facilius ſuperaſſe; itaque qui poteſt plus, poteſt etiam minus.

Conſectar. 25. Ergo animi pathemata in quibusdam ſubjectis non adeo noxia.

2.) Reſpirationi facili non ſemper fidendum, pulſu præſertim irregulari. 3.) Effectus noxii a tranſpiratione ſuppreſſa non deleterii, ſed facile remediis ſublati fuere. Ergo non adeo reformidandi? Juvenis hoc morbo laborans die undecimo morbi ſudore madidus e lecto ſurgit, exque una domo in aliam longius inde remotam, iter fecit, Euro flante, absque ulla retroceſſione exanthematum, ſudoris, aut mala ſequela; convaluit, morbo ſudore copioſo ſoluto.

Conſectar. 26. Hoc ex caſu, quamvis exemplo non proponatur, concludere tamen licet: Cui major gradus nil noxæ

 adfert,

adfert, ei minorem innoxium esse, immo semper reformidatam illam aëris frigidiusculi, ad refocillationem ægrotorum, admissionem, in morbis auctis non solum non periculosam, sed sæpius proficuam esse, suadente inter multos *BOERHAAVIO Aph. Pract.* §. 743.

4.) In subjectis sensibilibus mutatio situs in lecto horripilationem, immo respirationem difficilem, remediis tamen obedientem, effecit, multis vero mutatio indusiorum omni tempore innoxia fuit, modo fuere calefacta manibusque trita.

Consectar. 27. In talibus etiam morbis, uti Variolis, indusia mutari possunt, modo calida illa sint.

5.) Intermissio respirationis, per 2. vel 3. minuta prima, hysterica est fœminis; bene a critica, aut periculosa distinguenda. 6.) Motus hysterici in sexu sequiori facile junguntur huic morbo, profligandi hinc sunt, & profligati fuere castorinis paucissimis, larga admistione spir. Nitri dulc. aut Liqu. anod. Hoffm. Signum succi nervei inquinati? 7.) Durities abdominis quandoque a flatibus, potu copioso, situ supino & inde facta tensione musculorum, oritur, interdum pulsu molli, lingua humida concomitata, bene distinguenda ab inflammatoria, delirio, pulsu duro, celeri, stipata. 8.) In quibusdam sanguineæ constitutionis sub declinatione morbi febris nova, quasi secundaria, accensa, similis variolosæ, potu tamen acidulo copioso sublata.

Consectar. 28. Cum febris petechialis a variolosa, gradu tantum differat, eadem ratio in utraque obtinere potest.

9.) Subjecta cholerica tam in statu, quam in declinatione morbi lipothymiis non periculosis correpta fuere.

Consectar. 29. Miasma fluidum nerveum etiam infestasse, patet. Conf. num. 6. hui. §.

10.) Lethargus die quinto, septimo, undecimo & decimo tertio morbi omnes invasit differenti gradu, in aliis superabilis

bilis medicamentis, in aliis pertinax. conf. §. IX. num. 2. 11.) Cephalalgia aucta in fœmina, mensibus fluentibus, semper duravit. In alia, & quidem cholerica, sudor matutinus copiosus per aliquot dies, diarrhœa semper fluente, adfuit. Duo motus diversi, unus ad exteriora, alter ad interiora corporis pergentes simul. 12.) Quibus nullum emeticum, aut purgans in principio adhibitum fuit, ii diebus criticis & extra eos aut vomitu amaro, aut diarrhœa adflicti fuere.

Consectar. 29. Signum miasmatis ex aëre per cibos in ventriculum & intestina delati? confirmantur hinc dicta §. I. & V. num. 4.

13.) Quandoque in eodem lecto sanus ægroto per totum morbi decursum impune adcubuit.

Consectar. 30. Non est verosimile, miasma imbibi a venis absorbentibus cutis & per eas deferri in corpus humanum; an absorptionem miasmatis in venas cutaneas prohibet ipsa ejus natura, dum forte vi adstrictoria, cutis poros irritando, claudit? Idem in Peste in Ukrainia grassata observavit cit. *SCHREIBER l. c. Observ. 8. pag. 9.*

Consectar. 31. Contagium in hisce morbis si quod datur, non semper per poros communicatur.

Consectar. 32. Cum vero in aliis contagium transeat per poros cutis; elucet exinde: Genium cujusvis morbi acuti, etsi huic similem, tamen non semper unum eundemque esse.

14. a.) Purpuram huic morbo nunquam junctam vidi.
14. b.) Nulla occasio cadavera secandi se mihi obtulit. Vices ejus implere possunt experimenta cum sanguine instituta §. XI.

Observavi porro sequentia circa remedia:

§. XV. 1.) In principio V. S. petechiarum eruptionem promovet: In incremento adhibita symptomata minuit, transpirationem promovet.

Conse-

Consectar. 33. Venæ sectione motus sanguinis mitigatur, & secretio facilior fit materiæ morbificæ ad peripheriam, inde major eruptio petechiarum.

Consectar. 34. Vanus itaque est retrocessionis & supprimendæ transspirationis metus a V. Sne.

2.) Venæsectio fieri debet larga; etenim in subjecto cholerico asthma spasmodicum ex insufficiente V. S. ortum, repetita vero sublatum fuit 3.) Omnibus subjectis convenit V. S. subjecta vero sanguinea eam magis expetere videntur, quam cholerica, ob illorum per hæmorrhagiam criticos motus, 4) Fœminæ, in qua V. S. non instituta fuit, menses inordinate fluxerunt, pulsu duro manente; haud dubie ea adhibita regulariter prodiissent & successissent. 5) In principio, immo die nono, decimo & ultra iterata, tuto adhiberi potest; si calor, sitis, cephalalgia urgent, pulsu duro celeri, aut molli, pleno, elevato vasis turgidis, respiratione difficili, facie rubra. 6.) Venæ sectio ad uncias octo facta in brachio, cephalalgiam in subjecto cholerico non statim diminuit, respiratio tamen liberior reddita; cum cessare inciperet cephalalgia pulsus mollior evasit; an ergo V. S. non satis larga fuit? 7.) In alio subjecto cephalalgia urgente V. S. die decimo morbi instituta erat, sequenti die dolor per totum caput se diffudit, tinnitu adfligebatur aurium, cum vasorum turgescentia, respiratione difficili, pulsu languido, debili, profundo, unde uncias octo denuo venæsectione detrahere jussi, statim hinc symptomata remisere, pulsus vegetus æqualis & transspiratio major facta.

Consectar. 35. Non semper ad pulsus conditionem V. S. instituenda, aut omittenda, sed respectus cæterorum symptomatum conjunctorum habendus est.

Consectar. 36. Pulsus languidus non semper ab inopia sanguinis aut defectu circulationis & inde imminuto impetu, sed a nimia quantitate, vasorum contractionem impediente, æquilibrium

librium solidorum tollente, oriri potest. Hoc consectarium probatur sequenti historia: Amicus *Herrenschvvand*, M. D. & Practicus felicissimus, Tornaci mihi retulit, mense Jun. 1741. ad juvenem, Purpura alba laborantem, vocatum se fuisse, quem inveniebat anxietate, respiratione difficili, oculis contortis, pulsu debili, profundo, retrocessa purpura. Venam in brachio secare & sanguinem ad uncias octo detrahere jussit. Sanguine modo profluente, purpura rursus adparebat, symptomata remittebant, & æger postea spatio 4. dierum e faucibus orci ereptus fuit. Similem casum refert illustris HOFFMANNUS *Med. ration. syst. Tom. III. cap. IX. Sect. II. Theor. VII.*

9.) Quibus emeticum in principio morbi adhibitum, iis petechiæ statim erupere, nec morbus adeo gravibus stipatus symptomatibus, nec adeo longus fuit.

Consectar. 37. Miasma in ventriculum delatum nullam ibi inflammationem excitavit, quam emeticum haud dubie exasperasset; mitioris itaque indolis fuit.

Consectar. 38. Miasma petechiale, ad ventriculum delatum, vomitu cito prolectum, debilitatur ejiciendo, sed totum non tollitur; elucet hoc ex sensu ardoris in ventriculo, post adhibitum emeticum.

Consectar. 39. Emeticum vires miasmatis minuit, sed non impedit, quin pars ejus sanguini se immisceat, petechiasque producat.

Consectar. 40. Vomitus concutiendo totum corpus, præcipue genus nervosum, multum ad eruptionem exanthematum confert.

10.) A Tartaro emetico cum pulvere Jalapp. & Crem. Tartari misto, frequenter usitato, in omnibus fere nullum incommodum servavi. 11.) Purgantia juveni cholerico in statu & declinatione cum euphoria adhibui. 12.) In constipatione alvi clysmata diluentia & refrigerantia prosunt, nec transpirationem, nec retrocessionem exanthematum

 promo-

promovent. 13.) Veſicatoria in lethargo, delirio, ſubſultibus tendinum, ſingultu, ſomnolentia, egregiam præſtiterunt operam. Fœmina ſanguinea, ſingultu, ſomnolentia, die critico alias utplurimum lethali, correpta, impoſito ob ſomnolentiam, veſicatorio, convaluit. 14.) Volatilia etiam parciſſima in doſi exhibita, ſanguinem exæſtuant, immo in motibus convulſivis, hyſtericis ardorem excitant.

Conſectar. 41. Miaſma alcalinum remediis augetur alcalinis.

15.) Abſorbentia terrea, ut Lapid. cancror. Mater perlar. Antim. diaph. Nitrum depurat. Sal Abſynth. ferre nequeunt ægroti, ſed horrores in ſpina dorſi & gravativum ſenſum in ventriculo inde ſentiunt, absque temperatione, immo cum augmento ardoris interni.

Conſectar. 42. Non adpropriata hæc ſunt remedia, a multis auctoribus tamen laudata. Confirmatur Conſectar. præced.

16.) Sanguinei potum aquæ vino dilutæ minus, quam cholerici pertulere: Ambo in ſtatu morbi minime, hi in declinatione cum euphoria eum copioſe adſumſerunt.

Conſectar. 43. An hinc concludere licet, ſanguinem ſanguineorum ad diſſolutionem promtiorem eſſe, quam cholericorum: Vinum enim ſanguinem diſſolvit ceu acidum vegetabile. conf. §. XI. num. 2. Itaque diſſolutionem & morbum auxit?

17.) Potum Thee Boy plurimi averſati; quidam lacte mixto in declinatione cum ſolamine uſi fuere; conf. Conſ. 41. 18.) Papaverina dolores capitis & inquietudines auxere, ſudores vero nimios compeſcuere egregie. 19.) Acetum ſimplex, deſtillatum, Syr. acetoſ. Citri, Corallorum, egregiam præſtiterunt operam, acetum roſaceum, lavendulatum, naribus exceptum, ægros mire refocillavit. Conf. Conſect. 23. 20.) Mixtura ſimplex, ſeu ſpiritus de tribus ſenſum ardoris in œſophago, & in ſanguine æſtum excitavit. Puellæ a Pharmacopœo mixtura præſcripta, cui ſpir. ſalis ammon. intermixtus erat, quæ averſata ardores anxietatesque excitavit.

Conſe-

Consectar. 44. Genius miasmatis etiam ex hoc symptomate aliquo modo patet.

Consectar. 45. Morbus ab urinoso alcali auctus: Ergo miasma est alcalinum urinosum? Conf. Consectar. 41. & 43.

21.) Qui acida vegetabilia perferre nequiverunt, decocta hordeata avenacea, aquam fontanam puram optime tulerunt. 22.) Aqua Selterana copiose pota cephalalgiam pertinacem in subjecto cholerico, spatio 24. horarum sustulit, ardorem æstumque minuit, in alio vero subjecto sensum gravativum in ventriculo produxit.

Consectar. 46. Non omnibus in uno eodemque morbo, unum idemque convenit remedium.

23.) A potu aquæ fontanæ copioso tepido, omnibus egregium levamen fuit. 24.) Decoctum pectorale tenue copiosum juxta *Pharmacop. Argentoratens. p. 157. a.* & *Dispensat. Brandenburg. p. 163.* dolores pungitivos in pectore sustulit. 25.) Tinctura Rosarum cum Spir. Vitrioli parata, aliis diarrhœam, æstumque mitigavit, aliis dolorem ventriculi & intestinorum excitavit.

Consectar. 47. Præparata cum Vitriolo non videntur specifica huic morbo.

Consectar. 48. Effectus remediorum variat pro ratione subjecti. Conf. Consect.

26.) Decoctum fructuum Cynosbati in omnibus, quibus adhibitum fuit, uno excepto, item Emulsio amygdalarum, nec non Theriaca in- & externe, sub forma emplastri, diarrhœam mitigarunt. 27.) Pulpa farinacea cum lacte cocta in juvene cholerico diarrhœam excitavit. An ab acido in ventriculo, & inde coagulatione pulpæ hoc factum? 28.) Julepi ex Syr. rubi Idæi, succo Citri, in subjectis cholericis quibusdam sodam excitavere; conf. Consect. 46. & 47.

§. XVI. Dubia sequentia ad ætiologiam morbi recte formandam, Collegarum alicui, mediantibus hisce Actis, solvenda, dilucidanda, in incrementum praxeos clinicæ, propono: 1.) An diarrhœa critica a symptomatica funesta, inter alia signa etiam ex hoc distinguatur, quod illa remediis facile obediat, symptomatibus inde malis prodeuntibus; conf. §. V. num. 3. hæc vero remediis ægre mitigetur? 2.) An dolor, sensusque imaginarius tumoris artuum, proveniat a motu sanguinis ad peripheriam directo, an vero a falsa sensatione? 3.) An striæ mucosæ (§. XI.) tenues in sero, signum sint corrupti, aut inflammati seri? 4.) An debilitas magna aut a defectu, aut prava constitutione, expansione, resolutione, aut condensatione fluidi nervei per miasma contagiosum, aut ab obstructione proveniat? An in liquido nerveo solo, aut etiam in sanguine, sero, lympha, in omnibus simul, aut unoquoque seorsim sit quærenda? 5.) An hæc debilitas characterem malignitatis suppeditet, efficiatque, ut ideo febris maligna audiat? 6.) An pulsus in principio mollis, tremulus, plenus venis turgentibus. V. Snem citius postulet, quam profundus, gracilis, durus, venis externis collapsis? Mihi videtur prius. 7.) An in utroque casu (num. præced.) circa V. Snem debilitatis habenda ratio, ob eamque hæc omittenda? annon potius ut morbus censenda & hinc V. Sne minuenda & sublevanda hæc debilitas?

§. XVII. Varia & quidem inter se diversa ejusdem morbi symptomata me de duplici hujus febris causa persuaserunt, scilicet dissolutionem & coagulationem sanguinis ac reliquorum humorum ab uno eodemque miasmate, pro ratione subjecti vero duos plane diversos effectus profectos esse, visum mihi fuit, qua in sententia *BAGLIVIUS Prax. med. Cap. V. §. IX. p. m. 17.* me postea confirmavit. Symptomata breviter recensebo sequentia, quæ huic ideæ ansam dedere: 1.) Subjecta constitutionis cholericæ, quibus sanguis

guis coccineus, absque sero, gelatinosus, e vena eductus fuit, vasis exilibus collapsis, per totum morbi decursum, praecipue in statu & declinatione, qualibet nocte, stata hora, frigore subitaneo per totum corpus, ut moribunda ea credidisses, vel etiam frigore manuum pedumque solo, correpta fuere. Dolor fixus capitis, difficulter profligandus, genae & labia rubra, pulsus durus, tensus, contractus, sudor in principio & statu nullus, in declinatione sola copiosus; respiratio difficilis, attamen haud mali praesagii, sitis pauca. Vinum aqua dilutum melius tulerunt reliquis. (conf. §. XV. num. 16.

Consectar. 49. Spissitudo, immo seri coagulatio motusque sanguinis tardior, hinc concludi possunt? Nonne miasma in his subjectis sanguinem lymphamque condensare conetur?

2.) Subjectis aliis vasa turgida, pulsus elevatus, mollis; sudor per totum morbi decursum copiosus, haemorrhagia narium, cephalalgia biduo cessans; rubor totius faciei, genarum, malarum, labiorum, sensus magni ardoris, solennia erant.

Consectar. 50. Nonne his sanguis nimis fluidus, immo ad resolutionem pronus? & miasma sanguinem humoresve dissolvere videtur?

Priora subjecta decocta hordeacea non acidulata; posteriora acidulata tulerunt.

Consectar. 51. Nonne variationem methodi medendi effectus hi & causae diversae postulant? quam etiam *BAGLIVIUS* innuit l. c. Licetne adducere conjecturam de V. S. ne exitiali eventu in quadam hujus morbi specie, quam accidisse in subjectis primi generis observarunt auctores? ratio haec mihi videtur: Miasmatis coagulantis quaedam quantitas in ventriculo eorum remanet, adhibito quamvis emetico, (Conf. Consect. 37. §. XV.) quod vero rarissime in talibus febribus adhibitum notant auctores; hisce igitur integra quantitas intus relinquitur; sanguis vero V. S. minuitus, residuus

 itaque

itaque magis inquinatur, minusque resistit miasmati coagulanti. E contrario in subjectis secundi generis, quantitate sanguinis diminuta, augetur vasorum robur, fit æquabilis mixtio, attritusque partium sanguinis, adeoque impeditur earum a se invicem secessio & resolutio.

Hisce præmissis Problemata, eorumque solutionem subnecto.

PROBLEMA I.

§. XVIII. Tollere hunc morbum.

RESOLUTIO.

Quam primum de præsentia morbi talis constat ex signis §. I. adductis, cujusque observationem recte instituendam eleganter docet *BOERHAAVIUS* Aphorism. pract. §. 11. 12. 13. & 14. tunc I.) investigetur, an ventriculus male adficiatur, §. I. Consect. 2. Detur hinc vomitorium ex Ipecacuanha cum Nitro aut ex Tart. emetico cum Nitro vel Cremore Tartari. II.) Tentetur Venæsectio in brachio, Consect. 51. §. præced. attendendo successum, instituantur experimenta cum sanguine, §. XI. quibus jungantur signa diagnostica §. I. recensita. III.) Eruatur indoles alcalina generalis §. II. num. 2. §. V. num. 5. §. XI. & XII. Consect. 22. §. XV. num. 14. 15. 20. IV.) Inquiratur in ejus speciem. V.) Opponatur specificum, quod in nostro casu est acetum, variis formulis §. XI. num. 2. §. XIII. num. 12. VI.) Victus & regimen sit auctorum; conf. *BOERHAAVE l. c.* §. 743. VII.) Si differentia causæ morbificæ ex collatione symptomatum, §. XVII. recensitorum, patet, methodus ad sublationem ejus dirigatur, aut adversus dissolutionem num. 2. §. cit. aut adversus coagulationem num. 1. §. cit. massæ humoralis; adhibeaturque in priore casu venæsectio, cum acidis auste-

austeriusculis, in altero omittatur V. Sio, adhibeanturque acida simplicia vegetabilia. VIII) Tentandum quid mercurius & camphora valeant; conf. *SCHREIBER l. c. Coroll. 10. p. 35.* (§. XIII. num. 2.)

CAUTELÆ.

§. XIX. Exulent omnia diaphoretica tam fixa, quam volatilia, terrea, ostracodermata salina, omnis potus spirituosus, regimen calidum. §. XV. Confect. 42. num. 20.

SCHOLION.

§. XX. Collaturo, differentia methodi Sylvianæ & adseclarum ejus & hujus, patebit.

PROBLEMA II.

§. XXI. Tollere symptomata huic morbo supervenientia.

RESOLUTIO.

Symptoma quodvis tractetur ut morbus particularis, habito tamen respectu ad morbum prædominantem.

PROBLEMA III.

§. XXII. Præcavere hunc morbum.

RESOLUTIO.

I.) Conservetur puritas aëris, adfundendo acetum §. XII. Confect. 23. lateribus candentibus, accenso pulvere pyrio, sulphure, spir. vini camphor. II.) Fiat mutatio diligens indusiorum, §. II. num. 1. III.) Victus sit temperatus, acidulus,

lus, paulo vinosus. §. XIII. num. 1. & 2. IV) Animus sit constans. V.) Evitentur hypocausta nimis calida & multa lana, plumis, similibusque referta. §. II. num. 2. VI,) Vestimenta fumo num. I commendato imbuantur. VII,) Non negligatur moderatus corporis motus.

(*Homburgo ante montes Erfordiam missa, d. 18. Octobr. 1741.*)

OBSERVATIO V.

Dn. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Historia febris malignæ petechialis, Rintelii M. Martio & sequentibus Ann. 1741. epidemice grassantis.

POst hiemem ab hominum memoria algidissimam & valde diuturnam, a mense quippe Januario ad M. Junium usque 1740. protractam & duplicem inundationem An 1739. ad finem M. Januarii & 1740. in ipso Solstitio hiberno exortam, sed per totum fere Januarium mensem 1741. perdurantem, & longe lateque omnia devastantem, nulla fere morborum grassatio, in his saltem oris, fuit notata, ac præter febriles, rheumaticos & arthriticos insultus, nihil fere notatu dignum & tot causis antecedentibus æquiparandum in praxi occurrit clinica; cujus quidem rei nullam aliam rationem reddere licet, præterquam quod lautiorem nacti vitæ conditionem transpirationem, tot causis impeditam, omnis generis fomentis, corpori instinctu naturæ tempestive adplicatis, promovere, vilioris vero sortis subjecta, ob annonæ caritatem, frugalitati operam dare, utrique adeo simplicissima & probatissima valetudinis conservandæ

vandæ media adhibere, ipsa necessitate coacti fuerint, paucissimis extrema egestate vel inedia consumtis, aut ciborum dyspeptorum abusu morbis chronicis & deleteriis ansam præbentibus. Posteaquam vero Februario mense a. c. per plusculos ex ordine dies tepida, amœna & plusquam vernalis adfulgeret tempestas, omni viventium genere miris hinc recreato modis, sed & aëri libero præmature exposito, accedente hinc, mense Martio, pristino horrido, pluvioso & turbido aëre, & per Aprilem, Majum, Juniumque menses fere constanter perseuerante, vento ex septentrione tantum non assidue spirante, febris maligna petechialis inter militem primum præsidiarium epidemice grassari, nec sine strage, cœpit, paucissimis inde eluctantibus, plurimis vero fatis cedentibus, morbo per contagium ita propagato, ut ægrotantium a sanis separatio aut impossibilis, aut frustranea fuerit. De prima morbi origine non æque constat; licet enim initio justa fuerit suspicio, contagium a militibus passim palantibus aliunde forsan illatum fuisse, præsertim cum initio non nisi inter milites, & vilioris conditionis homines, quibus per servitia, aliamque consuetudinem idem adhæsit contagium, morbus notaretur; experientia tamen sollicita deinceps docuit, studiosos nonnullos aliosque, quibus nullum cum infectis fuit commercium, eodem morbi genere correptos fuisse, utque cum aëre frigido & horrido cœpit, ita cum aëre grato, sereno & calido, post solstitium demum æstivum accedente, per Dei gratiam prorsus desiit.

Febris ipsa consuetis stipata symptomatibus incessit, & petechiis visis fere semper, delirio autem accedente perpetuo lethalis extitit. *Maligna* autem nomine merito adpellatur, quod summa virium prostratio mox initio adfuerit, & in convalescentibus earum reparatio tardissima fuerit. Hoc vero vel maxime malignitatem summam denotare visum est, quod non pauci, sat mediocriter valere visi, nonnulli &

Prævio saltem leni sopore, præter adstantium opinionem, vitam subito cum morte commutaverint. Medicamenta diapnoica cum simili regimine adhibita optime se gesserunt. Purgantia vero in ipso morbi decursu circa diem quartum, aut morbo ulterius provecto, errore diagnoseos a nonnullis exhibita, noxia, immo deleteria fuere & vesicatoriis subinde adplicatis nullum notatu dignum notare licuit effectum. Venæ sectio autem, de qua in hoc morbi genere adplicanda multi ambigunt, huic fere propria & vix non absolute necessaria fuit deprehensa, nemine fere sine ejusdem adminiculo convalescente; non paucis vero fatis cedentibus, in quibus ob intermissam V. Snem id contigisse, non nullorum, nec injusta forsan, suspicio fuit, in corporibus nimirum plethoricis & succi plenis, quæ ut morbo præ reliquis maxime obnoxia, ita eodem male plerumque mulctata sunt. Diarrhæa, quod pridem notavimus, inprimis torminosa & spumosa, nunquam fere non lethalis fuit, alvum vero sponte apertam, immo liquidam, cum euphoria ægroti sæpius observare licuit. Circa solstitium æstivum aëre subinde sereno & calido existente, mox iterum horrido, accedente præsertim terrore, ob morbum nondum prorsus cessantem, iuvenes nonnulli Studiosi aliique simul ac semel febrili insultu correpti fuere, qui tamen sub tertianæ intermittentis, in nonnullis etiam tertianæ continuæ, schemate incedentes, congruo remediorum usu, & moderato regimine adhibito, brevi iterum cessarunt.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FURSTENAU.

Vulnus magnum sclopetarium feliciter consolidatum.

IN festo Academiæ anniversario, quo, novo electo Rectore, juventus studiosa licito otio & honestæ voluptati indulge-

dulgere, & hilaritatem variis teſtari ſolet rationibus, accidit hoc anno vertente, ut die ſeptimo & decimo Julii menſis, qui eſt Academiæ natalis, inter concentus muſicos, aliasque animum recreandi modos, ipſasque bombardarum exploſiones in ſeram usque noctem læte & tranquille exacto, cum poſt mediam noctem juvenis bombardam exploſurus eſſet, eadem cum impetu & fragore ſummo diſrumperetur, indeque non ſolum faces omnes in area vicina accenſæ, ſubito extinguerentur, ſed & ille ipſe juvenis vulnere tranſverſo in ſuperiore femoris ſiniſtri parte, ſub oſſe ejusdem inflicto, ac usque ad exteriorem dicti femoris partem penetrante, adeoque inſignem cavitatem, utrinque perviam, efformante, male mulctaretur. Hæmorrhagiam ingentem mox inſequentem Chirurgus, confeſtim advocatus, liquore ſtyptico, ad modum l'eau d'arquebuſade compoſito, adplicato, brevi compeſcuit, atque mane ſequente V. Sne adhibita, aliisque remediis externis, faſciis quoque pro vulneris exigentia l. a. & juſto tempore adplicatis, ipſoque ſetaceo per vulneris cavitatem trajecto, rite officio ſuo functus eſt, ut ſpes adſit, vulneratum brevi ſanitati priſtinæ reſtitutum iri. Pariter quoque interna reſolventia, diaphoretica & ſanguinem congrumatum diſcutientia, febrique vulnerariæ occurrentia, varia ſub forma ordinata & adhibita fuere, unde etiam febris quidem, quæ vulneribus, præſertim gravioribus, accedere ſolet, non niſi mitiora & rariora notare licuit indicia. Majori vero attentione dignum videtur, quod inter initia pertinacem aliquoties alvi adſtrictionem, cum nauſea, quin & ructibus ipſoque ſingultu, iliacæ adeoque paſſionis metu, notare licuerit, id quod non niſi a nervi cruralis cum inteſtino recto & partibus vicinis connexione derivandum erit, quo quidem loco, clyſteribus & ſuppoſitoriis aliisque fruſtra uſurpatis, unica *Sydenhamii* potiuncula, ex Manna, Tamarindis, foliis Sennæ & Rhabarbaro conſtans, ut ſæpius alias, virtu-

tem suam exeruit. Deinde nec illud prætermittendum est, vulneratum in ipsa deligatione, & facta, ut par est, partium vicinarum ad pus inde eliciendum, compressione, acerbos circa genu dolores identidem persensisse, licet nec digito illud tactum, nec quidquam p. n. in eodem observatum fuerit, id quod iterum, si quid video, observationem nuper suppeditatam, de abscessibus circa genu, & singularem quatuor musculorum, recti, cruralis, vasti interni, & vasti externi, in uno robusto tendine circa patellam connexionem egregie illustrat. In universum nihil venenati in vulnere hoc sclopetario deprehensum est, quale quid a veteribus quondam iisdem adscriptum novimus, ut alios inter A. *PARÆUS* fabulam hanc graphice enarrando explosit. (*) Hic vero quando nulla ossis femoris, nulla vasorum majorum læsio fuit animadversa, quæ a F. *VALLERIOLA* de miris ejusmodi vulnerum atque insperatis phænomenis atque eventibus passim, sigillatim *Lib. IV. obs. IX. X.*, sunt adnotata, in memoriam revocare, Dei autem providentiam ante omnia venerari, par erit.

(*Rintelio Erfordiam transmissa d. 28. Octobr. 1741.*)

OBSERVATIO VII.

D. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI. Observata quædam singularia circa Variolas, anno 1740. in Holsatia epidemice grassantes.

Stagem, ex frigoris inclementia, anni superioris MDCCXL. nostra quam perpessa est Holsatia, adhuc dole-

(*) Confer, *RAPS* Diss. inaug. de Vulner. Sclopetar. Lugd. Bat. 1704.

dolemus graviter: pari vero indulgemus dolori, quod elapſo hoc hiemis tempore, non minor frigoris fuerit ſævitia, recurrente æſtatis principio adeo haud miteſcens. Per omne brumæ atque vernum tempus boreas, vel caurus, continuo fera demiſit murmura. Phthiſis, tuſſis ferina, febres pleuriticæ graves, narium, & in ſequiori ſexu uteri hæmorrhagiæ, variolæ atque etiam articulares morbi, qui hiſce noſtris regionibus ſporadici fuere, confeſtim ventis furentibus, frigoriſque aſperitati ſuos omnino adſcripſere natales, nec non illud, quod hominibus, ægris quoque, tempeſtas iſta attulit exitium. Plurimi, qui e vita migrarunt, acutis pectoris morbis procubuerunt morientes. Quid vero variolæ, ne ſemper quidem mali moris exiſtentes, habuerint peculiare, breviter percenſere operæ eſt pretium.

Dynaſtæ ſubditus, ætatis conſiſtentis, variolis laborat confluentibus. Jam ſuppuraſcentibus iſtis, cognati ægrotantis, tranquillitati nimium confiſi, atque ſolum illum domi relinquentes, ad tecta meant ſacra. Revertentes aliquanto poſt, non adinvenerunt amplius, quem deſiderarunt. Negligentiam ita ſuam ſero nimis pertæſi, paſſim, immo ubique, per vicum, ſed fruſtra, quæritant ægrotantem. Relatum cum hoc eſſet fundi Domino, turmæ equitum ablegantur ad inquirendum ægrotantem: Hic in loco paludoſo, multum ab ejus domicilio diſtante, ad jugulum usque demerſus deprehenditur. Ter quaterque miſer, nive, glacie ac merda undique loricatus, extrahitur, domumque reducitur. Calida probe ablutus, ad lectum reponitur, atque mox erumpentibus iterum variolis ſola naturæ autocratia, jam medio in turbine lethi jactatus, priſtinam recuperavit valetudinem.

Juvenibus quibusdam, variolis diſtinctis non adeo graviter decumbentibus, ſoror natu minima, quæ jam ante biennium confluentibus laboraverat, altera vice tam graviter

tentatur, ut amplius nemo ejus in ſpe habuerit convaleſcentiam. Succedit quidem variolarum deſiccatio, immo & decidunt; ſed ὀρθοστάδην jam vivente infirma, hoſtis profligatus majori revertitur impetu. Denuo videlicet effloreſcunt variolæ, pariter ſuppurationis & deſiccationis juſtum ſervantes tempus. Jam accedente maturationis tempore, ubique in lecto vermes deprehenduntur copioſi. In latentem hujus rei cum perquirebatur rationem, in capitis capillata atque reliquis partibus crinitis, multa vermium millia tantæ magnitudinis, quam *Tabula I. Fig. I.* exprimit, oculis ſeſe ſiſtebant. Optimis quamvis adhibitis præſidiis prohiberi non potuit, quo minus verminoſa hæc gens ulcera ſanie pepererit plena. Demum corpore ſatis repurgato atque morbo feliciter ſuperato, ubique in facie & articulos prope, multa, immo quibusdam in locis ad pugni fere magnitudinem caro ſuperincrevit ſpongioſa, cui tamen decantatum illud Rulandi Empl. diaſulphuris optimum tulit medicamen. Ingeminata hæc variolarum effloreſcentia contaminatam potius motus ideam, quam ſanguinis innuit inquinamentum. Sane igitur, qui cutaneos adfectus mulcere atque diutius paululum expellentibus tractare adamant, culpæ ſuccumbunt; quippe una in primis viis hoſpitantes quisquiliæ ad ſanguinis transferuntur maſſam, atque expellenda materia, ipſis alitur expellentibus. Jam ante morbi invaſionem puellæ hujus vermibus ſcatebant ilia, atque tales aceruatim fuerunt excreti. Sine dubio gravi ſanguinis ebullitione atque perenni humorum motu ad corporis peripheriam vergente, verminoſum ſeminium ad ſanguinis maſſam delatum, cum materia varioloſa fuit excretum, quod variolarum inter cruſtam ſubſiſtens, facile maturitatem ſuſcepit.

Si quæ variolarum fatalibus adnumerantur, omnino inter ea exanthematum retroceſſio, diarrhœa terminoſa, graves ſanguinis inundationes, terror & animi deliquium,

notan-

notantibus *RIVERIO Prax. lib. XVII. Sect. 3. c. 2. FORESTO lib. VI. Observ. 45. HOECHSTETTERO Dec. I. cas. 7.* illa inter tenent primatum. Unum horum si non jugulent statim, vix tamen ac ne vix absque internorum recedunt læsione, & prorsus nihil abest, quin lethalia semper, phthisin nimirum, hydropisin, paralyses, aliaque inducant mala. Interim tamen non desunt exempla, ubi singula mox nominata symptomata insimul invadentia, ne voluerunt quidem ponere insidias.

Nata quædam ab antiqua nobilitate, una cum marito de notabili horrore, pandiculationibus, & adpetitus prostratione fundit querelas. Mox sequenti die, cum jam variolarum præsto fuerit suspicio, viro in pede, fœminæ vero in brachio, propter mensium incommoda ministratur venæsectio. Utriusque quartum circa diem variolarum contingit eruptio, ad sextum usque succedens placide. Intra sextum & septimum variolis retrocessis inopinato animam ponit maritus. Nupta ineluctabilis hujus fati pertæsa & pavore haud levi perculsa, grave animi patitur deliquium, unde recedunt evanescuntque variolæ jam ad suppurationem progressæ. Die octavo mensium fluxus pariter ac narium gravis hæmorrhagia, ad undecimum perdurans, prorupit, cujus comes fuit diarrhœa valde torminosa, revertentes sæpius lipothymiæ, atque extremorum frigus internis calentibus. Demum evanescentibus symptomatibus, excepto mensium fluxu, ad decimum nonum diem perennante, circa undecimum, quo alias rupturam & puris effusionem subire consuescunt, pustulæ sessiles & dehiscentes cœperunt levari & suppurascere. Die vero decimo quarto ruptura, & decimo septimo, contigit variolarum exsiccatio. Sic ita matrona superstes vivens secundo alite fata vicit sua, atque in aliquibus morbis multa mala, ab uno signo bono aliquando superari, manifestum præbet testimonium.

Pari

Pari felicitate variolarum maxime confluentium ſubivit periculum, mulier annum ætatis jam degens quinquageſimum quintum. Exanthemata intempeſtive & inæqualiter effloreſcentia, ſuppurationis tempore dehiſcunt, ac puris loco ſtigma exhibent ſanguineo-nigricans. Faciei atque manuum illam turgeſcentiam inflammatoriam, quæ hoc tempore neceſſaria æſtimatur, juſto maturius ſubſidentem, cum nova febre inflammatoria, excipit grave delirium, corporis jectigatio, rigor extremorum, ſudor largus, isque frigidus citam præſagiens mortem. Bina pharmaca, ratione coloris analoga quandantenus, pro avertendis videlicet oculorum periculis, ſpiritus vini camphor. croc. linteamine adplicandus, atque aliud interno uſui deſtinatum, tunc temporis erant præſcripta. Adſtantes vitra commutantes, non de induſtria, Spiritus vini camphorat. guttas quinquaginta inſtillant porriguntque infirmæ. Advertentes non celant, attoniti potius confitentur errorem, quos vero conquieſcere & eventum expectare admonui ſedulus. Sequitur, quem non ſperavimus, exitus. Solvitur adflicta in ſomnos, evigilans adpetit cibum atque puſtulis repente elevatis, deleteriæ internorum inflammationis omnis evanuit nota. De tanta medicaminis efficacia ita convictus, ad orthoſtadiam usque ut bis de die ſpiritus hujus gutt. XL. exhibeantur, ipſe fui auctor ſuaſorque. Aliis perinde mirabile omnino fuit alexiterium, quo minus igitur variolas, confluentes puta, ſine Camphora pelli poſſe, profiteri erubeſcam.

OBSERVATIO VIII.

D.D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI, Innoxia Carcinomatis, palpebræ adnati, exſtirpatio.

A ſalino-ſulphureo & acri ſanguine ortus tumor p. n. *Carcinoma* dictus, malum terrori incutiendo ſatis aptum eſt.

eſt. Singulas corporis infeſtat partes, multo dolore agitat, torquet atque depaſcit easdem; immo miſeris ipſis atque aliis rem cum iſtis habentibus, teter odor, quem ſæpe comitem habet hoc malum, gravis eſt & offendiculo. Eo vero terribiliorem ducitur in adſpectum, quando externas inprimis faciei defœdat partes, ac ſenſus ipſos ſimul lædit ac impedit. Commatis hujus fuit, quod virum XL. annorum, nuptæ ejusque neceſſariis adſpectu horridum, putidove fœtore per luſtrum fere reddidit moleſtum, atque oculi dextri ſuperiorem obſidendo palpebram, inſuper maximum viſui poſuit impedimentum. Nullum flebili huic calamitati parari potuit pharmacum, hinc adflictus ferro maluit exſtirpatum iſtud carcinoma, quam cruciatibus ſuccumbere amplius; atque etiam habuit, quod petierat quodque illi erat in votis: Tota nempe palpebra cum adnato carcinomate feliciter, absque omni viſus perturbatione, eſt abſciſſa, & ad conſolidationem intra breve temporis ſpatium, perducta. Vid. *Tab. I. Fig. 2.*

OBSERVATIO IX.

D. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

Calculus per biennium in urethra hærens, ſectione feliciter ſublatus.

MIrandam ſane jam alibi (*) de gulæ ſuperioris obſeſſione calculoſa adduxi hiſtoriam, in præſenti haud diſſimile, urethræ nimirum poſſum ſiſtere portentum. Juvenis annorum XXV. per biennium de urinæ difficultate atque ingraveſcente urethræ dolore, ardoris atque

(*) Volum. VI. Actor. Nat. Cur. Obſerv. LXVIII. p. 245.

ponderis ſenſum comitem habente, conqueritur. Variis caſſo eventu in ſubſidium vocatis præſidiis, demum urethræ ſectio optimum tulit auxilium. In molem mentula extenſa erat tantam, ut ſarcoma potius, quam calculum occultari crederetur. Enim vero peregrinum hoc corpus quum lotio tranſitum vix amplius vellet concedere, urethram ferro diſcindere fuit neceſſarium, hacque inciſione facta, en! gorgoneum monſtrum, *Tab. I. Fig. 3.* delineatum in manus proſiliit obſtetricantes.

OBSERVATIO X.

D.D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

Renunciatio ſuper vulnus bregmati inflictum, & prægreſſam inſignem Cranii fracturam ſponte jam coaleſcentem.

INfraſcripti Medicus & Chirurgus accerſitu illuſtriſſimi Comitis de *Dernath*, tribus præſentibus citatis teſtibus, a.p. die XI. menſis Auguſti, hora antemeridiana IX. in domicilio N.N. armentarii Schmalſtedenſis, demortuum reviſere corpus, atque facta ejus anatome, quæ ſequuntur, non indigna judicarunt notatu:

1.) Tergi confiniis, humeris atque manubus non levia paſſim ſuggillationis impreſſa erant veſtigia. Omnem in partem cadavere ſpectato, æque præter has dictas ſuggillationes, nullis aliis porro occurrentibus circumſtantiis abradebantur capilli, quibus ſubductis.

2.) Supra bregma ſiniſtrum tumor in conſpectum venit haud levis.

3.) Diſtractis capitis integumentis, temporalis muſculus ſiniſter, ad radicem usque ſuam, cum pauco ſanguine extrava-

travaſato erat refertus. Atque etiam ex ipſo tumore paululum compreſſo multus ſanguis emanabat ſubrufus.

4.) Intra ſquamoſam & ſagittalem ſuturam, talis magnitudinis, quam *Fig. 4. Tab. I.* delineatam exhibet, deprehendimus Cranii *fracturam*, undique in margine ſuo *duræ meningi* firmiter adnatam. Hæc cranii apertio oſſe tortuoſo & mirabiliter *gyrato a.* pontis inſtar obducta & in duas quaſi concamerationes *bb.* erat diviſa, quarum una feſtucis erat deſtituta, altera vero fragmentum *c.* fovebat iſtum in modum duræ meningi adhærens, ut illud cultello ſeparari haud potuerit.

5.) Meningum & ipſius cerebri ſubſtantia, ſanguinem ſi exceperim ſtagnantem, quo juxta & infra cranii fracturam multum diffuſa ac diſtenta penitus erat illæſa.

6.) Vaſa ſanguifera & majora & minora hemiſphærii cerebri ſiniſtri, ad poſticam præcipue ejus partem, mirum in modum erant turgida, ut etiam cerebri ſubſtantia quam maxime inde facta ſit rubella.

7.) Thoracis & abdominis accedit conſideratio, qua ſedulo facta, cuncta parenchymata, exceptis pulmonibus, qui flaccidi adparebant, & in dextro latere cum pleura coalitum habebant, ad bonam valetudinem erant apprime & rectiſſime comparata.

Enunciat nupta defuncti, quod Schmalſtedienſis quidam caſatus matutino tempore, die nimirum ante ejus obitum duodecimo, pugnis cæciderit maritum, proſtraverit, eumque per vim, capillis raptaverit ad terram, adſerit pariter, quod inflictis verberibus lectum petens, mox de artuum atque capitis conqueſtus ſit doloribus. Eodem fere tempore læſi membra frigidus quaſſit horror, cui mox ſucceſſit æſtus, ſudor copioſus & capitis dolor, absque tamen notabilibus ſymptomatibus, ad ultimum perſeverans.

Tertio die accersivit Chirurgum, qui quidem nescio quos pulveres & quem pro capitis lotura porrexit spiritum, minime tamen ad sonticum & intricatum hunc casum, quæ fuerint necessaria, vocavit in subsidium, neque etiam tumorem aperiendo stagnanti & extravasato sanguini dedit locum. Hanc enim operationem idcirco omittere nequaquam debuisset, licet ipse læsus, ejus conjux atque reliqui adstantes jam per Deum juraverint, citatum tumorem non a verberibus pendere, sed veterrimum immo nativum existere malum.

Habemus namque & nos utique pro certo, & ex autopsia ipsa certiores adhuc redditi sumus, enormem hanc cranii fracturam 6. Augusti die non fuisse inflictam. Etenim si res sese haberet aliter, tot festucæ, vel fragmenta fuissent reperta, quot pro tegmine hujus aperturæ suffecerint largiter, cum tamen duo minora tantummodo fragmenta *a.* & *c.* Tab.I. Fig.4. vix tertiam hiatus partem obtexerint. Dein etiam 2.) hæc duo fragmenta *a.* & *c.* intra octiduum ita cum dura matre non potuerunt concrescere, ut anatomico cultro postmodum vix ac ne vix quidem separari potuerint, neque tandem.

3.) Fragmentum *a.* calami scriptorii crassitiem adæquans, atque ex aliis minimis festucis compositum, (unde etiam figuram tortuosam habuisse videtur,) intra breve hoc temporis spatium coalescere, atque ad reliquorum ossium duritiem accedere potuit. Etenim post corruptionem, sive illa sit suppuratoria, sive sphacelosa, quæ posterior & hic fuit præsto, non unionem, sed potius dissolutionem & separationem partium esse expectandam omnibus luculenter constat.

Sicuti autem ex eo, sanguinem extravasatum infra cranium deprehensum & inde factam sphacelosam meningum atque ipsius cerebri corruptelam, læso mortem conscivisse

adpa-

adparet; ita e contrario, cum ne minima quidem meningum vel cerebri præsto fuerit læsio, si tempestive satis tumorem capitis aperiendo, stagnantem sanguinem ad exitum perducere, atque ope prudentique consilio damnum antevertere adlaborasset mox in subsidium accersitus Chirurgus, merito concludere licet, quod dubio procul læsus a vitæ periculo potuisset conservari, quemadmodum etiam antiqua illa cranii fractura cæteroquin in se spectata omnino gravissima, minime sufficientem mortis causam constituere potuit.

Harum ergo circumstantiarum intuitu læsionem hancce non pro absolute lethali, omnemque operam humanam prorsus eludente, reputamus.

(*Kilonio Holsatorum Erfordiam missa*
d. 13. Novembr. 1741.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. TOBIÆ HENRICI HÆHNE.

Vagitus uteri ominosus.

ANno 1732. in pago *Harpersdorff*, sub Ducatu Lignicensi in circulo Goldbergensi, saltuarii uxor plurium infantum mater, jam ad octavum mensem gravida, sana alias vegetaque, annorum 39. nullis prægressis corporis commotionibus nimiis, aut insuetis, quiete sedet, ex colo ducens, pro more sueto, fila. Huic ex improviso contigit, ut cum cæteris adsidentibus mulieribus ploratum sub sella, cui insidebat gravida mater, audirent, non una, sed pluribus vicibus, ac si canes juvenculi sub sella ejulatum excitarent. Tandem perterrita mater & adsidentes mulieres exactius inquirentes, bene observant, quod tales ploratus ex utero gravidæ bene perceptibiles provenirent. Hoc, cum mihi nar-

raretur, multorum malorum, loco & communitati in futurum obtingentium, flebile præſagium extiturum eſſe præſagium extiturum eſſe præſagiebam. Et ecce! dictum factum. Anno vix elapſo e vivis diſcedebat Baroniſſa, Domina hujus loci clementiſſima hæreditaria, ex illuſtriſſima gente Schaffgottſchiana orta. Brevi poſt igne conſumebatur templum, cum multis aliis ædificiis. Templo vix iterum exſtructo, Baro ipſe hæreditarius & vitæ & ſubditis ſuis, maximo omnium luctu, valedicebat. Triſtiſſimam hancce jacturam excipiebat magnæ incolarum loci, & quidem opulentioris partis, diſceſſus & migratio, cum univerſa ſua re familiari in alia & longe diſſita etiam Penſylvaniæ loca, itemque variæ, magno cum diſpendio in eccleſiaſticis ſuſceptæ mutationes, quas lubens jam mitto, iisque tandem grave illud incendium ſubjungo, quo pretioſum illud defuncti Domini Baronis domicilium eodem tempore abſumtum fuit. Dubitant equidem Medicorum non pauci de poſſibilitate & veritate vagitus uterini, ut adparet ex *LENTILII Jatromn. p. 367.* Quod vero revera contingere ſoleant ejusmodi vagitus, non ſolum *BORELLUS in Obſervationibus ſuis, Cent. III. Obſ. 72.* ipſe & cum alio ſocio teſte, Medico quodam Pariſienſi confirmat, ſimulque probare adlaborat fœtum in utero & reſpirare & dormire poſſe; ſed & doctiſſimus æque ac experientiſſimus Societatis Scientiarum Anglicanæ Sodalis, Dr. *CAPPELER*, Medicus Lucernenſis, de eo teſtis autacuſtus nobis eſſe poteſt, utpote qui prima die Januarii anni 1735. per quindecim ante partum dies in propria conjuge, horis matutinis e lecto ſurgens, una cum illa ipſa, infantem jamjam adeſſe rata, obſervavit & bene notavit, verum & perceptibilem ploratum, illi ſimilem, quem infans neonatus & ex ſomno expergiſcens edere ſolet. De caſibus adverſis inſecutis nihil nobis retulit, præter id, quod tandem feliciter in lucem editus puer proceræ quidem, ſed ſimul gracilioris

gracilioris & morbidæ corporis conſtitutionis fuerit, atque decima quinta ætatis ſeptimana convulſionibus præmature extinctus fuerit. Vid. *Miſcellan. phyſ. med. mathem.* Illuſtr. noſtri Præſidis, *Ann. 1729. Menſ. Aug. Artic. V. p. 510.* Interim ſi etiam cum celeberrimo hoc Auctore concederem, fieri nonnunquam poſſe, præcipue ſi fœtus partui jam propinquiores ſint, ut aër & vapores quidam ſubtiliores intra thoracem ſeſe colligant, qui, ſi inſoliti & citatiores corporis commotiones ex parte matris accedant, per laryngem fœtus exprimerentur, & ita intra uterum ejusmodi vagitum producere valeant; neque etiam plane impoſſibile, vel contra naturam eſſe, quod fœtus in utero materno incluſus, non ſolum alimentum ultimis menſibus ore hauriat, ſed etiam inter jectigationes os liquorem, cui alias innatat, propellat & clamorem ſimul edere queat, ſecundum mentem excellentiſſ. D. & Pr. *Chriſt. VATERI* in *A. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 197. p. 498.* Nihilo tamen minus crederem, quod hac ratione ejusmodi caſus multo frequentiores obtingerent, & non tam rari eſſent, immo certe a fœminis nimium curioſis frequentiores obſervati fuiſſent. Altius hinc potius agnoſcerem principium. Quotquot enim me legiſſe hujusmodi exempla recordor, ſingula illa nihil boni, ſed utplurimum vel fœtus ipſius, vel aliorum ſubſequentes calamitates præſignificaſſe adnotavi. Tres Deo attribuuntur præcipue claves, una qua reſerat cœlum, altera qua terram aperit, tertia, qua matris uterum recludit. Et certe ſi in circumſtantias illas exactius inquirimus, juxta quas poſſibile, vel impoſſibile eſſe ſtatuitur, quod infans in utero materno reſpirare valeat, credere minime iniquum eſt, ſub minus ſolito tali accidenti verſari ſublimiorem directionem, ita, ut divina poteſtas ejusmodi rarioribus caſibus, (etiamſi naturales cauſas excludere non velimus,) digito quaſi, aliquid ſpeciale præmonſtret. Inſolita namque inſolitum quid innuunt. Adducere

modo

modo liceat exemplum Jacobi & Esaui, qui fratres inter se conquassarunt in medio matris, hoc est in utero materno. *TREMELLIUS* & *JUNIUS* in notis id hunc in modum declarant: Irruerunt alter in alterum, non naturali & ordinario, sed extraordinario & plane singulari motu, ex quo mater adfecta est. Quare & piissima mater Rebecca abiit ad consulendum Jehovam, quid extraordinarii hi motus sibi velint? ubi in textu hebraico *Razaz* violentam collisionem, vel concussionem denotat, sicuti & invenitur *Esaia XXXVI. 6. Psalm. CXIV. 4.* quod septuaginta Interpretes per σκιρτᾶν explicant, quo Evangelista *Lucas cap. I. v. 41. & 42.* usus est, de ex- vel subsultatione Joannis in utero Elisabethæ ad verba Mariæ salutantis. Summus autem conditor Jehova pavidæ Rebeccæ non solum responsum dedit clarum & gratiosum, sed & causas hujus præternaturalis & extraordinarii motus patefecit *Genes. XXV. 21.* sequentibus: *Duæ gentes sunt in ventre tuo, & duæ nationes editæ e visceribus tuis separabuntur, quarum natio una robustior erit altera* (hebraice idiomate: *Natio præ natione robusta erit,*) *& major serviet minori* &c. Ergo per insolitam hanc collisionem clementissimum Numen matri Rebeccæ, quasi figurate duorum fratrum insecuturum fatum indigitare voluit: Sicuti enim & Jacob & Esau quoad personas formaliter adhuc in utero materno latitabant, ita & ipsis omnes eorum descendentes virtualiter inhærebant, qui non solum physice, quoad animum & opiniones, sed etiam ecclesiastice & politice, quoad religionem, mores, jura & habitationes plane diversi insecuturi erant. Ejusmodi exemplum habemus quoque in historia profana, ubi fratres gemelli, *Acrosius* & *Proitus* in utero materno ultimo gestationis tempore sensibilissimos subsultus & tumultus excitarunt. Cæterum vagitum uterinum infaustum clarissimus *LEDELIUS*, Patriæ meæ Grünbergæ quondam Physicus ordinarius, in *Ephemeridibus Nat. Cur. Dec. II. Ann.*

VII.

VII. Obs. XLIII. adduxit, ubi familiæ honeſtæ lamentabilem paupertatem & interitum pediſſequum eundem innuiſſe teſtatur. Anno 1233. Raſtadii, paulo ante tumultuarias commotiones, in univerſo Romano Imperio ex degradatione Imperatorum, exortas, ploratum lamentabilem fœtus in utero materno obſeruarunt. Idem factum eſt Ann. 1521 in ſuburbio S Jacobi Auguſtæ Vindelicorum. Ann. 1546. cum inter Cæſarem Carolum V. & Electores Proteſtantes bellum exoriretur, tum Miſniæ, tum & Rotevillæ ad Neccarum perceptibiles ploratus infantis, utero materno adhuc incluſi, percipere licuit. *Chriſtianum II.* Daniæ Regem ante partum flebilem edidiſſe vocem in utero matris, Hiſtoricos non latet, & qualia dein una cum conjuge habuerit fata, temporum ſcripta loquuntur. Brevi ante partum Ducis Saxoniæ, *Joannis Friderici*, ſimilem hiſtoriam legimus adnotatam, quam non ſolum obſidio arcis Grimmenſteinenſis, ſed & captivitas dicti Ducis & executio Grumbachiana comitatæ ſunt. Ann. 1634. Colbergæ idem contigiſſe ſcimus ante invaſionem Pomeraniæ ab exercitu Cæſareo. Idem Ann. 1630. Grœnigæ Halberſtadiorum ante obſidionem & lamentabilem devaſtationem Magdeburgicam obſervatum fuit. Simile quid accidit Anno 1642. Berolini; & ann. 1672. in pago Bertramsdorff, Norwegorum in templo, ſub concione publica talis ſonorus vagitus & lamentabilis ploratus fœtus, in utero materno adhuc latitantis, auditus fuit, quem etiam ab ipſo concionatore in cathedra perceptum fuiſſe, refertur. Incendium talem vagitum præſagiiſſe *Acta Erud. Lipſienſia An. 1712. Menſ. Auguſt. p. 347.* adnotant. Boni quid eundem nunquam portendiſſe huc usque me latet, niſi forſitan quis mihi adducere vellet, quod infans in utero materno ſonora voce clamaverit: *Jo! triumphe*, cum Hannibal adverſus Romanos exercitus ſuos duceret. *Juſtus eſt Deus & mirabilis in operibus ſuis.*

OBSERVATIO XII.

Dn. D. TOBIÆ HENRICI HÆHNE.

Scrotum totum ablatum & reſtitutum.

RUſticus quidam 47. annorum, temperamenti ſangui-neo-cholerici, Schenck dictus, in pago Voversdorff circuli Hirſchbergenſis, ſub celeri adſcenſu in equum premit leniter ſcrotum cum teſticulis in ephippio. Aliquot dies abhinc ſentit tumorem levem, quem parum curat primo, & per octo ferme dies ita tolerat, Tandem magna adcedit durities, dolor & inflammatio. Tumorem cum duritie balneator cataplaſmatibus diſcutere ſtatim intendit, doloremque foliis hyoſciami cataplaſmati ſimul junctis, lenire adlaborat, inflammatio vero potius augetur quam minuitur. Tandem in abſceſſum degenerat totus tumor ipſumque ſcrotum, ex quo per aliquot ſeptimanas magna materiæ ſuppuratæ colluvies quotidie effluxit. Inflammationem de novo augeri cum obſervaret Chirurgus una cum duritie in circumferentia & maculis rubro-cœruleis nigrisque conſilium ſimul cum ægroto a me efflagitat. Scrotum totum gangræna jam correptum in miſero æque ac pauperrimo ægrotante perterritus adſpiciebam. Febriles aderant commotiones, notabilis ſitis & agrypnia. Interne porrigebam adflicto pulveres ex Oc. Cancr. acido Tartari ſolutis, Antimon. diaphoret. Nitro, Tart. vitriolato & Cinnabari. Mixturam ex Eſſ. Pimp. alb. & Scordii c. Spir. Nitri dulci, vel Clyſſo Antim. ſulphurato. Nitrum etiam in ſubſtantia ſæpius in potu ordinario ſolutum exhibebam. Scrotum univerſum ubique indolens a teſtibus & ſpermaticis vaſis, absque omni ægri ſenſatione & querela ſeparari jubeo. Teſtes omni habitaculo orbatos, & a ſqualore mucido-gangrænoſo repurgatos atque abſterſos cum vaſis cæteris in veſicam

ſuillam,

suillam, Unguento ex Lithargyrio & Cerussa, cum aceto vini & oleo olivarum bene præparato, addita camphora, undique obductam, bis quotidie involuebat Chirurgus. Hac ratione non solum gangræna penitus restinguebatur, sed & tempore duorum mensium testibus & vasis novum habitaculum, seu involucrum, succrescebat, simulque æger in totum restituebatur per Dei gratiam, diu adhuc incolumis posthac vivens.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. TOBIÆ HENRICI HÆHNE.

Pulmones costis utrinque adhærentes & adcreti, salva tamen manente respiratione.

PUlmones secundum naturam considerati, sunt moles in pectoris cavitate contenta, quæ, intercedente mediastino dispescitur in duas partes, quarum utraque in duos lobos iterum dividitur, in brutis etiam in plures. Superius adnexa est per asperam arteriam faucibus & collo, vertebris vero dorsi & diaphragmati mediastini beneficio, & tam ab exteriore, seu posteriore gibba, quam interiore, seu anteriore cava parte, quæ cor quasi includit, libere pendet cum lobis suis. Et hoc eo potissimum fine, ut pulmo in respiratione, ab aëre per tracheam inspirato, & a pectoris motu impulso, eo melius dilatari & iterum, pectore compresso, ad aërem in exspiratione eadem via excludendum, eo commodius comprimi possit. Quando vero cum dorso, vel cum costis, coaluere, uti *BARTHOLINUS Act. Hafn. Vol. II. obs. 21. p. m. 52.* item *Vol. IV. Obs. 17. p. 116. & 151.* item *HAGENDORN Cent. I. Hist. 91. p. 130. RHO-*

DIUS in Mantissa Anatom. Obs. X. p. 10. habent, vel pleuræ & diaphragmati adnati, juxta *Acta Medicor. Berolin. Dec. I. Vol. 3. p. 28.* vel undique adnexi, uti apud *BONETTUM* in *sepulchreto anatom. Sect I. Obs. 39. p. 501.* conspiciuntur, tunc extraordinarium quid & corpori vivo potius nocumento & impedimento fuisse credendum esset, vid. *HORSTII Manud. ad Med. P. I. cap. 1. Sect. II. de Corde p. m. 50.* Sic & *HAGENDORNI l. c.* talem adcretionem pulmonum asthma produxisse adnotat. *RHODIUS Cent. II. Obs. XXIII. p. 67.* observavit eandem in subjectis, quæ suspirio valde angebantur. Ast ex duobus subjectis sub mea inspectione & sectione anatomica confirmare possum, tales adcretiones respirationi ne minimum obfuisse. Primus erat Studiosus Juris, 34. annorum, proceræ staturæ & cursitationibus ita adsuetus, ut sæpe per diem viam 9. & 10. milliarium absolvere posset, absque ulla respirationis difficultate, cujus pulmones undique firmiter costis erant adnexi. Alter claustrarius, qui pulmones habebat & dorso & lateribus, gibba parte pariter adcretos, ut admodum difficulter separari potuerint, quem nunquam, utpote virum laboriosissimum, in vivis audivi querentem de ulla respirationis difficultate, aut anhelositate. Quapropter *DIEMERBROCKIUM Anat. Lib. II. c. 12. & 13.* & *TULPIUM Lib. II. obs. 13.* bene adnotasse comprobo: Adcretionem, seu cohæsionem pulmonum, non semper spirandi difficultatem inducere. Causas agnoscimus duplices: Internam, quam constituit pectoris mala conformatio, a primo ortu, & alteram, quam *HIPPOCRATES* in *Lib. de Locis in homine* adducit, nempe resiccationem a siti, & aliam denique, quam in claustrario hoc accuso, frequentem & fere continuam obversationem circa ignem. Externa vero occurrit, si post vulnus thoraci inflictum, vel institutam Paracentesin pectoris ob empyema, consolidatio quidem obtinetur, simul vero pulmo membra-

næ

næ, costas investienti, seu succingenti, sub hoc actu adglutinatur & cum illa coalescit. Signum pathognomonicum tunc est, quando subjecta talia in latus adfectum, & ubi adadhærent pulmones, tranquille decumbere possunt, non vero ita in sanum, cujus ratio in eo consistit, quoniam tunc veluti grave quoddam pondus de latere isto dependere sentitur & respirationem sufflaminat, vel suffocationem minatur. Quoad prognosin incurabilis est hic adfectus, si ex vitio naturæ & ita a nativitate dependet. In adultis difficulter curatur, & licet lethalis non sit, tamen plerumque molestus & gravis est.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. TOBIÆ HENRICI HÆHNE.

Vermis in pectore inventus cordique adfixus.

QUod in visceribus tam hominum, quam aliorum, etjam sanissimorum animalium generentur & revera inveniantur vermes, *BORELLUS Obs. V. Lib. I. p. m. 70.* & præcipue *Jo. Bapt. VERDUCK* in *Operibus chirurgicis Part. II. p. 312.* testantur. In pectoris vero cavitate, & præcipue circa cor, vel in substantia ejus, minus frequentes nobis offeruntur casus. Duriorem enim & compactiorem cordis musculosam substantiam pro gignenda verminosa colluvie ita aptam non comperimus, sicuti aliorum viscerum. E pulmonibus ejecti vermiculi observantur hinc inde, ut apud *SCHENCKIUM Lib. II. obs. 50.* quos tamquam signum alias infallibile & diagnosticum, tussis diuturna præcedere solet, efficacissimis etiam remediis non coërcenda. Vermes in ventriculo cordis fuisse genitos in febribus

bribus peſtilentialibus, *Vidus VIDIUS cap. de morbis Cordis* notavit. Sic vermem cordis adlegant *Acta Erud. Lipſ. Ann. 1719. Menſ. Auguſt. p. 337.* Cor verminoſum in *Actis N. C. Dec. II. Ann VI. Append. p. 18. Obſ. XIII.* extat, & ſimile fere exemplum de verme, in corde mulieris reperto, occurrit in *Annal. phyſ. med. Wratislavienſ. Tentam. VI. p. 1218.* Quid mihi acciderit, ſequentia docebunt: Ann. 1737. vir quidam annorum circiter 45. ſanguineo-cholericus, duriori alias vitæ generi adſuetus, admodumque laborioſus, ſphacelo pulmonum derepente moriebatur. Cadaver cum die inſequenti cultro anatomico ſubjicerem, aperto thorace, reclinatisque pulmonum lobis, vermis, longitudine palmam referens, circa cor & ipſi cordi adfixus cernebatur. Hunc cum manibus meis prehenderem, ſtatim digitis meis ſe circumcingebat, anguis ad inſtar, roſtello ſubtili munitus deprehendebatur. Qua via huc venerit, quemque generationis locum habuerit, exacte ſatis non potuit a me & chirurgis dignoſci. Pulmones una cum membrana coſtas ſuccingente, adeo firmiter coaluerant, ut vix divelli ac ſeparari potuerint. Proinde etiam valde erant inflati, ac ſimul undique ex atro-rubicundo colore tincti, & veſiculis humore flaveſcente pinguiore repletis, undique in ſuperficie obſiti. Inciſi hi pulmones ſaniem quidem minus coctam fundebant, nullibi tamen externe, vel in gibba, vel concava parte læſi erant. Cordis ſubſtantia quoque integra & plane naturalis deprehendebatur, excepto illo in loco, ubi adhæſerat vermis, utpote in quo occurrebat punctum ex rubro-nigricans, quaſi ſanguinolentum. In ventriculis cordis nil niſi recenter coagulatus ſanguis latitabat. Capſula cordis, ſeu pericardium, vermium aliquando habitaculum a *SCHENCKIO* obſervatum, ſalva illæſaque erat. In dextro latere, dorſum verſus, ubi coaluerunt pulmones cum coſtis, deprehendebam ſub ſeparatione ſpatiolum quoddam inter

coſtas

coſtas & pulmonem adnatum, minoris digiti, ſeu paulo majoris calami ſcriptorii craſſitiem referens, & longitudine cum toto lobo adnato conveniens, aperturam exiguam inferius, circa loborum adnatorum interſtitium, monſtrans, ſuperius autem plane clauſum. Spatiolum hocce, ſive ductus, neque corroſionem, neque purulenti quidquam, vel etiam alienum colorem a cæteris partibus ſiſtebat. An hoc in loco fuerit habitaculum, vel facta ſit generatio hujus vermis, item, an generationem & incrementum a pituita quadam tenaci, tempore coalitionis incipientis hunc in ductum quaſi congeſta, aut ibidem collecta, ſumſerit, & ulterius incrementum a madore nativo, partes interiores ſuſtentante, acceperit, eruditioribus dijudicandum hacce occaſione tradere volui. De reliquo extraordinariæ ejusmodi cauſæ morbificæ non niſi a poſteriori cognoſcuntur, h. e. poſt mortem: Signa enim illa, quæ ordinarie ab Auctoribus adlegantur, videlicet cordis tremor, anxietas, animi deliquium & ſyncope cum inſequente ſubita morte, etiam aliis adfectibus, frequentius occurrentibus, familiaria ſunt. Unum tantum exciperem, quod in Collegio quodam ſcripto, ni fallor, *Hartmanni*, deprehendi, puncturas nempe & dolores cordis ſub reſpiratione, conjuncta ſimul convulſione, quod etiam rationi non plane repugnat: Dum enim moventur pulmones & cor ipſum cum pericardio, moventur etiam facile prognati in eo, aut ejusdem capſula, vermes, ſimulque ſenſationem novam, titillationem & puncturas, irritati inducere valent. Quoad curationem certi & convicti ſumus, vermem vel in capſula cordis, vel in ventriculis ejus latitare, tunc ſpecifica virtute commendantur Extracta Allii, Raphani ſylveſtris & Naſturtii aquatici, anatice ad ℈ſ. vel j. in brodio aut juſculo, in quo Raphanus ſylveſtris fuit maceratus, exhibenda, vel etiam in eorum defectu ſucci tantum horum vegetabilium. Hac occaſione reminiſcor obſervationis cujusdam

dam notatu omnino dignæ ex *Joannis HEBENSTREITII Libro de Peste* in *ZWINGERI Theatro p. 352.* adlegatæ, quæ sequentis est tenoris : Princeps quidam valetudinarius, convocatis undique Medicis præclarissimis, remedium petit pertinaci cordis dolori. Omnia autem frustranea erant, ita ut victus tandem morbi sævitia succubuerit. Monuerat interim Medicinæ quidam tiro, lectione medicinalium observationum edoctum se esse, quod in corde etjam vermium quoddam genus possit prognasci, quod allii solius usu, mane comesti, enecaretur. Monuerat, sed non creditum erat. Dissecto cadavere repertus est vermis albus, præacuto rostello eoque corneo præditus, cordi adhærens, quem Medici, vivum adhuc in circulum ex allii succo in mensa figuratum conjiciunt. Insectum hoc torquens se, ne circulum tangat, Allii vi & nidore victum, tandem concidit. Unde non solum morbi causa, sed etiam certa remedii vis efficax innotuit.

(Leoberga Silesiorum Erfordiam missa d. 20. Novembr. 1741.)

OBSERVATIO XV.

D. D. MARTINI SIMEONIS STARCKII.

Remedium tonicum excellens, & vere polychrestum.

LIcet *Tinctura* sic dicta *tonico - nervina Stahlii* sua laude non sit defraudanda, tamen fatendum est, eam non solum sæpe non respondere commendantium & usurpantium expectationi, sed etiam loco utilitatis potius noxam adferre, ut major sanguinis commotio ejus usum sequatur. Hinc

Hinc animum in aliud remedium intendi, quod vi ſua tonica votum magis, & quidem abſque ſubſequente ſanguinis exagitatione, adimpleret. Idcirco loco Tincturæ Antimonii alcalicæ adhibui ſpiritum acidum, & quidem prima vice Spir. Vitrioli, cui inſtillavi Spir. C. C. uſque ad punctum ſaturationis, quam mixturam deinde in congeſtionibus ſanguinis, in hæmorrhagiis, tam ſuperiorum, quam inferiorum partium, pulſu intermittente, immo & deficiente, motibusque convulſivis, ſæpius ſalutarem deprehendi. Nonnunquam ſpiritum acidum, inprimis in morbis pectoris, mutavi, & loco ejus ſubſtitui Spir. Sulphuris, in primis in catarrho ſuffocativo: Hæc enim mixtura non ſolum vires ſuas exerit in partes ſolidas, nempe fibras & nervos, ſed etiam quam maxime in humores, & ſpeciatim in pituitam, quam egregie reſolvit, attenuat & ad evacuationem aptam reddit. Hujus mixturæ vires exoptatas obſervavi prima vice Uratislaviæ in juvene cataleptico, quem alii Medici celebriores pro deſperato reliquerant, qui vero, præmiſſis univerſalibus, hujus mixturæ ope ad integram ſanitatem rediit. In hæmorrhagiis narium deinde, ut & uteri, immo & in hæmoptyſi vomituque cruento, licet etiam enormiores fuerint, & 3. 4 immo 6. vel 8. libras adſcenderint, ejus effectum deprehendi momentaneum. Sumitur in hæmorrhagiis vel ſolitarie in aqua Plantaginis, vel in potiuncula laudata Sylvii contra hæmorrhagias, ex aqua Plantag., Roſar., Aceto & Corall. rubr. In Epilepſia inveterata vero expectationi non ſatis fecit, licet eam eximie mitigaverit.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. MARTINI SIMEONIS STARCKII.

Mars non modo innoxius, ſed etiam valde ſalutaris.

MArtem ſuam efficaciam non tantum adſtringendo, ſecundum celeberrimum *STAHLIUM* & ejus adſeclas, ſed vel maxime etiam maſſæ ſanguineæ ad cacochymiam vappidam inclinanti & langueſcenti volatile quoddam fermentum, ceu calcaria, largiendo, a quo Spiritus quaſi proſtrati & ſuo pondere preſſi eriguntur, ex mente doctiſſimi *SYDENHAMII*, exſerere, quotidiana confirmat experientia. Adſerti hujus veritas etiam inde eluceſcit, quod chalybs in chloroſi exhibitus pulſum derepente majorem & celeriorem reddat, ut inde exteriora corporis incaleſcere, & faciem antea pallidam & mortuis ſimillimam, nunc vivide ſanguine tinctam & quaſi purpuratam evadere deprehendamus. Ipſe ego uſum ejusdem, & quidem in refracta doſi, ad gr. iv. vel vj. bis de die, valde deprehendi ſalutarem, inprimis in obſtructione menſium ſatis quoque chronica, hac tamen obſervata cautela, ne comminuendo ad alcohol quaſi impalpabilis reddatur, ſed modo in pulverem ordinarium redigatur: ne extra tempus fluxus adhibeatur, ſed ſolum eo imminente, & quidem cum Borrace & Succino mixtus. Sic Mars clauſtra etiam per annum & ultra occluſa ceu optima clavis reſeravit, quæ antea etiam thermis Carolinis intacta remanſerant. Fluorem album ad virulentiam vel maxime inclinantem, multum mitigavit, immo & plane ſuſtulit, de quo vid. *Ephemer. N. C. Dec. III, Ann. IX. & X. p. 297.* In hydrope aliquoties martem cum purgantibus, & quidem Jalappa, combinatum, ſecundum

RIED-

RIEDLINUM valde ſalutarem deprehendere licuit, Quid in Apoplexia præſtiterit, ſequens teſtari poteſt hiſtoria: Corripiebatur virgo, LX. fere annorum, Apoplexia, quæ mox in uno latere in hemiplegiam, in altero vero latere in motus convulſivos ſeſe terminabat. Hæc maxima ex parte ab utroque malo liberata fuit pulvere antepileptico nigro cum limatura martis combinato.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. MARTINI SIMEONIS STARCKII.

Cephalæa quinquennalis atrociſſima profligata.

NObilis quædam matrona, 50. ferme annorum, laborabat per 5. annos Cephalæa atrociſſima, aut Clavo ſic dicto hyſterico. Implorabat conſilium & auxilium multorum & quidem celeberrimorum Medicorum, ſed eventu haud exoptato. Sors tandem in me devolvitur, vires meas tentandi. Cum autem obſervaverim, martem in reliquis præſcriptis medicamentis intactum fuiſſe relictum, illius vires potius tentare mecum conſtituo, & hinc juxta imitationem *SYDENHAMII* eundem in forma Pilularum, cum Extractis amaris exhibeo, ſubjuncta dein Tinctura tonica, ex Spiritu C. C. & Spir. Vitrioli, quod adeo feliciter ceſſit, ut intra breve temporis ſpatium a graviſſimis iſtis doloribus penitus liberata fuerit. Notandæ autem ſunt circa uſum martialium ſequentes.

CAUTELÆ.

1.) Præſtat martem magis in ſubſtantia, quam alia forma, inprimis liquida, adhibere.

2.) Præſtat martem tantummodo in pulverem ordinarium & non impalpabilem alcoholiſando redigere.

3.) Præſtat eundem potius in minori doſi, e. g. ad iij. iv. vel vj. grana, quam in diffuſiori quantitate, pro una vice adſumere.

4.) Proſpiciendum eſt, inprimis in malo hypochondriaco, ne martis uſum ſubſequatur conſtipatio alvi, oppreſſio pectoris, urinæ retardatio, aut tranſpirationis imminutio, quia indicium eſt virtutis prædominantis adſtrictoriæ; hinc combinandus eſt cum lenioribus laxantibus, uti in Pilulis contra obſtructiones Hallenſium, quæ in malo hypochondriaco egregium levamen adferunt.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. MARTINI SIMEONIS STARCKII.

Pulſus in dextro latere per IX. dies deficiens, non lethalis.

QUidam ſupremus Locum tenens, quadrageſimum ætatis annum jam emenſus, corripiebatur hemiplegia ſeroſa dextri lateris, ſenſu tamen obtuſo & motu vacillante remanente, ſed pulſu plane deficiente. Is neque V. Sne, neque purgatione, neque frictione & veſicatoriis, neque etiam aperitivis & reſolventibus reſtitui potuit, ſed maximum ſolatium & auxilium fuit expertus ex Tinctura tonica ſupra deſcripta, ſubjunctis deinde martialibus, quibus etjam tandem ad priſtinam ſanitatem feliciter rediit.

(Dresda Erfordiam missa d. 25. Novembr. 1741.)

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

D. D. JOAN. GOTTLIEB BOETTICHER.

Epilepſia dira, & dolores cardialgici immanes aliaque graviſſima ſymptomata, a verme magno & perquam raro ſuborta.

DImacha natione Germanus, qui poſtquam ex prælio, in Scania Ao. 1710. facto, reverſus tamquam vulneratus, in Xenodochium maritimum regium delatus, & cum quadringentis militibus ægrotantibus, curæ & medicationi meæ concreditus fuit, ſymptomatica ſimul epilepſia, tertio quolibet die, in certo tamen tempore revertente, laborans, conquerebatur ſemper extra paroxyſmos de frequenti vertigine, defectu ſomni, inſomniis terrificis, pavoribus, anxietatibus præcordialibus, tantum non continuis, doloribus ingentibus lancinantibus, tam in ſuperiori ventriculi orificio, quam circa & infra umbilicum, usque ad ilia ſe extendentibus, itemque de motu gyratorio & graviter compreſſorio in inteſtinorum canali, & quidem his ſpecialibus verbis, ſe in inteſtinis vivum aliquod animal, acutiſſimis dentibus eadem adrodens, & capite ſuo ingenti arietando inteſtinorum & ventris latera, eorum perforationem intendens, percipere. Proinde etiam ſuccedebant continua fere & horrenda tormina inteſtinorum, membrorum convulſiones frequentiores, animi defectiones, mentis intercurrentes abalienationes, ſudores frigidi, oculorum coruſcationes, crebriores ſyncoptici vomendi conatus inanes, gulæ conſtrictiones terrificæ, quin etiam ſæpe numero inſtar furentis multas geſticulationes efformabat, verba incomta & peregrina

proferebat, & adeo inquietus erat, ut multi eum pro obſeſſo haberent; mox enim feneſtras violento aperiebat modo, ut ſe in terram præcipitaret, mox alios in eodem cubiculo decumbentes dentibus lacerando & manibus verberando impetebat, mox etiam inſigni cum vociferatione antrorſum in abdomen ſe conjiciebat. Ciborum adpetitus erat admodum mutabilis, mox enim erat inſatiabilis, mox plane proſtratus cum nauſea; alvus erat inconſtans, modo lubrica, vel laxa, cum bile æruginoſa, modo valde adſtricta. Sitis erat intenſa & tempore nocturno magis aucta, quam diurno. Circa lunæ phaſes paroxyſmus epilepticus in uno die bis recurrebat. Pulſus deprehendebatur mox debilis, mox magnus, ſæpius quoque intermittens. Urina prodibat mox limpida, ſine ſedimento, mox rutilans, cum ſedimento craſſo rubro. In paroxyſmo obſervabatur magna corporis concuſſio convulſiva, cum oris ſpuma, pollicum in manus contorſione, nec non ſeminis, urinæ & ſudoris fœtidiſſimi excretione. Paroxyſmo ſuperato omnium actorum erat inſcius, valdeque debilis. Hæc omnia probe perpendens, cauſam obſervatorum & relatorum ſymptomatum genuinam induſtrie indagare adlaboravi, eamque tandem ex voto inveni, effectu felici id ipſum confirmante. Præmiſſis itaque præmittendis, injectis nimirum clyſteribus ex lacte, flor. Tanacet. & Saccharo paratis, nec non adhibito per aliquot dies infuſo theeformi cum Eſſent. Abſynth. comp. Centaur. min. Zedoar. Succin. tandem ſubjunxi Pilulas ſequentes: Rec. M. Pil. de Succin. Craton. ℈ß. e Gumm. ammoniac. Querc. gr. v. Reſin. Jalapp. præpar. gr. ij. Mercur. dulc. gr. viij. M. c. ſ. q. Elixir. propriet. ſ. a. f. l. a. Pilul. No. XVI. diſpenſ. in ſextuplo, de quibus quovis die tertio unam ſumſit doſin. Vix tribus vel quatuor vicibus hoc erat factum, cum vermem ex albo rubicundum, unam cum dimidia ulnam longitudine æquantem, bifido, oblongo & acuto capite,

&

& in utroque ejusdem oris latere, dentibus acutissimis serratim positis, nec non in ipso ventre prominentiis oblongis, teretibus, acutis, flexibilibus, multisque pedibus, similiter acutis, instructum, crassitie autem digiti annularis paulo minoris, evomuit, qui valide se movendo & quasi tripudiando, luculenter ostendebat, se bono in hospitio a liberali hospite largum obtinuisse nutrimentum. Expulso tali hoste, omnia recensita pathemata, funestum minitantia exitum, uno quasi actu sublata deprehendebantur, ægrotusque pristinam facile recuperavit sanitatem. Ante usum anthelminticorum varia adhuc exhibita fuere nervina aliaque convenientia, sed irrito plane successu.

OBSERVATIO XX.

D. D. JOAN. GOTTLIEB BOETTICHER.

Vermis ex genere Soliorum, 21. ulnarum longitudinem æquans, sævissimos admodumque diuturnos cruciatus producens, frustulatim tandem expulsus.

NObilis matrona 38. annorum, natione Pomerana, per aliquot annorum decursum conquesta fuit de atrocibus doloribus lancinantibus in ventriculo & toto fere intestinorum tractu indesinenter continuantibus, nec non de anxietatibus præcordialibus haud raro syncopticis, hystericis passionibus itidem intercurrentibus, cordis palpitatione insigni, inquietudine nocturna perquam molesta & frequentibus sub somno pavoribus ac succussationibus abdominis terrificis, spirandi difficultate multis cum suspiriis & tussi sicca conjuncta sputatione crebra, mox ciborum nausea gravi, mox insatiabili illorum adpetentia, sæpius adfligentibus vomen-

mendi conatibus anxiis, ulcerosa omnium artuum lassitudine multisque pandiculationibus, febre lenta, consumtionem totius corporis inferente, siti sæpius enormi, alvo constipata, halitu fœtido, sudore ingrato, memoriæ debilitate, mentisque intercurrente alienatione. In abdomine tumefacto frequentem animalis vivi motum quasi gyratorium, & quidem superiora versus se exquisite sentire referebat. Ob atrocium dolorum cardialgicorum vehementiam, lectum sæpius dereliquit, humique reptavit, & furibundæ ad instar per parietes adscendere tentavit. A nullis aliis domesticis remediis pathemata hæc cardialgica magis, quam a spirituosis demulceri poterant; oleosa vero & amara parum vel nihil levaminis adferebant. Ut ergo tot tantisque dirissimis symptomatibus, per aliquot jam annos durantibus, & nulla hactenus ratione mitigandis, obicem ponere adlaborarem, desideratum tandem a me fuit. Investigatis hinc exacte omnibus circumstantiis, sequentia præscripsi: I.) Rec. Pulver. nervin. n. D. gr. XXVI. Nitri depurati gr. ij. Myrrh. el. rubr. gr. j. M. pro dosi, in Xplo, de quibus pulveribus cum aqu. flor. Tanacet. Gramin. Scord. & Meliss. citr. quovis die tres sumere jussi, unde etiam pathemata cardialgica non parum mitigata fuerunt. II.) Infusum vinosum ex aperientibus lenibus laxantibus & anthelminticis, a cujus usu in principio magnam copiam saburræ seroso-pituitoso-biliosæ flavo-æruginosæ & atræ quotidie dejecit, octiduo autem superato, cum excrementis alvinis vermis frustum a toto separatum, longitudine ulnæ unius & dimidiæ, latitudine vero indicem digitum æquans excrevit. Infuso hoc consumto & descriptis circumstantiis probe ponderatis, ordinavi III.) Pilulas balsamicas laxantes cum Mercurio dulci, quolibet tertio die matutino tempore cum infuso theeformi adhibendas, & aliquoties repetendas, a quorum usu per vices multa vermis frusta, mox unius, mox duarum ulnarum,

mox

mox dimidiæ longitudinem, referentia, exclusa fuerunt, ita ut frusta hæc dejecta accurate collecta, & ad computum tandem simul redacta, viginti & unius ulnarum longitudinem superaverint. Caput hujus portentosi vermis, ad genus *Soliorum* referendi, mihi videre haud licuit; an ergo in intestinorum latibulis remanserit, ibique putruerit, vel cum excrementis rejectum & non observatum fuerit, definire nequeo. Quoad structuram, externam constabat ex multis annularibus articulis, accurate & distincte inter se cohærentibus, cum interpositis minoribus punctis nigris. Ab hoc insecto feliciter sic liberata bene convaluit, ejusque macies in obesitatem brevi post conversa fuit.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOAN. GOTTLIEB BOETTICHER.

Virginis peste infectæ costæ ambæ ex doloribus enormioribus relaxatæ.

ANno 1711. mens. Novembr. grassante etiamnum lue pestifera, virgo XVII. annorum, civis & aromatarii Hafniensis filia, jam nupta regio cuidam pedissequo, secunda vice dicta lue correpta, non solum a carbunculo in fronte & bubonibus sub axillis atrociter excruciabatur, sed & omnium artuum tam diris torquebatur doloribus, omnibus tunc peste decumbentibus familiaribus, ut ab iis ambæ tandem coxæ adeo insignem paterentur relaxationem, ut idcirco pedes nullo modo amplius movere, multo minus iisdem insistere, nedum aliqua ratione progredi potuerit, sed instar trunci jacere cogeretur. Hoc calamitosum symptoma, etsi non tam insigne vitæ periculum, quam infectio pestifera, inferret, non levem tamen perduraturæ claudicatio-

nis, & hinc imperfectæ ſanitatis, metum incutiebat, adeoque ſic una calamitas alteri porrigebat manum. Ligamentorum femorum relaxatio & atonia, pedes ambos ad menſuram usque ſpithamæ longiores, quam in ſtatu fuerunt naturali, reddidit. Et ſicuti ſub hac tempeſtate talibus peſte infectis artuum dolores enormes ab uſu antiloimicorum & antiſpaſmodicorum convenientium optime & conſtantiſſime mitigabantur, ita quoque continuo huic ægrotæ exhibitis adpropriatis alexipharmacis, cum antiſpaſticis, tam in forma ſicca, quam liquida, vis Peſtis deleteria cum felici bubonum ſubaxillarium maturatione, a centro ad peripheriam usque ad plenariam miasmatis expulſionem, deducebatur, indeque eliminabatur, & per frequentem & ſedulam cataplaſmatum & fomentationum, ex herbis nervinis, fragrantibus & alexipharmacis, tonum ligamentorum reſtituentibus, paratarum, atque in vino rubro optimo coctarum calidam adplicationem, omnium expectatione citius concepta jam ſpe dubiæ reconvaleſcentiæ, ſingula in priſtinum ita feliciter redacta ſunt ſtatum, ut deinceps absque ullo incommodo libere iterum incedere potuerit. Vivit jam ſana & obeſa, mater ſex liberorum poſthac facta. Ex hiſce liquet, quantum ex metaſtaſi, aut decubitu talis virulentæ materiæ, inprimis circa artuum juncturas, ſit metuendum, & quam indefeſſa induſtria judiciumque circumſpectum in caſibus ejusmodi ſonticis, a morbis malignis & acutis ſubortis, requiratur. Cæterum gravi hoc morbo feliciter ſuperato, poſt trimeſtre circiter ſpatium, eadem hæc virgo, ex prægreſſa refrigeratione, & procul dubio fortiori contrectatione mammæ ſiniſtræ, tubercula varii coloris duriora & valde dolentia in eadem ſentiebat, quæ tandem ſub interno anticatarrhalium & blandiorum diaphoreticorum uſu, nec non externa reſolventium & emollientium adplicatione, ad ſuppurationem diſponebantur, ſicque educta ſanie & cicatrice levi relicta, brevi temporis intervallo pariter tollebantur.

OBSER-

OBSERVATIO XXII.

D. D. JOAN. GOTTLIEB BOETTICHER.

Virulenta pestifera materia in glandulis inguinalibus primo collecta, dehinc ad artus translata, varia ulcera fistulosa, spinamque ventosam inducens.

PUella sex annorum, honestæ viduæ filia, a pestifera virulenta materia, naturæ beneficio circa glandulas inguinales primo concentrata, nondum vero, ob præposteram Chirurgi curationem, debite suppurata & prudenter educta, sed per metastasin subsequentem hinc inde ad artus diffusa & translata, brevi temporis intervallo circa utrumque genu tumore spongioso, in utrisque tibiis spina ventosa, circa oculum dextrum fistula lacrymali, atque in lumbis, inprimis dextro in latere, ulceribus fistulosis summe rebellibus & fœtidissimis adfligitur, accedente demum ligamentorum aliquali relaxatione circa femorum articulationes, ob quam & inde subsecutam claudicationem in utroque pede grallis incedere coacta fuit, id quod, una cum reliquis recensitis pathematibus, per plures annos cum multis & continuis cruciatibus ita duravit. Lumborum dexter a variis cuniculis quasi perfossus sinubusque fistulosis fere exesus erat, ex quibus quotidie plorabat ichor modo acris, dilute rubicundus, modo sanies varii coloris fœtidissima, unde etiam ulcera hæc duorum Medicorum & trium Chirurgorum optima consilia operamque indefessam prorsus eluserunt. Tandem & meum implorabatur auxilium, visitansque hanc puellam, statum observabam cachecticum cum febre lenta ad consumtionem hecticam jam inclinante, color faciei erat ex flavo luri-

 dus,

dus, facies tumida, oculi levi flavedine tincti, omni splendore naturali destituti, introque quasi acti, totumque corpus ex pallido flavum & marcidum adparebat, ciborum adpetitus erat dejectus, sitis vero urgens, pulsus debilis, urina mox admodum flava, mox flammea rubedine tincta, caput per intervalla dolebat, alvus modo erat nimis constipata, modo nimis laxa cum insigni muci copia prodeunte, conjunctis simul pandiculationibus & oscitationibus, præcipue circa lunæ phases maxime frequentibus, quo tempore etiam fistulæ solito majorem fundebant saniei copiam. Consolidato arte Chirurgica uno sinu, paucis interjectis diebus, novus alius omnem antea adhibitam opem irritam faciebat, adeo ut tentata Chirurgorum vocatorum curatio, non nisi in eorum opprobrium & adflictæ majus detrimentum cesserit. Tandem opera Chirurgi, tum temporis peritia chirurgica & anatomica in hac regia clarissimi, cognomine *Seiffert*, in hunc finem a me commendati, non solum a fistula lacrymali, separata scilicet exesa & prorsus cariosa portione processus Zygomatici, non procul a cantho externo, feliciter liberata fuit, sed & ulteriori adhibita ejus industria & ope, præscriptis simul a me necessariis internis remediis, eo usque vehementia morbi infringebatur, ut sanatis ulceribus lumborum fistulosis, ipsaque spina ventosa, facta & obtenta ossium cariosorum exfoliatione, & copiosarum lamellarum exesarum, cum sanie exturbatione, rejectis grallis, erectiori corpore incedere jam possit, vivatque nunc vegeta & obesa optime valeat.

(*Hafnia Erfordiam missa
d. 5. Decembr. 1741.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

D.D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Relatio medica de Infanticidio.

QUum celsissimus ac illustrissimus Dn. Comes Josias in Waldeck, in mandatis haud ita pridem mihi, Archiatro suo, dedisset, ut sectioni infantis præessem, de quo fama erat, illum ante viginti jam dies terræ in bovili mandatum fuisse, id quod etiam meretrix haud ita multo post fassa est, & quem ex terra tripedali fere altitudine erui jusserat, sequentia, Dn. Judice, aliisque ad hanc rem necessariis præsentibus, conspicienda erant, quæ stilo laconico, germanico idiomate exarata, latio donare in præsenti placuit. Quotusquisque enim est, quem fugiat, quam ægre sæpe numero tulerint Collegia, seu Facultates medicæ, & quam justam conceperint indignationem, si *visa*, quæ vocant *reperta*, eo, quo decet, modo, non fuere adornata, quemadmodum hoc non unum, sed plura profecto demonstrant documenta publica. Nullus proinde dubito, quin gratum facturus sim junioribus Practicis, qui hos scopulos declinare amant, si anatomen & relationem de infante violenta morte defuncto, quam rationi & legibus medicis consentaneam pronunciavit, & calculo suo adprobavit inclyta quædam Facultas, heic loci adnectam. Consistit autem illa in sequentibus:

Ungues infantis in debitum excreverant magnitudinem, capitis pars capillata crinibus sufficienter erat tecta; ossa cranii debite juncta, & in locis suturarum non separata conspiciebantur. Quantumuis vero cutis corruptionem putredinosam, ob viginti dierum in terra moram, non ubivis tamen, conceperat, adeoque de cute vel rugosa, vel non rugosa, æquum judicium ferre non liceat, extra omnem ta-

men dubitationis aleam poſitum erat, omnia ſingulaque membra iuſtæ formæ & magnitudinis, cute vero ſeparata muſculos non laxæ, ſed firmæ ſubſtantiæ fuiſſe. Signis his ad unum junctis, mea equidem ſententia, nemo non concludet, infantem hunc vixiſſe, & plenariam adeptum fuiſſe maturitatem.

Funiculus umbilicalis duorum transverſorum unguium latitudine a corpuſculi abdomine avulſus & ligatura non munitus erat. Cæterum omnia viſcera abdominis in ſtatu naturali adparebant. Pulmones non rubro, ſed conſueto colore tincti erant, & cum corde bene ſe habebant, hocque ſeparato, innatabant aquæ non in tantum, ſed in totum. Remota cute capitis, in conſpectum prodibat ſanguis coagulatus, oſſi occipitis incumbens, unacum tumore circa vertebras colli ſuperiores. Ex quo phænomeno quum facili negotio hariolarer, in vertebris colli adhuc præter naturale quid abſconditum latitare, muſculos ſeparari juſſi, qui ſanguine tumidi jam jam adparebant, & extemplo atlas, ſeu prima vertebra colli majorem quandam læſionem monſtrabat, ſiquidem in ſiniſtro latere manifeſtum quendam ſatis notabilem omnes obſervabamus hiatum.

Vim primæ huic vertebræ colli illatam, vivo corpore factam fuiſſe, ſolemne edocet judicium, quod tumor muſculorum ſanguinolentus circa vertebras colli præbet. Et quamquam ſola pulmonum in aquis natatio, ex quorundam celeberrimorum Medicorum ſententia, non ſubminiſtret concluſionem omnibus numeris abſolutam, infantem in has auras prodiiſſe vivum: nihilo tamen minus modo deſcriptus tumor muſculorum ſanguineus, natationi pulmonum adductæ junctus, ſatis ſuperque evincere videtur, infantulum extra uteri clauſtra vixiſſe, eumque per vim externam neci datum fuiſſe, quum tanta primæ vertebræ colli facta vis & luxatio, unanimi Medicorum conſenſu, pro lethali per

ſe

ſe habenda ſit. Adde, infantem hunc, ob avulſum & non ligatum funiculum umbilicalem, certo certius, anima purpurea per hunc effuſa, ad præmaturam mortem ſubeundam diſpoſitum fuiſſe.

OBSERVATIO XXIV.

D. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Globus cereus in uteri prolapſu remedium ſalutare & lethale.

NOta mihi eſt mulier quædam, quæ, uteri prolapſu laborans, per multorum annorum decurſum, globo cereo, in arva muliebria intimius, leniter tamen adacto, ſibi manum medicam ſalutarem adhibuit, matricis procidentiam nunquam deinde paſſa. Coitum cum marito celebrans abſtulit globum, ea cautela, ut nunquam illum ipſum auferret ſub ſtatu erecto, ſed tantum ſub decubitu in lecto, ſimulque extemplo ſuo loco reſtitueret, concubitu matrimoniali peracto. Alia itidem fæmina eundem ſalutarem effectum a ſimili globo cereo, per plurimos annos experta eſt. At quum illum per omne illud ſpatium, in uno eodemque loco reliquiſſet, ardorem tandem illic loci ſenſit. Lecto adfixa, & febre correpta, ceream illam maſſam auferre tentavit, aſt adglutinatam eam ſentiens, abinde deſtitit. Pharmacopola empiricus gloriolam aucupans, majori vi rem adgreſſus eſt. Læſis inde haud dubie his locis, febris, quam inflammatoriam ex ſignis & actis judicabam, incrementa cepit, adeo, ut ægra diem obiret ſupremum. Cæterum illam matricis procidentiam, quam poſt partum laborioſum ſæpius obſervare licet, ſemel atque iterum curatam fuiſſe, cognitum exploratumque habeo, ſola repoſitione, nulla interjecta mora facta; ſi vero id ipſum paulo ſerius fiat, non ſucceſſiſſe negotium recordor.

OBSER-

OBSERVATIO XXV.

D. D. RÜDGERI FRIDER. OVELGÜN.

Spiritum vini vulgarem, aliumve, elegantissimo colore rubello imbuendi modus, absque impensis, per baccas scilicet Sambuci.

NIhil non moliuntur Pharmacopolæ, & id genus hominum, apud quos spiritus vini vulgaris venalis prostat, ut illum ipsum colore grato rubello, aliove tingant, quo majorum virium & pretii, quam sibi relictus, videatur. At, quum omnes modi, quo spiritum vini colore tali rubro inficiunt, quod equidem sciam, Santalum rubrum, aliaque unacum igne, & per consequens impensas requirant, nec unquam me legisse meminerim, isthoc per baccas Sambuci vulgaris Tragi, sine sumtibus peragi posse, placet id ipsum nunc communicare, quod pergratum jam amicis fuit, quibus id aperui, rati, quod sequutum est, vilioris sortis homines, hunc spiritum vini magni facturos, alios vero, colorem elegantissimum rubrum, a re nullius pretii inductum, miraturos esse. Equidem *Emanuel KOENIG Regn. vegetab. p. m. 997.* ex *BARTHOLINI* Medic. Dan. domest. sequentia docet: *Baccæ Sambuci maturæ in escam avium magis, quam hominum cedunt, quia scilicet grato acidiusculo sapore palatum illorum vehementer delectant.* At de eo, quod innui, ne quisquam nec ab illo, nec a *DIOSCORIDE, GALENO, SCHROEDERO, Simone PAULI, LUDOVICI, DALE,* atque aliis posteritati relictum video. Re per aliquot annos comperta, *Theodori CORBEI* Pharmaciam evolventi mihi, occurrebant de Sambuco sequentia: *Junio mense floret, & Augusto mense acinos matu-*

maturascentes profert, quo tempore a tinctoribus & ephippiariis colliguntur. Ephippiarius eam in rem quæsitus, negavit, se his acinis uti. At quum nec hæc stricte ad rem nostram faciant, redeo unde digressus sum. Baccæ hæ Sambuci, fructu in umbellam nigro C. B. non egent æque contusione pro scopo nostro, nisi quis fortean moræ impatiens colorem rubellum urgeat. Sufficit simplex infusio & motitatio per vices sine ullo calore. Non negaverim interim, ut in aliis omnibus, ita & hic, digestionem rerum extrahendarum clavem, colorem rubrum citius in conspectum dare, calefacto forte aliam ob causam fornace, pro lubitu instituendam. Majori in copia baccis spiritui vini injectis, color tantum non sanguineus prodit, in flammeum, aliumve rubrum, ex voto, prout plus minusve spiritus vini adjeceris, facillimo negotio per varios gradus mutandus. Quum *SCHROEDERUS*, *KOENIGIUS* & alii, juxta cum experientia, his baccis vim diaphoretico-alexipharmacam adscribant, has baccas spiritui vini, qui infimæ sortis hominibus, haud injuria alexipharmacum, febribus epidemice grassantibus, scopo præservatorio, audit, majorem paulo hac in re efficaciam fœnerari equidem haud dubitaverim, quantumvis nemini auctor sim, ut huic soli confidat. Ex his interim adparet, ut in magnis magnus est, de quo multi multa, ita in minimis non esse minimum, *arborem non arborem Platonis.*

OBSERVATIO. XXVI.

D. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Ani prolapsus, post dysenteriam annuus, curatus.

Filiolus Conrectoris quatuor annorum, ante annum dysenteria correptus, ea cessante, per octiduum mucosa dejecit, cum ani procidentia. Ex eo tempore nulla

non tentata fuere remedia, at frustraneo cum effectu. Juvat nonnulla eorum in medium proferre : Rustica oleum lini non calefactum, sed sibi relictum, laudibus extulit, quod cognitum exploratumque haberet, ceu adseverabat, hujus frequenti interno pariter, atque externo usu, puellam summo prolapsu adflictam, pristinæ sanitati restitutam fuisse. Chirurgus auctor atque suasor fuit, ut Mastiches fumum ano admitteret. Medicus folia quercus aliaque externe usurpanda suasit. Medicastra vetula tandem in consilium adhibita, negavit vel quidquam auxilii prædicta omnia adferre posse, quamdiu infans in sella alvum deponeret, vel eo temporis articulo, quo huic negotio vacaret, incuruaret corpusculum. Isthæc evitatura mater, reposito prius intestino, puerulo alvum exoneranti, ex eo tempore semper adfuit, hocque consilio factum est, ut rarius paulo, & fere unice post nisum majorem, intestinum rectum in conspectum prodiret. Tandem meum imploravit auxilium, quum videret, consilium istud medicastræ palliationem quidem, non curationem adferre. Præscripsi itaque sequentia : Rec. Rad. Alth. unc. j. Tormentill. drachm. vj. Bistort. Plantagin. ana drachm. ij. & dimid. Herb. Salu. manip. sem. Fl. Hyperic. Rosar. rubr. Balaust. ana P. ij. Malv. P. j. inc. cont. M. harum specierum cochleare plenum, coqu. c. aquæ comm. libr. sem. lavetur hoc ipso decocto intestinum prolapsum, hocque facto inspergatur pulvis sequens : Rec. Sangu. Dracon., Gallar. ana drachm. j. Mastich. drachm. sem. M. F. Pulvis subtilissimus. Insperso pulvere reponatur intestinum, tum spongia, dicto decocto imbuta, sæpius adplicetur, ac spleniis & ligatura ex arte firmetur. Hisce ergo factum est, ut filiolus iste ani prolapsum denuo passus non sit.

OBSERVATIO XXVII.

D. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Alui Obſtructio trium ſeptimanarum, gallinæ non deplumatæ juſculo ſoluta.

VIr fide digniſſimus, quum valetudini illius minus proſperæ præeſſem, inter alia mentionem injecit morbi fratris ſui, qui illum adfecit, vitam tum temporis in civitate, & claritate & magnitudine memorabili, tranſigens. Morbus ipſe, inquiebat, unice in alui obſtructione conſiſtebat, cum doloribus intolerabilibus conjuncta. Vocatus Medicus nihil opis attulit. Huic in auxilium adhibentur quinque alii ſatis celebres doctique Medici. In uſum ab iis vocata, interna pariter atque externa, tot Clyſteres, omni caruere effectu. Medicus ætate gravis tandem conſultus, omnis, inquit, ſpes decollavit. Balneum aquæ dulcis, animi deliquium, nihil vero emolumenti attulit. Tres jam ſeptimanæ elapſæ erant, neque tamen vel ſemel alvum depoſuerat æger. Frater anxietate & mœrore confectus, omnibus irritis, multa opera quærit hominem ea in civitate degentem, eodem morbo gravi, iisdemque dolorum tormentis jactatum. Tandem adducitur, qui ſe eadem valetudine gravi tentatum, eademque ratione omnibus remediis fruſtra uſum fuiſſe, adfirmat, donec id ſibi conſilii datum fuiſſet: Accipe gallinam, torque collum, ut hac ratione moriatur, pennis non evulſis, totam menſuris duabus aquæ injice, quas continet vas terreum, optime claudendum, hoc ipſum dein lento igni committe, & coque, ut juris menſura dimidia remaneat. Jus hoc potum, alvum officio ſuo ſtatim reddidit. Nulla interjecta mora eadem peragitur res, juſculum offertur, recuſat, quod nec poſſet, nec vellet amplius reme-

diis uti. Gallina interea temporis deplumata monstratur, inde certior factus, esse gallinæ, non aliud decoctum, hancce sorbitiunculam avidus sumsit, & extemplo alvum deponit, pristinamque recuperat sanitatem. Quæsitus, cujus coloris gallina usus sit, non, inquit, nigra, sed varii coloris, eaque pingui, ex qua jus prodiit clarum. Rebus nondum desperatis in passione iliaca, fortean hoc obstructionis remedium itidem proficuum erit, id quod tamen experientiæ, rerum magistræ, committo. In passione iliaca herniosa & convolutionis, huic cum gallina decoctæ aquæ, aqua haud dubie hærebit. Cæterum ut binis votis, aluo renitentissime clausa, satisfecit, si aliis aliorum respondeat votis, quod pariter voveo, remedium erit vel hoc nomine suspiciendum. Non est vero quod data eam in rem, heic loci, opportunitate silentii peplo involvam, irritis in simili casu omnium consiliis, succum pomorum Borsdorffianorum a vetula adlatum, illico alvum laxando auxilio fuisse.

OBSERVATIO XXVIII.

D. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Nyctalopia hæreditaria.

NUncius Gersmaria, pago quodam, Francobergensi oppido vicino, a Pastore illic loci ægrotante, ad me missus, inter alia quoque mentionem fecit filiæ suæ, illamque per diem optime videre, eo autem in vesperam inclinante, & prima luce nihil plane dignoscere posse refert. Penitius inquirenti mihi respondebat, infantem suum duorum annorum, sicuti illa quatuordecim annos nata, Nyctalopia, quam vernacula *Nachtschatten* vocabat, laborare, adjiciens simul, morbum hunc esse hæreditarium, non ex ejus, sed

ſed uxoris parte. Hanc ipſam quidem hoc morbo non adfligi, attamen ex eo male ſe habuiſſe filios duorum fratrum patris a prima ſtatim juventute, haud ſecus ac liberi ipſorum. Cum ergo cognitum exploratumque haberem, prognoſin ordinariam eſſe cæcitatem, inquiro ulterius, quis fuerit mali, in aliis hujus familiæ, eventus: Ille, qui in Noſocomio Haynenſi, inquit, vitam agit, & in præſenti ſexaginta annorum eſt, ultimis temporibus cæcitate correptus eſt, hac vero duo alii non ſunt adfecti, quantumuis unus antequam diem ſuum obiret, ſexageſimum, alter quinquageſimum annum attigiſſet.

OBSERVATIO XXIX.

D. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Hæmorrhoides cæcæ, fluxum hepaticum mentientes.

VIr illuſtris, ſexageſimum ſecundum annum jam agens, temperamenti melancholico-ſanguinei, quum meæ ſe commiſit curæ, jam per undecim annos vitam tranſegerat valetudinariam. Ego vero juſta rationis lance ponderatis moliminibus hæmorrhoidalibus, quæro ex eo, utrum hæmorrhoidibus cœcis? an apertis? quandoque laboraverit. Reſpondet ille, ante initium valetudinis adverſæ, quæ me tot annos male habuit, moleſtabant me hæmorrhoides cæcæ; medebatur vero his Medicus ex voto quibusdam externis. A ſiniſtra hac curatione, tot ſymptomata, tamquam ex equo Troiano, prodiiſſe ratus, animum ad hæmorrhoides adplicabam, quæ, datis eam in rem remediis, primum cæcæ, haud ita multo poſt ſimul apertæ in conſpectum prodibant. Qui ergo a fati limine paucos abeſſe paſſus videba-

tur, jam per multorum annorum decurſum minus imbecilla, quam antea, tenetur valetudine. Interim ante ſexennium ſe exſerebat fluxus per inferius guttur, ſine doloribus, nunc magis aqueus, nunc magis ſanguineus, loturæ carnis variæ inſtar, induſia, caligasque multum inficiens. Quæſitus, quum hæmorrhoides cœcas extrinſecus ſitas diceret, aliorum, inprimis Regis Galliarum Ludovici XIV. exemplo monitus, in tempore venire omnium rerum primum duxi, & Chirurgo viſitanti provinciam demandavi. Ille vero, re peracta, nihil vel ulceroſi, vel fiſtuloſi, vel læſi ſubeſſe adfirmat. Nemo non proinde, hunc integerrimæ vitæ virum, fluxu hepatico adfectum credidiſſet. Datis variis, quum fluxus nihilo minus incrementa caperet, primum interpolatus, tractu temporis fere continuus, & vires ſenſim ſine ſenſu imminuens, novam urgebam viſitationem. Id officii tunc alii Chirurgo imponebatur. Hic hæmorrhoides cœcas, externe conſpicuas, inſtar carnis crudæ ſe habere pronunciat, ſuadet adſtringentia, quæ has ipſas ad interiora ducant. Negavi iſthæc ex uſu eſſe, quod fluxuris hæmorrhoidibus, magno ſanitatis detrimento, obex his ipſis ponatur. Albo contra calculo notavi experimentum, quod fecit æger, noſter amor, dum linteo molliuſculo, lenta manu, ab externis ad interiora prominentes cæcas reduxit. At quotiescunque alvum deponeret, toties exteriora denuo petebant, dicto tamen modo facillime priſtino loco reſtituendæ, in quo negotio, quod notari omnino meretur, ſpiritum convenienter ducens, multum opis manuariæ operationi tulit. Ex eo tempore omnis fluxus, qui hepaticum mentiebatur, ceſſavit, nulla vel interna, vel externa medela, hac manuali excepta, adjutus. Ubi vero, quod rarius factum, cum fecibus exeuntes cæcas, ſuo loco reddere oblitus eſſet, extemplo rediit fluxus, ſtatim poſt reductionem cœcarum ceſſans. Fratri ſuo idem fuit malum, eadem cauſa, eadem curatio.

Huic

Huic hæmorrhoides cæcæ longitudine dimidium, latitudine integrum pollicem æquant. Majori adhuc craſſitie ſunt conſpicuæ, ubi fluentes inſtant. Nihilo minus tamen has ipſas, levi negotio & ſine dolore, jam a multo tempore, dicto modo ad juſtum defert locum. Hæmorrhoides apertas obſervat, & hic & ille, cum ante, tum poſt hanc operationem manualem quotidianam eodem, ut olim, modo, vires per fluxum hepaticum putatitium detritæ, ſibi, per hoc unum artificium, & diætam congruam, reſtitutæ ſunt. Medicus, qui ſibi videtur, quod arrogantis eſt, fallere & falli neſcius, videat, quam facile fallere & falli, vel hoc exemplo edoctus, poſſit. Ne aliis imponat fluxus, ut ovum ovo, hepatico ſimilis, hæc in medium adferre lubuit, ſperans fore, ut hepaticus fluxus, in ſe rarus, rarior adhuc in poſterum habeatur pariter atque videatur.

(*Fritzlaria Erfordiam miſſa d. 12. Decembr. 1741.*)

OBSERVATIO XXX.

D. D. CAROLI PHILIPPI GESNERI.

Sectio anatomica mulieris Furore uterino defunctæ.

MUlier quadragenaria, habitus corporis ſatis robuſti, macilenta, aliquot liberorum mater, complures annos cum mariti ſui, honeſti artificis, ſocio operis textorii, familiarius quam decebat, vixerat. Accidit poſtea, ut juvenis ille diſcederet, mulier vero magnam ſpeciem religionis præ ſe ferret, tectura forte famam, quæ apud vicinos de vitæ ejus ratione increbuerat, vel ſerio etiam religionis ductu impulſa. Quidquid ejus ſit, non diu ſuſtinuit illam perſo-

personam ferre: subito adeo aucti illi sunt lasciviæ stimuli, ut per ipsam non steterit, quo minus obviis quibusque commisceretur; qua quidem re maritus coactus est, illam ipso illo die in publico Nosodochio catenis coërcere. Pulsus minus celer, quam magnus, & ipsius morbi ratio, quem *Furorem uterinum* esse adparebat, V. Snem largissimam imperabant. Illa vi administrata, nequidquam sopitus est morbus, quin perrexit vestes lacerare, viros temere ad illam adcedentes arripere, & nuda stramine, ligno, digitis, turpissimam libidinem explere, quæstionibus ipsi factis non respondens, sed subinde de juvene illo suo aliquid submurmurans. Cibi, potus, medicamentorum omnino nihil ingeri illi poterat, excreta tamen respondebant cibo potuique hesterno. Ita noctem & diem sequentem peregit, pulsu, quantum in furiosa explorari poterat, satis constante. Sub vesperam cum nihil remitteret detestanda rabies, Medicus, cui mandata est cura Nosodochii, Opii tantillum illi ingeri præcepit. Quod cum post magna molimina successisset, noctem satis tranquillam habuit, sed nihilominus mane oblatum potum constanter respuens, rationis usu non recuperato, circa meridiem præter spem tranquillam mortem habuit. Incitavit hæc historia ad quærendam in cadavere morbi mortisque causam. Diuturnam sectionem maritus & parentes fœminæ non concesserunt. Inveni nihil sedula, pro temporis ratione, inquisitione, quam clitoridem quidem majorem, quam solet, uterum cum vagina amplissima valde rubicundum, & inflammatione notatum, ovaria turgida & præter naturam magna. Intestina, ventriculus, præter quod vacua omnino essent, nihil peregrini habere videbantur. Neque in hepate, liene, capitis & thoracis contentis, aliquid est inventum, quod non pro mortis potius effectu, quam causa haberi posset. Sed, quod curiosum inprimis notatu visum est, ren dexter vix tertiam magnitudinis ordinariæ partem æqua-

quabat, arteriæ & venæ emulgentes illius lateris multo minores erant, quam ſolent, cortex renis totus contabuerat, certe vix lineam craſſius erat, ureteris autem diameter, ad dimidium pollicem excreverat, tunicarum craſſitie pro ratione cavi aucta, quæ undique vaſis ſanguiferis perreptabantur. Non diu quærenda fuit cauſa hujus immutatæ ſtructuræ. Inveni mox calculum, proxime ad inſertionem ureteris in veſica hærentem, accedentem ad nucis avellanæ figuram & magnitudinem, cruſta ſanguinis congrumati ſatis craſſa & valde dura obductum, & adnatum ureteris parti veſicam ſpectanti, ad diametrum ordinarium contractæ. Servo renem hunc cum uretere calculoſo. Inquiſivi tunc diligenter a marito, patre & amicis mulieris, an unquam de ſymptomatibus calculi, quæ enarrabam, queſta ſit. Omnes conſtanter negarunt, quidquam ejusmodi ſibi conſtare. Quod certe, ſi verum eſt, monſtrat, quam abdita interdum latere poſſint corporis humani mala. Forte ipſa illa ſalacitas horrenda fœminæ inter alia debetur reni corrupto, & majori inde copiæ ſanguinis ad uterum delatæ, quæ tum demum, cum minus expleretur tetra libido, tragœdias, quæ dictæ ſunt, peregit.

(Gœttinga Erfordiam miſſa
d. 17. Decembr. 1741.)

OBSERVATIO XXXI.
D. D. JOAN. GODOFREDI BUCHNERI.
De fontibus mineralibus ac ſalutaribus in Voigtlandia occurrentibus.

QUod de illuſtri olim Burggraviatus Norici Principatu ſuperiori dictis celebravit, in libro, de *Fontibus ſoteriis, Joh. Georg.* LAURIZIUS, totam nempe illam regio-

regionem fontibus hujusmodi ſcatere pluribus atque abundare, vere etiam de Voigtlandia pariter omnino adfirmandum eſt vicina. Teſtatur id inter alios maxime *Joh. Andr. PLANERUS*, in Hiſtoria Variſciæ, his verbis: *Aqua ſalubris, cum primis acidulæ, quarum magna paſſim vis ſcaturit.* Immo teſtantur id etiam tot fontes minerales ipſi, ex interioribus terræ hinc inde meatibus ſcaturientes, puri utplurimum ac pellucidi ſuaviſſimique ſaporis, acidi aliquid & ferrei linguæ communicantes.

Deſcriptionem ejusmodi thermarum in ſpecie exhibuit A. 1665. *Joh. Georg. GEILFUS* in *Relatione de fonte ſoterio Reichenbacenſi*, & Doct. *Math. Zachar. PILLINGER* in *Deſcriptione aquæ mineralis Ronneburgenſis*, Altenburgi A. 1667. typis exſcripta, quarum autem virtus an adhuc etiam duret, aut ſucceſſu forſan temporis exſpirarit, me quidem latet. Extat etiam *Georg. LEISNERI* Tract. cui nomen: *Acidularum Eliſtranarum lympha* Anno 1669. quæ aquæ ſal quoddam neutrum & ferme etiam incognitum, a quo inſignis virtus aperitiva & diuretica eſt derivanda, continent. Conf. illuſtris *HOFFMANNUS* in *Diſſertat. Phyſico-medic. X. §. 22.* Alius vero cujusdam fontis brevibus mentionem facit Dn. *VILLIUS* Teuton. Paradis. Pinif. P. III. cap. 5. *In medio*, inquit, *Niderutho, pago inter Himmelreich pagulum & Adorfium oppidulum, ſcaturiunt ſalubres cæmentis rite ſeptæ acidulæ, ejusque generis aliæ, non procul inde apud Eliſtram pagum & fluvium Eliſtrum.*

Sic quoque notatu pariter ſunt digna, quæ de fonte in templo S. Adelheidæ dicato, & ad uſus domeſticos in arce Greizenſi inferiori hodie deſtinato, protulit olim *Jac. COLERUS* im Haußbuch Lib. XVIII. p. 128. ubi hæcce habentur: In meines Vaters Heimat zu Greitz war ein ſchönes Kirchlein, das lag in einer luſtigen Auen, zwiſchen Greitz und Reichenbach, welches die Einfältigen zu S. Oletten (rectius

ctius Adelheit) hiessen, darzu war ein grosser Zulauf von allen Orten der Welt auf viel 100. Meilen. Hinter dem Altar quillete ein heller Born, der solte der heiligen Apollonia (rectius Adelheit) durch die Ohren lauffen, wie die armen Leute da sagten. Wer daraus trüncke, dem vergienge das Zahnwehe und die Flüsse in den Zähnen, wenn man morgens dieselben mit frischem Wasser spülete. Es stünden auch in der Kirchen viel grosse Kasten voller wichsernen grossen Zähne, darunter waren auch etliche grosse Bilder aus Wachs gemacht. Aber, mein Groß-Vater, der 26. Jahr zu Greitz Superintendent gewesen, hat die Abgötterey zerstöret, und die wichserne Kertzen, Bilder und Zähne nach Greitz gebracht, und die Kirche stehen lassen. Ex quibus omnibus abunde satis patet, id, quod viribus fontis hujus naturalibus, atque salinæ, vel mineralis naturæ licet expertibus, propter aquas tamen molles, mites ac lenes, nihilo minus salutaribus, jure ibi erat tribuendum, perperam ex superstitione S. Adelheidæ tunc fuisse adscriptum.

Innotuerunt ibi pariter in præterito seculo acidulæ, in planitie infra piscinam, vulgo dictam *der Binsen-Teich*, prope Elistrum fluvium prosilientes. Aqua ipsa saporis est acrioris, qui martem ac chalybem labris saltem primis gustantibus apertissime prodit, siquidem etiam hic Crocus martis in ejus defluxu ad oculum satis patet, qua de causa & a Medico quodam peculiari de isto litteris consignato consilio, pro fonte chalybeato est habitus. Ast ab aliis heterogeneis scaturiginibus nondum est distinctus, nec, uti moris, casa lignea aut lapidea munitus, raro tamen hiberno tempore congelatur, hincque de subtilitate partium præbet testimonium. Eandem vim ac virtutem habere creditur fons quidam non procul ab urbe *Pausa*, in vireto perquam benigno ebulliens, hincque ab aliquot annis non pauci morbis laborantes ad hancce contendebant Bethesdam. Par etiam acidularum in

pago *Schonbach*, ad Dynaſtiam *Ober-Greiz* ſpectante, eſt ratio: Hæ enim aquæ plerasque acidularum Egranarum ſuſtinent probationes, mitiores tamen ac leniores ſunt, quamvis tenore ac ſapore iis videantur ſimiles; ad coquendam vero cerevifiam, ob fortiorem extrahendi vim inprimis ſunt aptiſſimæ, ſiquidem ejus majorem proinde, ac aliæ, præbent copiam.

Immo in univerſum fere omnia in Voigtiandia propterea commendari merentur loca, hincque illuſtris *HOFFMANNUS* rectiſſime iſta inde prædicat his verbis: *Voigtlandia, quæ ſereniſſimo Duci Zizenſi, Principi incomparabilis eruditionis, paret, optimas aquas & ſaluberrimas quoque cerevifias, diu durantes, nec ſtomachum, nec alvum turbantes, celerrimeque per urinam tranſeuntes, alit.* Vid. Diſſ. phys. med. X. p. 191.

Silentio etiam hic non plane fons quidam prætereundus in Dynaſtia *Lobenſtein*, proxime ad pagum *Steben* ſitus, ac vulgo *der Sauerbrunnen* dictus, a quo deinde molendinum ipſi vicinum nomen pariter *der Sauerbrunnen-Mühle*, accepit. Salubres enim eidem aliquas etiam ſubeſſe vires, acidulæ Stebenſes famigeratiſſimæ dubitare nos haud ſinunt. Conf. Dn. *LAVRIZ.* l. c.

Tandem An. 1725. fama valde celebrari cœpit fons ille mineralis ac ſalubris apud *Reiboldsgrün*, in ſylva verſus officinam ferrariam, vulgo nominatam *der Rautenkrantz*, e ſolo ſabuloſo, minerisque ferri admodum rubicundis permixto, ſcaturiens. Inventor illius fuit *Jeremias Schulzius*, S. R. M. Poloniæ & Electoris Saxoniæ Scriba Sylvarum Schoneccenſium & Auerbacenſium foreſtalis; Dn. *Joh. Chriſtianus LEHMANN* autem, Lipſienſis Profeſſor & Medicinæ Doctor celeberrimus, nomen ei, in memoriam Reginæ quondam Poloniæ, indidit, dumque vires ejus medicas exploravit, quas ad bibendum non modo, ſed & balneandum externe aptas utilesque judicavit, *Chriſtianæ Eberhardinæ fontem* ſalu-

salutavit. Constat nempe particulis ferri subtiliatis atque vitriolicis, gustu facile ac visu percipiendis, siquidem ochra ejus in fornace siccata Magneti adhæret, & in lingua saporem relinquit adstringentem, aqua ipsa vero, cum pulvere Gallarum mixta, atrum nanciscitur colorem. Cæterum in se coloris est crystallini, odoremque volatilem & sulphureum spirat. Continuo ista bullas emittit, ac per aliquod tempus tecta cuticulam versicolorem ostendit. Ex mente laudati igitur Dn. *LEHMANNI* omnem stomachi discutit acorem, alui aperit obstructiones, externe membra confortat, tumores discutit, varias cutis inquinationes, nec non articulorum dolores, ac hypochondriacos quoque sanat adfectus, ceu exemplis & rationibus id ulterius demonstravit in Tr. *de Fontis soterii noviter inventi qualitate & salubritate.*

Hæc igitur aquarum & fontium salubrium est copia, quam benignissimum Numen ex officina subterranea gratis & largissime nostræ elargitur regioni, atque ubivis ferme misero generi exhibet humano. Ecquis ergo gratissima mente hocce non agnoscat beneficium? Sane, cum ex omnibus iis, quæ extrinsecus, & sic proxime ad sanitatem tuendam morbosque in homine pariendos conveniunt, nihil majorem vim atque potentiam ipso aëre & aqua habeat, interest utique, ejus loci, quem inhabitamus, aërem & aquam earumque proprietates accuratius nosse; quo circa non possum non adstipulari celeberrimo Dn. D. *Joh. Fridr. HENCKEL*, quando in *Actis hisce phys. med. Vol. I. p. 38.* unicuique, inprimis exoticas thermas tam operose tamque anxie petenti, ad animum revocat, cur nunquam periculum faciat, quid valeant fontes in domo sua, in propriis terris suis, aut in vicinia? *Firmiter*, ait, *persuasus, aquas minerales non adeo raras, quin plures, immo omnes subterraneas non posse non esse minerales, saltem plus minusue tales, & forte minus tales quandoque*

 salu-

salubriores, verbo: Soterios fontes nonnunquam existere propiores, quam quod tanto pretio peregre quaerantur.

(Greiza Variscor. Erfordiam missa d. 15. Januar. 1742.)

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI,

Exhibens casum

De

Arteriæ cruralis vulnere periculosissimo feliciter curato.

SUtor quidam ex primariis hic Helmstadii, die XIV. Maji, anni 1741. tempore matutino, hora circiter septima, cultro quodam acuto, quali plerumque ad calceos conficiendos, coriumque exscindendum atque adaptandum uti solent hi opifices, malo fato *arteriam cruralem* in femore dextri pedis, amplo satis vulnere, graviter sibi vulnerat, id quod sequente modo contingebat: Sedebat in sella, atque in calceo quodam perficiendo, sive exasciando, occupatus, forte fortuna culter iste ipsi e manu excidit; genubus vero fortiter adductis eum subito excipere satagens, id quod homines in ejusmodi casibus plerumque facere solent, manubrium cultri, qui cadendo transversam acquisiverat posituram, in sinistri femoris partem inferiorem impingit; cuspis vero acuta dextri femoris interiorem partem respiciebat, quam itaque ea contractionis genuum vi ac impetu, mala fortuna ita in femur dextrum, ad sex circiter digitos transversos supra genu impellebat, ut *arteria cruralis*, sive rectius, *femoralis,*

lis, hoc ipso secundum lineam rectam (vid. *Tab. II. Fig. I. litt. A.*) graviter vulneretur. Factum enim est statim, ut ingens sanguinis copia, sicut in omnibus majorum arteriarum læsionibus accidere solet, ex hoc etiam vulnere cum impetu mox prosiliret.

Vulneratus satis intrepidus, partim ipse, partim præsentes & adstantes ejus domestici, quum id viderent, concurrentes ægroque subsidio venientes, *vulnus partim digitis, partim linteaminibus comprimere*, sanguinisque profluvium vehemens cohibere tentant ac student, non putantes, quod vulnus hoc adeo grave ac periculosum esset; cum vero illud non possent, & æger jam ex magna sanguinis profusione valde debilitaretur, de salute sua sollicitus, Chirurgum legionis militum primarium, qui non adeo remote a vulnerato degebat, advocari curat, compresso interim vulnere linteamentis & digitis, quantum poterant. Qui cum veniret, vulnus adhuc multum sanguinis fundebat, id quod linamentis carptis, liquore quodam styptico imbutis, itemque *Lycoperdo*, quod *Bovist* vulgo adpellant Chirurgi, probe replebat, super impositis spleniis variis, ac fascia, ea spe, fore, ut sanguinis profluvium ita cohiberi queat.

Cum vero hoc non sufficere videret, dum sanguis hæc omnia, licet digitis ea probe comprimeret, larga adhuc copia penetraret, Chirurgus hic senex & satis expertus, alios adhuc in auxilium vocari desideravit, præsertim cum ægrum sensim valde languescere conspiceret, & mortis periculum satis inde agnosceret. Vocabatur itaque ex ædibus meis quidam Medicinæ ac Chirurgiæ veteranus & probe exercitatus Studiosus, cui nomen *WAGENERUS*, Dethmoldiensis, qui cum ex nuncio locum vulneris & gravitatem profusionis sanguinis intelligeret, *machinam tortilem*, vulgo *Torcular*, sive *Tourniquet*, dictam, & speciatim eam a me correctam,

ctam, *a.*) cum cæteris ad hanc rem requisitis necessariis mox secum fert, atque ad ægrum deveniens, arteriam cruralem læsam esse, ex loco vulneris & ingenti copia sanguinis, quam in terram atque in linteamenta ac vestimenta jam profusam conspiciebat, & qui adhuc fluebat, neque Chirurgi castrensis deligatione & compressione penitus cohiberi poterat, haud sine ratione judicabat.

Præ omnibus igitur, dum Chirurgus castrensis os vulneris linamentis & digitis, quantum poterat, comprimebat, torcular indicatum, *præstantissimum atque divinum in his malis remedium*, femoris parti superiori admovebat, vid. *Tab. II. fig. 1. lit. B. C.* imposita scilicet fascia in cylindri formam convoluta & crassa, loco B. ubi truncus hujus arteriæ femoralis situs esse solet, & circumducto idoneo longo splenio, clausoque cingulo B. C. torcular ad locum C. sive in exteriore femoris parte, supposito & huic splenio crasso, trochlea stringebat, donec in vulnere sanguinis profluvium cessaret.

Cum vero hic, dum casum ejusmodi nondum vidisset, & multa adhuc agenda superesse probe cognosceret, viribusque suis, ut prudentis junioris Medici & Chirurgi est, in re tam ardua & periculi adhuc plenissima, non satis confideret, me adhuc advocandum esse, ægro, uxori & amicis ægri mox suadebat, qui me etiam cito advocandum curarunt.

Cum igitur unacum aliis Studiosis Medicinæ mox advenissem, & torcular rite adhibitum esse vidissem, hoc non sufficere dixi, sed præmisso prognostico de curationis summa difficultate atque eventu dubio, aptum vulnus hoc arteriæ periculosissimum deligandi modum, me primum ad vitam & pedem ægri servandum adhibiturim esse, avebam, qui,

a.) vid. Instit. meæ Chirurg. Tab. V. fig. 6.

qui, si feliciter succederet, ut spes mihi adhuc superesset, bene pro ægro esse, e contrario, si ille, laxato, quantum satis est, torculari, non succederet, & sanguinis profluvium hoc non cohiberi queat, vulnus incidendum, arteriamque læsam quærendam & circumducto filo supra vulnus ligandam esse; immo, si forte non nisi unicus, arteriæ cruralis truncus hoc in femore adesset, sicut sæpe observari solet, subinde ne ligaturam quidem arteriæ læsæ ad sanandum hoc malum sufficere, quia tunc partes infra ligaturam positæ, ob sanguinis arteriosi hac ipsa sublatum influxum, sphacelo corripi solent, ita, ut æger sine ablato crure summoque vitæ discrimine servari non possit.

Interea tamen me blandiorem, qui apta scilicet deligatione fit, modum prius tentaturum esse promisi, cum spes esset, eum una cum prudenti torcularis usu hic succedere posse: quia scalpellum arteriam forte non transverse divisisset, aut omnino inferiorem arteriæ partem a superiori resecuisset, sed *secundum longitudinem tantum incidisset*, quæ læsio faciliorem curationem admitteret.

Itaque vulnere, linamentis carptis ac probe contortis, alcohole vini bene imbutis, repleto, Lycoperdum his super imposui, super hoc splenia tria crassa, gradatim majora, quorum primum longitudinem vulneris paulo superabat; alterum hoc rursus paululum majus, tertium vero rursus hoc alterum magnitudine superabat, eaque Chirurgo firmiter continenda, committebam.

Postea *splenium longum angustum & duos digitos crassum*, ea longitudine, ut *Tab. II. fig. I. a lit. A. ad B.* se extenderit, ei tractui femoris interiori, qui hic punctulis D. D. indicatur, ubi truncus arteriæ læsæ situs esse solet, imponebam. Hoc facto, *fasciam* longitudine sex ulnarum Parisiensium sumsi, quæ tres digitos lata erat, eamque circa vulnus & splenia, gradatim ipsi imposita, sexies, ad splenia hæc supra vulnus

probe firmanda, circumduxi ; postea per ductus spirales obtusos ad genu descendi, factoque uno circuitu infra genu, sursum ad femur & vulnus readscendi, factisque iterum aliquot super primis in loco vulneris ductibus, ad os vulneris tanto melius comprimendum & claudendum, sicut fere alias in fracturis simplicibus ossis femoris fieri solet, a vulnere sensim per ductus similes spirales obtusos sursum versus torcular B. C. adscendi ; verum ab hoc loco femoris supremo sic sensim versus vulnus rursus descendi, ut his spiris splenium illud longum & crassum, in loco D. D. positum, rite firmarem, eoque modo arteriæ truncum subtus positum apte comprimerem, quo, relaxato postea torculari, impetus sanguinis in hanc arteriam & vulnus multum imminueretur, atque sic sanguinis nova profusio non solum impediretur, verum etiam ora vulneris in arteria rectius rursus glutinari queant. Denique factis adhuc aliquot ductibus laxioribus, spiralibus, modo sursum, modo deorsum, ad præcedentes melius firmandos, finem fasciæ, ubi desinit, acu & filo firmari jussi.

Fascia itaque sic injecta, ægroque in lectulo commode collocato, torcular non removi, neque in totum, sed tantum ejus trochleam ita blande relaxavi, quantum pro aliquo influxu sanguinis in femur & totum pedem procurando, opus esse credidi, id quod ex modico tantum ac tolerabili doloris sensu, quem æger percepit, dijudicandum esse docui. Nam quam diu vehementem æger dolorem in loco, ubi torcular collocatum est, percipit, nimis hoc adhuc constrictum esse inde colligi potest, satis vero illud relaxatum esse docet, quando constrictionem & dolorem tantum modicum, eumque satis tolerandum, æger sentit.

Hoc itaque in statu, ordinatis tamen prius medicamentis roborantibus, subinde sumendis, præscriptoque apto victus regimine, a me hac vice relictus, verum curæ & Studiosorum

diosorum Medicinæ & Chirurgi, qui primus apud ægrum aderat, a me commendatus erat, quorum duo minimum per plures dies atque noctes vigilias apud ægrum egerunt, quique non solum novis adhuc spleniis & fasciis, atque simul, si forte hæmorrhagia quædam nova incideret, quomodo torcular dirigerent, illudque rursus constringerent, a me instructi erant. Ita æger mortis periculo non solum ereptus, & ut dici solet, ex orci faucibus extractus; verum etiam tandem feliciter & perfecte, duorum circiter mensium spatio, curatus est, ita, ut postea ad consuetos suos labores redire potuerit, & optima adhuc dum sanitate, sine ullo incommodo fruatur. Quid vero in curatione actum, quomodo vulnus postea deligatum ac sensim glutinatum sit, paucis exponam.

Altero itaque die, *cum aliquid sanguinis splenia & fasciam penetraret*, constituti a me præsentes vigiles, constricto prius paululum torculari, nova illa jam parata splenia crassa vulneri super imposuerunt, eaque fascia nova super prioribus bene firmarunt, sic sanguinis hocce novum profluvium, sicut hac ratione sæpe fieri solet, cohibitum est.

Hæc deligatio quarto demum die, constricta prius parum trochlea torcularis, a me cautissime *soluta est*, & quidem sic, ut non nisi sanguine inquinatæ fasciæ ac splenia, quæ sponte recesserunt, blande removerentur: id quod sine novi sanguinis profluvio fiebat.

Mox vero rursus nova splenia gradatim majora, aqu. Calc. vivæ & Spir. vini camphor. imbuta, calide, inferioribus relictis, super imponi curavi, vulnusque, ut prima vice, deligavi, relaxato postea rursus aliquantisper torculari: atque hoc deinde tertio quovis die repetebatur, donec eæ res, quæ in prima deligatione vulneri infarctæ erant, sponte exciderent, quia præmatura earum evulsio perniciosissima est.

Postea linamentis carptis novis contortis iisque multis, unguento digestivo calido largiter imbutis, vulnus hoc & sequentibus deligationibus probe replevi, relicto torculari per 4. hebdomadas circa femur, mitius sensim constricto; illumque deligandi modum per sex quasi hebdomadas, nisi quod ad firmiorem arteriæ læsæ cicatricem inducendam, tertia hebdomade laminam metallicam ovatam infimo semper splenio immiserim, continuavi donec vulnus maximam partem carne nova repletum esset.

Denique ultimis hebdomadibus loco unguenti digestivi vulnus linamentis Balf. Copaivæ impraegnatis, spleniis & fasciis, ut antea, deligavi, ac tandem linamenta sicca cum emplastro, spleniis & fasciis, donec hoc vulnus omnino glutinatum esset, super imposui.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI.

de

Nova machina ad aneurisma in femore, post Vulnus arteriæ, avertendum.

CUm ad finem fere curatio vulneris hujus arteriæ cruralis modo descripti pervenisset, ulterius adhuc sollicitus fui de aneurismate avertendo; id quod alias facile, licet ejusmodi vulnera etiam sanata sint, postea adhuc supervenit. *a.*) Ad hoc vero præstandum, non solum sub

a.) Vid. non solum meæ *Institut. Chirurg.* de *arteriarum læsionibus, in vulneribus, vel venæsectione*, & Capite *de aneurismate*; verum etiam præstantiores Scriptores alii de iisdem argumentis.

ſub ovatam laminam quandam metallicam, quinta vel ſexta deligatione, ut in præcedenti obſervatione dixi, vulneri ſuperimponi curavi, verum etiam *machinam aptam coriaceam ægro propoſui*, quam ipſi, ſanato etiam vulnere, circa locum vulneris diu geſtandam ſuaſi, ut ſic recens nimisque mollis tunc adhuc arteriæ cicatrix, donec probe induretur, compreſſa ſervetur, quia alias facile, niſi ſic impediatur, aneurisma periculoſum ſequeretur. Hoc cum vulneratus intelligeret, ipſe ſibi, quia in corio tractando bene exercitatus erat, hujusmodi machinam confecit, quam *Tab. II. fig.* 2. & 3. exhibemus, & quæ ita ſe habet:

Confici juſſi lorum coriaceum ſatis amplum (vid. *fig.* 2. *lit. A. A.*) quo femoris partem inferiorem in loco, ubi vulnus fuit, ope fibularum B. B. & minorum lororum C. C. apte cingi atque conſtringi queat. Huic inſeri curavi *laminam ovatam ferream*, corio molli obductam, lit. D. cicatrici, ſubmiſſo prius ſpleniolo, adaptandam; alterum poſtea lorum anguſtius & multo longius E. E. dum prius A. A. femori erat circumductum, circa infimam ventris partem firmandum, & fibula F. quoque per lori E. E. extremum G. G. ibidem adſtringendum, id quod per duo lora, ſive fruſta coriacea H. H, H H. ad perpendiculum deſcendentia, cum inferiori A. A. ſuturis jungebatur, ne hoc deorſum cedere & locum læſum relinquere potuerit; id quod in *fig.* 3. quomodo femori injectum fuerit, oſtenditur, ubi litteræ huic figuræ adjectæ idem notant, quod in figura præcedenti; hinc, brevitatis ſtudioſus, hic ea, quæ modo dicta ſunt, repetere nolo. *Hanc machinam coriaceam per plures menſes conſtanter* ita, ut in fig. 3. oſtenditur, circa femur probe firmatam, geſtavit, donec cicatrix optime eſſet indurata nullumque aneurismatis indicium ſe proderet.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI.

de

Arteria brachiali ſæpe duplici, & non facile amputando brachio, ob læſam arteriam brachialem.

JAm dudum in ſcriptis meis, & anatomicis & chirurgicis, illud problema ſolvendum, Medicis, Chirurgis & Anatomicis eruditis propoſui: *Qui nimirum fieret, ut, ligata arteria brachiali, in curatione aneurismatis, brachium vivere & conſervari queat, cum tamen juxta figuras Scriptorum anatomicorum de arteria brachiali, non niſi unicus in eo ramus adſit, quo ope fili conſtricto, neceſſario ſanguinis per hunc in brachium inferius influxus cohiberetur, adeoque huic, ob defectum nutrimenti, ſphacelo eſſet pereundum, id quod tamen utplurimum poſt aneurismatis curationem haud fieri, obſervationes & relationes ſcriptorum de aneurismatibus curatis ſatis abundeque evincerent.* Attamen *neminem novi, qui ad hoc problema ſolvendum obſervationes protulerit*, aut deſcripſerit. Interea ego omnem operam impendi, ut lucem intricato, in Medicina tamen & Chirurgia valde utili, huic phænomeno adferrem, multoque labore in *cadaveribus plurimis arterias brachiales & femorales cera replevi*, hisque laboribus tandem hoc deprehendi, quod pluribus in cadaveribus vel duplicem truncum, vel ſaltem duplicem ramum per brachium tranſire deprehenderim; exinde cognovi, & problema propoſitum ipſe ſolvi, *qua ratione fiat, ut trunco arteria brachialis, qui unicus tantum eſſe credebatur, filo conſtricto & glutinato, brachium tamen integrum, tam*

in

in aneurismatis curatione, quam etiam in vulnerata arteria brachiali per ligaturam curata, conservari queat. Atque hanc ob causam, quia multi Chirurgi in vulnerata arteria brachiali, dum brachium, ligata hac arteria, conservari non posse putarunt, amputationem suaserunt, immo instituerunt, peculiari figura ostendere volui, *quod revera sæpe duplex ramus arteriæ brachialis adsit,* alteroque, vel ob vulnus, vel ob aneurisma, ligato, brachium tamen sæpe conservari omnino possit.

Igitur in *fig. 4. Tab. II.* ostenditur brachium dextrum A. A. A. tegumentis communibus denudatum; B. denotat musculum deltoidem; C. truncum arteriæ brachialis juxta deltoidem, ab axillari arteria provenientem; D. locum ubi hoc in cadavere in duos ramos E. E. & F. F. dividebatur, quorum *exterior* E. E. *in latere musculi bicipitis externo situs erat,* & inde ad cubiti flexuram, ac dein supra radium ad pollicem & manum, adeoque in externo brachii latere progrediebatur; alter, sive internus, ad interius latus bicipitis, ubi alias truncus primarius collocari solet, situs erat, & juxta os cubiti, sive ulnæ, ad manum pergebat G. ibique per anastomoses cum priori jungebatur. Quando autem ejusmodi rami arteriæ in parte aliqua sibi invicem adeo propinqui sunt, tunc facile contingere existimo, ut etiam in itinere hinc inde per ramulos e lateribus prodeuntes, & speciatim circa cubiti articulum per anastomoses, ut vulgo dicunt, jungantur, atque sic inter se invicem ita communicent, quo dein uno ligato, per alterum adhuc integrum & apertum, vel etiam per plures minores, sanguis in partes eas, quas antea nutrire solebat, penetrare, hosque ramulos tandem, quousque opus est, sensim dilatare, sicque ligati rami vicem supplere queat.

Hoc ipsum vero minime ita in cerebro tantum effictum esse, demonstrare possunt *exempla varia eorum, qui hac ratio-*

ne

ne a me olim curati sunt, atque adhuc vivunt; ubi in vulnere interioris rami F. F. in brachio, arteriam, ficuti alias in aneurismatis curatione fieri folet, *filo ope acus curvæ*, quam Tab. I. fig. X. aut *peculiaris ferramenti*, quale Tab. VIII. fig. 4. in *Instit.* meis *Chirurg.* exhibet, aliove fimili circumducto, ligavi, & vulnus poftea fecundum artem & deligavi & curavi; unde factum eft, ut filum tandem, glutinata arteria ligata, putridum fponte ceciderit, & vulnus perfecte coaluerit, ægrique poftea nullum damnum in brachio fenferint, fed fucceffu temporis eodem ita libere, ut ante vulnerationem, uti potuerint.

Prædictam autem *ramulorum minorum fucceffivam dilatationem* omnino *poffibilem* effe, inde fufpicor, quia, cum aliquando truncum arteriæ brachialis internum, graviter vulneratum, modo defcripta ratione fupra vulnus, ope fili circum ducti, ligaffem, *intra triduum nullum in arteria juxta carpum pofita,* quæ a Medicis explorari folet, *pulfum percipere potui*: his vero elapfis hanc arteriam primo leviffime micare, fenfimque plenius pulfare obfervavi, indicio manifefto, quod primo poft ligaturam minores illi ramuli, per quos communicatio majoris cum minori fit, fanguinem non nifi exigua copia tranfmiferint, quæ parva quantitas pulfum excitare adhuc nondum potuit, fed *pedetentim ita eos ampliatos fuiffe*, ut fanguis tandem poft aliquot dies libere ac facile, & tandem pleno quafi rivo, ad arteriam carpi tranfire, ficque *brachium integrum & manum nutrire* rite valuerit.

Ex

Ex his igitur, nisi me omnia fallunt, sponte sequi existimo, quod *in ejusmodi vulneribus arteriarum brachialium & cruralium*, primo methodus hæc *in nostro ægro, cui arteria cruralis læsa fuit, adhibita sit* tentanda; si uero hac forte sanguis cohiberi & res expediri nequeat, *ligatura* deinceps *arteriæ mediante filo* in subsidium trahenda; sin vero post hanc sphacelum forte partes inferiores occupare deprehendimus, *amputatio denique* tunc demum, *tamquam extremum & unicum* adhuc, quod superest, *remedium*, sit instituenda.

Præterea etiam ex hac observatione et figura disci potest, quod, si *externus arteriae brachialis ramus* forte vulneratus fuerit, & sanguinis fluxus per remedia blandiora cohiberi nequeat, tunc *ligatura ope fili circumducti*, eadem ratione, ut in interiori ramo docuimus, ille tandem sisti & vulnus sine amputatione brachii sanari possit. Idem judicandum & faciendum esset, si *aneurisma in exteriori huius arteriæ ramo* occurreret, et curandum foret.

Explicatio Tabulæ II.

Fig. 1. ostendit *femur dextrum*, ubi A. notat vulnus arteriæ læsæ, B. C. locum, ubi torcular, imposita prius ad B. fascia, in cylindri formam convoluta & crassa, adplicabatur & ad C supposito splenio crasso, trochlea stringebatur.

Fig. 2. denotat *machinam ad præcavendum aneurisma* adhibitam, ubi A. A. lorum coriaceum, quatuor digitos circiter latum, quod fibulis B. B. & loris minoribus C. C. cicatrici, subjecto prius spleniolo, lamina ferrea, corio molli obducta, lit. D. adplicata, constringebatur; E. E. aliud lorum longius & pollicem circiter latum, demonstrat, circa superiorem femoris partem fibula F. & extremo, foraminibus prædito G. G. firmandum. H. H. H. H. indicant duo frusta coriacea adnexa, lora A. A. & E, E. nectentia, ne illud locum læsum relinquere potuerit.

Fig. 3. exhibet machinam fig. 2. delineatam, femori ſanato nunc adplicatam, cujus litteræ idem indicant, quod in fig. 2.

Fig. 4. monſtrat brachium A. A. A. in quo B. ſiſtit muſculum deltoidem; C. truncum arteriæ brachialis, juxta deltoidem ex arteria axillari prouenientem; D. locum, ubi hic in duos ramos, nimirum E. E. ad latus muſculi bicipitis externum abeuntem, & F. F. ad interius bicipitis latus progredientem, dividebatur. G. locum, qui ramos E, E. & F. F. per anaſtomoſin in manu conjungebat.

(*Helmſtadio Erfordiam miſſa d. 20. Januar. 1742.*)

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FVRSTENAV.

Dyſenteriæ malignæ, in agro Rintelienſi Menſ. Octobr. & Novembr. 1741. epidemice graſſantis, ſuccincta delineatio.

INter autumni initia a. d. ſparſo paſſim de Dyſenteria variis in locis graſſante rumore, ea tanto ſimul impetu pagos fere omnes, oppidum noſtrum ex oriente reſpicientes, invaſit, ut vix tuguriolum aut caſa ab eadem immunis manſerit, incerto etiamnum documento, an ſponte ſua, & aëris forſan vitio, an contagii aliunde forſan adlati adminiculo, malum aut exortum, aut propagatum fuerit. Enimvero a nauta trans Viſurgim degente, & morbo hoc, quem peregre profectus, domumque redux adportaverat, graviter mulctato, malum omne primam in his oris traxiſſe originem plerique exiſtimarunt, cum non multo deinceps, ante hujus mali a nauta repetendam invaſionem, illud in villa quadam, poſt dies caniculares meſſemque, iam acriter ſæviiſſe,

viisse, & villæ primo dominum invasisse, eumque & alios e medio sustulisse, innotuerit. Ad fructus vero horæos mali referre originem tanto foret ineptius, quo certius constat, parcum vel nullum eorundem hoc anno fuisse proventum. Majori forsan jure ad inundationes, hoc anno ineunte & biennio abhinc passim frequentes, ut & hiemem inter utramque inundationem mediam, & post hominum memoriam sævissimam & gelu exquisito ac diuturno asperrimam, mali hujus originem referre licebit. Eodem vero acriter sæviente, & longe lateque serpente, cum provida magistratus cura Medicis ordinariis, ut prævia matura deliberatione ægris languentibus congruis succurrerent consiliis, injungeretur, hi vero provinciam quisque suam alacriter & decenter ornarent, mirum dictu, quam obstinate plerique ægrotantium oblata iisdem remedia respuerint, ut licet inter initia ab adsumtis rite medicamentis non plane nullus consequeretur, idemque optatus effectus; temporis tamen tractu frustranea fere evaderent cuncta Medicorum conamina, plerisque inevitabile, quod firmiter credunt, fatum, loco dubii auxiliorum effectus eligentibus. Inde adeo contigit, ut longe plurimi fatis cesserint, nec nisi paucissimi, & naturæ potius, quam artis ope, cum valetudine in gratiam redierint. Nullum ætatis, sexus, aut vitæ generis notare licuit discrimen, nisi quod in pagana gente malum subsistens ad plebem oppidanam vix alia, quam contagii ope, progressum fecerit. In sexu sequiori primam mali invasionem una cum mensium fluxu identidem animadvertere licuit, in infantibus idem cum lumbricis subinde complicatum fuit, & in universum, quo magis id ipsum cum ciborum fastidio, & adsumtorum vomitu stipatum extitit, eo majus & evidentius vitæ adfuit periculum. In illis, qui morbum superarunt, frequentes abdominis pedumque tumores, ut & arthriticos insultus, ipsamque podagram in

junioribus quoque animadvertere licuit, neque his, neque illis, neque istis, methodicam efflagitantibus curationem. Quin & cariem ossium, spinamque ventosam nonnullis, licet paucioribus, tantoque magis notandis exemplis, videre datum est. Sub anni hujus initium, intenso frigore per aliquot dies saeviente, pleuritis passim epidemice aegros pridem dysentericos prae reliquis invasit, quin & nonnullis in locis etiam modo praegresso mense Januario malum recrudescere visum fuit.

(Rintelio Erfordiam missa d. 5. Februar. 1742.)

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. JOANN. DANIEL SCHLICHTING.

de

Noxa potulentorum calidorum.

QUam salubris olim herba Thea reputata, quantum omnibus grata & summis laudibus concelebrata fuit, tam noxia nunc, tamque adversa compluribus in aëre & climate nostro viventibus eadem esse deprehenditur, siquidem calidus inde confectus potus, parcius aeque ac in copia haustus, multorum satis sonticorum morborum, praecipue autem debilitatis viscerum atque spasmorum caussam constituere quotidie observatur. Quaecunque enim utriusque sexus subjecta eo frequentius utuntur, omnino tandem illum vel inviti aversari coguntur, quum demum se sentiunt adfectos nervorum, membranarum & viscerum abdominis, maxime vero ventriculi ac intestinorum debilitate insigni, tum etiam flatibus, spasmis hystericis aut hypochondriacis, cum nausea ac vomitu conjunctis, artuum demum vel totius corporis tremore aliisque sympto-

ſymptomatibus, quæ interdum etiam ſub ipſo uſu calidæ ſubito exoriuntur, interdum vero tardius ſubſequuntur, veluti cachexia & leucophlegmatia, fluor albus, laſſitudo, temulentia, vertigines, rheumatiſmi, & complura alia ſontica pathemata, circa quæ inprimis mirandum eſt, quod complura eorum a tali calido potu inducta, veluti ſpasmi, vertigines, laſſitudines ſummæ, itemque tremores ab adſumtis ſtatim frigidis, aqua nempe fontana, aut cereviſia, inprimis autem vino rubro, egregia virtute tonico prædito, illico mitigentur & profligentur, manifeſto indicio, quod a nimia relaxatione, per abuſum calidi hujus infuſi producta, originem ſuam duxerint. Hanc ergo ob rationem complures in urbe hac celebri & populoſa, qui debilioris jam ſunt conſtitutionis, abſolute coacti ſunt, ut calidum potum Theæ & Coffeæ, vel plane & in totum omittant, vel quam parciſſime tantum adſumant. Immo docet etiam ipſa experientia continua, quod ægri prædictis adfectibus laborantes, vix unquam priſtinam recuperare queant ſanitatem, adhibitis licet efficaciſſimis remediis, niſi vel penitus omiſſo, vel ad minimum parcius admiſſo calidæ potu.

Minus tamen nocere decoctum fabarum Coffee, quotidie experimur, quoniam paulo maiori confortandi virtute gaudet. In herbam quidem illam, aut fabas haſce, utpote utrasque per ſe inſontes, culpa non eſt rejicienda, ſed in infuſum illarum calidum, in diuturnum ejus uſum & præcipue in peſſimum & vix coërcendum abuſum, nec non in connatam, aut temporis ſucceſſu, contractam ſtomachi laxitatem, incolis hiſce perquam familiarem. Quæ cum hic loci adeo vulgaria ac trita ſint, ut & anus & ſacerdos iſta jam norint, atque idcirco conſulantur, & conſilia præbeant, ab aliis vero locis, quantum quidem ſcio, Medici talia non referant, forte, quod minus attendantur, aut ejusmodi graves abuſus non committantur, merito idcirco hoc loco paucis monere volui.

Moneo autem hæc in Belgio & in aëre Batavo, quod nimirum copiosior potulentorum calidorum usus noceat in adfectibus tam chronicis, quam acutis, præsente jamjam fibrarum, inprimis stomachi, majori laxitate; conducere vero in manifesta sub talibus morbis occurrente vel rigiditate, vel siccitate extraordinaria, denique sanis obesse copiosiorem & diuturniorem usum, prodesse vero iisdem parciorem & rariorem.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

de

Regimine frigidiusculo in febribus acutis, inprimis quoad aërem & potum, calidiori præferendo.

INtegrum iam effluxit decennium, ex quo, meliora per experientiam edoctus, regimen calidum in acutis & intermittentibus febribus magis noxium esse deprehendi, miratusque errorem meum æque, ac aliorum, *lexi* nempe & *continua diaphoresi febres omnes acutas & ardentes esse profligandas*, proprio marte methodum plane alienam sectatus sum. Exhibui autem statim a principio ad finem usque febris, nil nisi refrigerantia ex Nitro, Cryst all. Tart., Spir. Vitrioli, Sulph., Salis, Succo Citri, Decoct. hord. Aqua Fontan. Lactuc. &c. composita, additis vel omissis opiatis, hunc circiter in modum: Rec. Aqu. pluvial. Plantag. Lactuc. Hord. vel alterius unc. XVI. Nitri depur. Cryst all. Tart. ana drachm. iij. Spir. Sulph. per camp. aut Vitrioli gtt. XL. Succi Citri recent. unc. dimid. Sacchar. alb, vel Syrupi cuiusdam refrig. unc. 1. M. singulis horis, vel qualibet bihorio D. uncia 1. vel ij. pro diverso gradu æstus.

Ubi

Ubi autem salia ægri in majori dosi ferre haud poterant, formulam ita immutavi: Rec. Aqu. Pluvial. unc. XVI. Spir. Sulph. per camp. gtt. LX. vel Spir. Nitri gtt. XX. Crystall. Tart. drachm. ij. Nitri depur. drachm. dimid. Succi Citri unc. 1. Rob Ribesiorum drachm. iij. Sacchar. alb. drachm. X. M. exhibeatur priori ordine & dosi, vitando semper sudorem coactum, & non nisi spontaneum admittendo, qui si excedat, compescendus quoque erit. Venæsectionem interim largam, & pro circumstantiarum ratione tempestive repetitam, juxta artis regulas haud neglexi, nec minus etiam legitimum alui successum, necessitate exigente, debite conservare adlaboravi.

Potum porro frigidiusculum, vel leniter tantum tepidum, saltim ex Decoct. Hord., panis cum succo Citri, sero lactis dulcis, vel ebutyrati, aut etiam ex ipso lacte ebutyrato constantem, immo & ipsam aquam simplicem ejus loco hauriendam concessi. Stragula proinde levia, non nimis crassa, aut valde ponderosa commendavi. Aërem liberum & temperatum, aperta fenestra, ad ægri lectum per vices admisi quotidie, vitando semper nimis calidum fœtidumque. Singulis quoque diebus ægrotantes aliquoties, si vires permittebant, e lecto surgere, aut in alium deferri, jussi, donec prior ille quadantenus fuerit refrigeratus. Sic omnia ex voto succedebant, felixque eventus methodi hujus efficaciam confirmabat, nisi ubi turbatus ab initio jam aderat status.

In febribus intermittentibus, majori cum vehementia adfligentibus & pertinacius continuantibus, præmissis prædictis, ad corticem Peruvianum, tamquam certam sacramque anchoram, confugere sæpe coactus fui. Accidit tamen haud raro, ut non obstante hujus, illorumve, usu legitimo, febris continua in continentem transierit, nullaque fere, aut tantum levissima paroxysmorum intervalla obser-

vata

vata fuerint, concurrente simul corporis universi, etiam externo, vehementissimo æstu, debilitate insigni virium, stupore ac delirio levi, pectorisque & præcordiorum anxietate, quæ singula symptomata post septimum plerumque diem ita ingravescebant. Cum ergo permultos ita adflictos naturæ tantum ac fortunæ relictos (ut moris est sub methodo præcipue minus efficaci,) morbi vehementiæ succubuisse observassem, ante omnia ingentem æstum phlebotomia larga restinguere adlaboravi, licet etiam in principio illa jam instituta, vel etiam dein repetita fuerit. Eventus comprobavit cogitata, siquidem statim subtracto abundantiori sanguine, corpus antea calidissimum naturalem iterum concipiebat calorem, ægris sæpe absque ullo alio remedio sensim sensimque convalescentibus, id quod per multis vicibus ita evenisse recordor. Omnia ergo hæc adeo vera certaque sunt, ut de methodi hujus securitate amplius non dubitem. Sicuti autem illa, quæ conjunctim sunt efficacia, si separatim in usum vocantur, similem salutarem non præstant effectum; ita & cum hac comparatum est methodo, in qua, licet venæ sectiones, alvum blande subducentia, & inprimis refrigerantia tam medicamenta, quam potulenta, sedulo adhibeantur, tamen, nisi insimul aër clausus, fœtidus et calidus successiva & reiterata admissione purioris & frigidiusculi corrigatur, stragula graviora removeantur, & ipsa etiam leviora subinde mutentur, oleum & operam perdimus, nec miseros ægrotantes orci faucibus unquam eripere valemus. In pleuritide vero aliisque inflammatoriis febribus, calidum tepidumque potum magis, quam frigidum conducere, ratio pariter, ac experientia facile demonstrabant. Sic quoque in febrium rheumaticarum, catarrhalium & arthriticarum initiis, calidum vel tepidum potum nunquam obfuisse novi. Quando autem hæ in continentes transierunt,

tunc

tunc frigidiusculum, vel paulo magis temperatum regimen plus omnino auxilii præstitit.

Cæterum prosper ille successus, quem mecum alius adhuc Medicus, heic loci degens, quotidie expertus fuit, non solum hujus methodi utilitatem confirmat, sed & ultra quinquaginta discipuli, chirurgiæ inprimis dediti, qui ad Indos utrosque atque in Africæ & Europæ regiones varias tam calidas, quam frigidas, juxta & temperatas trajecerunt, post suum inde reditum, ubique locorum illam similem efficaciam exhibuisse, suæque spei & expectationi abunde satisfecisse, non sine lætitia retulerunt.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

de

Hydrophobia, lambendo tantum a cane rabido excitata.

Circa finem anni proxime elapsi puella quædam ex morsu canis rabidi, post duorum mensium intervallum, in Hydrophobiam incidebat, quæ brevi post lethali exitu terminabatur. Hujus frater, undecim circiter annorum puer, ab eodem cane, ipsum tantum circa os præcipue lambente, & hac ratione miasma rabiosum cum saliva, absque ullo prægresso morsu, communicante, similiter Hydrophobiam brevi post sororis obitum, tribus nempe septimanis elapsis, concipit, ex qua itidem intra paucos dies, cum omnium, immo & mei ipsius admiratione, obiit, siquidem nullum antea exemplum mihi innotuerat de communicatione hujus contagii absque morsu. Interim tamen postmodum ex Geldria relatum mihi fuit, canem quemdam rabiosum per aliquot dies atque noctes in fœno decum-

bentem, ſaliva ſua hinc inde defluente, illud ita infeciſſe, ut intra breve tempus viginti vaccæ, a quibus fœnum hocce abſumtum fuit, absque inflicto morſu in rabiem actæ interierint.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. JOAN. DANIEL SCHLICHTING.

Excretio ſpontanea variorum oſſiculorum fœtus humani in vetula.

MUlier ſatis grandæva, ſeptuageſimum ætatis annum agens, per 12. vero annos jamjam viduata, poſtquam per triennium abdomine admodum tumefacto, ad inſtar gravidæ, itemque crebricribus ſpasmis hyſtericis, alvi obſtructione, nauſea, vomitu, doloribusque per lumbos ad inguina excurrentibus & partus dolores æmulantibus, conjuncta corporis macie aliisque ſymptomatibus moleſtis adflicta fuit, ſumto tandem ante biennium draſtico pharmaco, per ſuperiora æque ac inferiora vehementer purgata fuit, inprimis autem ſub gravi animi deliquio per inferiora notabilem copiam ſpiſſorum liquidorum ſcybalorum dejecit, quibus ſimul intermixta erant viginti oſſicula humani fœtus, oſſa parva quidem, ſed ſatis dura, quæ ejusdem filius, 36. annos jam natus, cum excreta forte fortuna inſpiceret, taliaque peregrina corpora ſimul animadverteret, intra aliquot dierum ſpatium ſucceſſive collegerat, ſimul vero pariter, ac ipſa mater, ignorabat, an quoque antea jam talia prodierint, & utrum ex inteſtino recto, an vero per genitalia exturbata fuerint, quod ultimum tamen magis probabile mihi videtur, quamvis nulla vel prægreſſa, vel ſubſecuta ſit excretio aquoſi, aut mucidi humoris.

Inte-

Interim prædicta symptomata post inopinatam hanc exclusionem quoad maximam partem cessarunt, remanente tamen & perseverante extraordinaria illa abdominis intumescentia in hunc usque diem, quo cuncta hæc ipse exploravi; unde probabiliter concludo, varia adhuc latitare in utero ossa, speciatim autem majora; siquidem modo dicta illa viginti, quæ nunc ipse possideo & adservo, parva tantum sunt, nimirum phalanges aliquot digitorum, ossa carpi & metacarpi, atque binæ homoplatæ admodum exiguæ, omnia tamen, adultorum ossium instar, valde dura, ast magnitudine ossibus perfecti fœtus longe inferiora, nec ulla carie exesa, epiphysibus ipsis jam quoque in ossa mutatis, quorum figuras lubentissime communicarem, nisi, cum nihil extraordinarii monstrent, superfluum id mihi videretur.

Cæterum notari adhuc meretur, quod ab annosa hac muliere relatum accepi, septem nempe annos ante quam ossa ista expulsa fuerunt, eidem supra suturam coronalem durum quendam tumorem, magnitudine ovum gallinaceum æquantem admodumque prurientem, prognatum fuisse, qui post 4. annos sponte in illo loco ruptus, ubi maximum observaverat pruritum, sub sonitu ac sensu bullientis spumæ & parvi doloris, ad bina latera colli, thoracis & abdominis, fascini quasi ad instar dispersus descenderit, & successive evanuerit. Ab hoc tempore dein suam maxime originem sumsisse ventris tumorem, dolorem, flatus, spasmos hystericos, vomitus, alvi obstructionem aliaque symptomata supra recensita, quæ miseram hanc per triennium continue fere excruciarunt, donec sumto illo drastico purgante, ossa descripta fuerint excreta. Abinde vero in hunc usque diem fere quotidie notabilem quandam copiam pituitæ albæ, crassæ & tenacis, fecibus intermixtæ & externe adhærentis, per alvum excernit, quæ formam fere

ac figuram lumbrici lati refert, & ad ulnæ usque mensuram in longitudinem extendi, ac insuper in infinitos fasciculos & fibras quasi, facillime negotio dividi potest, cujus tamen originem hactenus debite & exactius scrutari non licuit, forsitanque post mortem cultro anatomico facilius detegenda erit.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

Anchylosis humerum inter & homoplatam.

NAuta quidam luxationem humeri sinistri ex improviso patitur, quam cum imperitus in consilium vocatus Chirurgus nec cognovisset, nec ex hoc defectu restituere adlaborasset, intra triennium tandem scapula per anchylosin cum osse brachii in unum os concrevit, scapulâ interim omnem brachii motum libere sequenti. Tentarunt equidem postea, ante quatuor circiter annos, periti aliqui hujus loci Chirurgi, multo labore pluribusque vicibus restitutionem, sed irrito plane successu, adeoque plane impossibilem nunc esse repositionem merito cum iisdem iudicavi.

(*Amstelodámi Erfordiam missa d. 5. Februar.* 1740.)

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

De morbo quodam convulsivo epidemice per Holsatiam grassante.

EA rerum ad vitæ & sanitatis conservationem facientium proh dolor! est conditio, ut perinde quoque lædere,

dere, atque hominem ê medio tollere valeant. Solum aërem si contemplamur, tanta ejus est utilitas & necessitas, ut veteres occultum vitæ pabulum quæsiverint in illo; quemadmodum etiam ab ipso *HIPPOCRATE* τῦ βίυ dicitur ἀιτία. Nobis cognatus semper adhæret, & per breve etiam temporis spatium præsentia ejus carere non possumus. Etenim pulmones irruens, non ipsam solum chyli in sanguinem juvat mutationem, sed admixtione quoque aëtearum particularum sanguinis fluxilitas, elasticitas, motus & calor provehitur naturalis.

Quemadmodum vero æthereum illud fluidum, reliquas non naturales res utilitate & necessitate exsuperans, merito ducit choream; ita etiam, mutata ejus constitutione, innumeris, immo pessimis & immedicabilibus sæpe morbis præbetur ansa. Mox enim calidus & frigidus, mox humidus nocet & siccus. Atque iterum in compositione frigidus & humidus, frigidus & siccus, calidus & siccus, calidus demum & humidus varia potest damna inferre. Pro diversa videlicet contentorum ratione, horumque qualitate & quantitate, malignorum, contagiosorum, epidemicorum, endemiorum atque sporadicorum morborum existit auctor.

Præstitit sese talem aër, *morbum* invehens *convulsivum*, qui anno superiori per omnem fere sparsus Holsatiam, innumeris molestus, immo exitialis fuit. Morbus hic in præsens diffusus sub Augusti mensis finem, quo rustica turba labori maxime vacabat rurali, atque aërem inter diu graviter æstuantem, vesperam circa frigidus excepit non amœnus, inprimis emanabat.

Ex inopinato & absque prægressa quadam manifesta causa, hominibus ruricolis, cujuscunque ætatis & sexus, raro oppidanis, vim faciebat morbus. Magis tamen juvenes, in ætate consistente constituti, plethorici & qui na-

turales ſanguinis evacuationes fortaſſe neglexere, mulierculæ pariter menſium ataxias perpeſſæ, ſontico huic malo fuere obnoxiæ. Citius manuum atque pedum vellicatorium formicantemque perſentiebant dolorem, qui ingraveſcens magis, ac per vices remittens, intermittens ac recurrens ſtrictorius evaſit atque tenſivus.

Doloris ſenſus variis inde torſionibus & contractionibus aliquando intorquens partem, latius quoque modo ad ſuperiora, modo evagabatur ad inferiora, atque toties transformabat ſcenam, donec cum aliquali levamine, ruboris, ardoris & tumoris relinquebat veſtigia. Aliqui pollices ſub paroxyſmi initium in pugnum imprimentes, non longum manibus capiebant fuſtem, unde leuamen perſentiſcere adſeverabant. Aliis collum in tergi contorquebatur confinia. Lingua æque ac oculi a ſpaſticis tenſionibus non manſere immunes.

Sub variis hiſce cruciatibus, quos hominum gemitus graves ſatis teſtabantur atque intolerabiles, cum aliquali mentis perturbatione, in alios volaticus tantum urgebat æſtus; alios vero, diutius inſtans & copioſis ſudoribus ceſſans, febris divexabat ſymptomatica. Pulſus durus & inæqualis erat; urina rubra ſedimentum pallido-roſeum deponebat.

Variant tamen paroxyſmi pro ratione vehementiæ; nonnulli enim, qui adhuc deambulare & domeſtica curare poterant negotia, de moleſto formicationis ſenſu per univerſum corpus diſperſo, tantum habebant querelas. Quidam absque ſymptomatum atrocitate lecto adfixi, de doloribus lancinantibus & ſtrictoriis, atque inde enata artus movendi impotentia conquerebantur. In aliis iterum ſymptomata recenſita deprehendebamus complicata, quibus etiam efferi dolores ut plurimum in convulſiones degenerabant.

Spaſti-

Spasticis doloribus confestim evanescentibus, de recursu ad interiora semper erat suspicio, quam epilepsia, apoplexia, vel internorum nunquam non deleteria insequebatur inflammatio. Tali ergo morbo repente jugulatum aliquem cum anatomico subjecerim cultro, cuncta parenchymata optime disposita, solos pulmones insigniter inflatos, atque multo sanguine stagnante adinveni refertos. Convalescentibus vel insignis erat relicta stupiditas, vel aëri sese præmature committentes facile in recidivam incurrebant.

Ex hac symptomatum adumbratione, morbi hujus, quem pro nova venditaverant specie, indoles facile patet: hinc si spasmi qui ἀπὸ τȣ̃ σπάω, contraho, sic dicitur, perpendimus ideam, *spasmodicum* adpellari eum posse elucescit. Etenim spasmi aliud non sunt, quam involuntariæ & dolorosæ musculorum contractiones, a nervorum, musculorum motibus inservientium, irritatione pendentes.

Innumeris fere sese explicare solent modis, atque pro ipsa indole & partium, quas occupant, disparitate, schema mutant suum. Generatim quidem, atque juxta veterum placitum omnis spasmus dupliciter sumitur. Sic si non absque dolore, qui convulsionis semper indivulsus est comes (a) aliquot vel plura membra citra voluntatis imperium (b) inæqualiter & violenter moventur, *Clonica* indigitatur *convulsio*. Involuntaria vero cujusdam membri contractio si stabilis in una positura permanet, atque rigorem & immobilitatem habet conjunctam, *Tonica* dicitur convulsio. Hæc ergo perinde, ut clonica, pro partium convulsarum varietate, varias quoque comprehendit species: ἐμπροσθότονον videlicet, ubi colli flexores præternaturales sese contrahunt, ut antrorsum flectatur caput. Si cervicis & dorsi

(a) *Tim. a GULDENKLEE* de adfect. cap. cas. 39. l. 1.
(b) *GALENUS* de loco affect. c. 9.

dorſi extenſores in poſticam corporis partem cuncta trahunt, talis muſculorum conductio ὀπισθότονος nuncupari ſolet. Si vero totius corporis, vel unius alteriusve articuli, præcipue capitis muſculi antagoniſtæ inſimul & æqualiter contrahuntur, ut rigidum & immobile euadat corpus, convulſio dicitur τετανός. Aliæ quoque huc pertinent ſpecies, oris nempe divaricatio, ſternutatio, ſingultus, tuſſis, cordis palpitatio, raucedo, ſpasmus flatulentus cynicus, riſus Sardonius, ruminatio, ſtrabismus, priapismus & ſatyriaſis, Chorea S. Viti, omnes arthritidis ſpecies, & ab his enatæ contracturæ, immo etiam epidemius ſpasmus nuperrime per Holſatiam diffuſus. (c) Clonica concuſſio omnes omnino includit epilepſiæ gradus & ſpecies, ſicuti etiam varia hujus ac ſtupenda obſervantur φαινόμενα, ut adflicti etiam pro incantatis ſæpe habeantur ab imperitis. (d)

Convulſionum vero, motuum convulſivorum & epilepſiarum phænomena, quemadmodum non niſi gradu ſunt diſparia, ita etiam cauſam tantum gradu adſciſcunt diſcretam. Vera hujus vitii idea in motu conſiſtit depravato. Omne ergo illud, quod motus naturalis conſtituit ſubjectum, illud etiam præternaturalis vel depravati ſubjectum eſſe neceſſum eſt. Omnis motus in animali corpore neceſſarii immediatum inſtrumentum fibram atque ſpiritus eſſe,

(c) Similem morbum adnotarunt *VATERUS* de morbo ſpasmodico populari A, 1727. per Sileſiam graſſante. W. H. *WALDSCHMID*, de morbo epidemico convulſivo, A. 1717. per Holſatiam graſſante. *DRAVIZIUS von der Scharbockiſchen Griebel-Kranckheit. HAGEDORN* Cent. I. *J. Chr. WOLF* de morbo ſpasmodico epidemico maligno in Saxonia, Luſatia, viciniſque locis graſſante.

(d) Conf. *SALMUTHUS*, Cent. II. Hiſt. 41. & 42. Ephem. N. C. Dec. I. ann. VIII. obſ. 71. *BOOT* Tract. de adf. omiſſ. c. 6. *WILLISIUS* pathol. cerebr. de conv. morb.

esse, nemo facile inficiabitur, (e) merito itaque præternaturalis ac spasmodici motus idem subjectum esse adæquatum, inde colligimus.

Fibræ operantur per contractionem atque sui debitam corrugationem. Nisum vero ad hanc contractionem sustentant spiritus justa proportione et ordine influentes. Solo motu hoc, quemadmodum percipimus, nutrimur & sustentamur; sic ab eodem variis ac innumeris, cum vel aboletur, imminuitur, vel augetur, lædimur modis.

Motus depravati symptomata immediate pendent vel a fibris motricibus præternaturaliter corrugatis, vel ab inæquali & vehementi in has fibras spirituum raptu, vel ab obstaculo quodam motui naturali renitente, vel a sublata quadam concausa ad agendum necessaria. De iis motus depravati symptomatibus in præsenti acturi sumus tantum, quæ *spasmorum* indigitari solent nomine.

Humores igitur acres, fibras nerveas pungentes, & spirituum inæqualem ac vehementem in illas irruptionem inducentes, spasmodicorum morborum constituunt causam mediatam proximam. Quidquid vero ex rebus naturalibus & non naturalibus, talem pro nervorum irritatione sufficientem acredinem fovere atque humoribus immiscere valet, illud omnino horum causa erit remota.

Ex naturalium classe primario ætas inculpari potest; in senibus enim & pueris præ junioribus nervosum periclitatur genus. (f) Fœminæ, ob teneram videlicet nervorum constitutionem, præ viris, (g) & illi, qui temperamento gaudent sanguineo, porosiorem corporis possident habitum, vel qui rariorem nervosarum fibrarum habent textu-

 ram,

(e) *Jo. BERNOUILLI* de motu musculorum. *MAYOVIUS* p. 138.
(f) *HIPPOCRATES* aph. 25. Sect. III.
(g) Teste *Cælio AURELIANO*.

ram, atque a nativitate sunt dispositi, præ aliis proclives sunt in spasmos.

Non naturales inter causas, quæ corpus divexare nostrum, atque intemperie sua possunt motus invehere convulsivos, aër semper tenet primatum. Τὸ γὰρ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς καὶ ῥίγεα πυρετώδεα ratiocinatur *HIPPOCRATES.* (h)

Aër frigidus, præcipue si ventosus sit, vel tantum totius corporis attingens superficiem, vel pulmonibus attractus, fibras videlicet ad crispaturam stimulando earumque elasticitatem debilitando, calorem extinguit naturalem. Calor nostri corporis a sanguinis & cum hoc remixtarum ignearum particularum pendet motu: Sanguis vero corde, arteriis & venis movetur. Prout igitur horum organorum fibræ virtute gaudent elastica, ita humorum quoque succedit motus & calor sustentatur naturalis.

Ab hoc vitali & non graviter fervente, in nutritionum, secretionum & excretionum negotiis maxima pendet utilitas, hinc vi contrariorum a calore corporis nostri imminuto secretiones diminuuntur & excretiones. Retinentur videlicet particulæ serosæ & salino-sulphureæ, per cutaneam excretionem eliminandæ, unde humorum oritur spissescentia, motus eorundem fit segnior, fibræ constringuntur & vasa præcipue extrema angustantur.

Talem vasorum coarctationem mox sanguinis & spirituum in iisdem insequitur stasis ac inæqualis in musculos influxus.

Effectus pro frigoris variant gradu: In minori enim frigoris gradu a levi fibrarum cutis crispatura & contractione, tantum horror, in majori tremor, in maximo stupor exoritur & rigor. In rigore sanguinis & spirituum motus in

(h) Aphor, Sect. V, aph. 20.

in muſculos debilitatus, pel plane deprehenditur ſublatus. Remittente frigoris vehementia fibræ ab interpoſitione partium ignearum relaxantur, ſanguis & ſpiritus inæqualiter & vehementer influunt in muſculos: fibræ vero extenuatæ, ab acrimonia circa nervos ſubſiſtente convelluntur iterum, hinc tremor oritur. Prout igitur corpus acredine refertum eſt, ita magis quoque vel minus fibrarum reciprocantur irritationes, donec variæ partium præternaturales & violentæ exſurgant contractiones, quas *convulſionum* titulo exprimere placet Medicis.

Latet hic ratio, cur æquinoctiali tempore arthriticorum ſpaſtici recurrant dolores, ex eo ſimiliter adparet, cur ſuperiori anno nemo ruſticorum gelu torpens, ſed tantum illi, qui focis ardentibus ſubito adpropinquarunt, violentis artuum contractionibus fuerint obnoxii. Solis enim radii interdiu ſeſe haud ſubtrahentes orbi, meſſoribus ſudantibus non levem concitabant moleſtiam, quam abſtergere atque membra delaſſata volentes reficere, in terram ſe projecerunt gelidam, atque velaminibus rejectis revertentes domum, nudata corpora boreali expoſuere aëri, adpropinquantes autem tuguriis ſuis, membra frigore læſa, manus inprimis & pedes, ocyus denuo admoverunt igni.

Quam plurimorum caſæ hibernaculis, vel ſi talia quibusdam conceſſa, tamen hæc fornacibus ſunt deſtituta, hinc infantes cum parentibus focis ſeſe ſubdere coguntur. Inæqualis & moderatus eſt talis caloris gradus, quem ipſi quoque non poſſunt perferre, ſed ruunt e calido in frigidum, & e frigido iterum in calidum.

Simile quid in aliis quoque hominibus ab itinere revertentibus mihi vice plus ſimplici notare contigit: Etenim frigore correpti, ſi ad ignem adpropinquaverint, repente graves totius corporis perpeſſi ſunt convulſiones.

 Nocet

Nocet igitur atque suam addit symbolam aër immodeste calidus; ab hoc enim corporis nostri multum augetur calor, unde sanguinis turgescentia & resolutio, vasorum extensio, seri & spirituum dissipatio. Seri vero parte deficiente sanguis spissescit, salia non solvuntur, & quidquid sensibili transpiratione extra corporis limites erat ejiciendum, retinetur, unde acredinis auctio, hujusque in fibras actio major.

Hæc temperies præcipue est, qua aër spasmos inducendi habet efficaciam: instat vero, vel ocyus insequitur effectus, quo crebriores quidam frigidi & calidi subit mutationes. Frigido, maxime si ventosus, fibræ constringuntur & vasa angustantur. Calido vero fibræ relaxantur & vasa extenduntur, hinc acrimonia ab utroque aucta, jam obortam fibrarum extensionem & constrictionem facit reciprocantem, & cum una fibra semper trahat alteram, illamque ad ulteriorem contractionem stimulet, in extremis emanans convulsio ad universum nervorum systema facile procedit. Aestuoso aëre, præcipue si in illo cietur motus, partes salinæ & sulphureæ ad sanguinem rarefaciendum quidem disponuntur, & serum excrementitium per minora etiam ducitur vasa, præsentis vero status in alium, id est, e calido in frigidum, subitanea mutatio, ob repentinam pororum coarctationem, omnem impedit excretionem, atque humores pituitosos, calore præternaturali ad minutissima vascula propulsos, in iisdem cogit subsistere.

Neque etiam humidus & siccus omni vacat culpa, sed sub uno eodemque caloris atque frigoris gradu humidus efficacius id præstat, quod purus & non udus aër; speciatim vero humidum nostri corporis aliquantulum augendo, partium massæ sanguineæ proportionem valet destruere. Quemadmodum ab aëre humido corporis nostri augetur humi-

humiditas, ita a ſicco, ſeroſas videlicet partes quatenus abſumit, partium acrium ſalinarum & ſulphurearum exſurgit ominentia.

Perinde pro aliorum contentorum diverſa qualitate, quantitate atque corporum renitentia ad ſpaſticas contracturas inducendas, aër non minimum confert momenti. Tale quid in epidemiis & peſtilentialibus morbis, ubi aura fermenteſcente miasmate atque venenoſis effluviis, nervoſo generi maxime infenſis, referta, ſæpe adnotatur. Peculiarem hanc aëris conſtitutionem atque ſpasmos inducendi efficaciam inculpant *VATERUS*, *WALDSCHMIDIUS* & *Chr. WOLF*, quorum ſic ſonant: *Illa intemperies aëris, quæ toties nebulas fœtidas, malignos rores & rubigines effecit viroſas, procul dubio quoque eandem acrimoniam & viroſitatem humoribus hominum communicarunt tantasque in iis turbas excitarunt* (i) *Ex his concludo, morbum hunc apud nos non tam a ſecalis & panis vitio, quam ex peculiari aëris conſtitutione epidemia, ut & nebulis & vaporibus ortum ſuum habuiſſe, a quibus ſcilicet morbi epidemii utplurimum oriuntur.* (k) Enim vero morbum convulſivum anno ſuperiori per Holſatiam graſſantem, a miasmate vel aëris viroſitate neutiquam deducendam eſſe evincit, quod tantum ruſtici, & ne omnis quidem ruricola gens, ſed qui ſubitaneas frigoris & caloris admiſerunt viciſſitudines, tali infortunio fuerunt obnoxii. Me quidem non fugit, epidemios morbos, & inter illos ipſam peſtem non in omnes ſimul, ſed tantum pro diverſa corporum reſiſtentia & receptivitate ſuam propagare virulentiam. Interea ejusmodi epidemica aëris conſtitutio, ut cauſa communis, in vicos & ſolas caſas, relictis civitatibus, vix unquam ſolet irruere.

(i) *Chr. VATER* de Morb. ſpasm. pop. p. 22.
(k) *W. H. WALDSCHMID* de morb. epid. conv. p. 30.

Neque etiam ab aëris rubiginosa & nebulosa intemperie frugum atque segetum facta corruptio incusari poterit, quum iisdem oppidani, quibus rustici, vescantur frumentis. Clavis secalinis, *denen Brand-Kærnern, Mutter-Korn, oder Mehl-Mutter*, quibus etiam superiori anno segetes copiosius fuere remixtæ, non minimum tribuendum esse autumabant. Noxam granorum secalis degenerum in Silesiæ morbo spasmodico populari *J. H. ANDREAS* verbis his inprimis accusat: *Hæc grana tantam acrimoniam corrosivam habuerunt, ut solum masticata oris & faucium erosionem fecerint, pulverisata & lacti infusa muscas, æque ac Cadmia arsenicalis, extinxerint, anseres, gallinæ ex eorum esu contabuerint, aut plane mortuæ sint. Adeo neque pecora, armenta, sues & equi a contagione ista immunia fuerunt.* (l) Longe aliter in morbo populari convulsivo, qui anno superiori hisce nostris regionibus fuit infensus, se se habuit res, cum neque animantibus brutis, hæcce grana maxima aviditate devorantibus, neque etiam stragem intulerint hominibus.

Quum ubique clavorum inculparetur usus, prædiorum quidam domini, subditis suis farragine vesci recenti plane interdixerunt, atque omnibus de veterrima exposuerunt copiosius, prohibere tamen non potuerunt, quin plurimi eorundem grandi hoc malo fuerint correpti. Huic accedit, quod nunquam adsumti veneni, anxietates videlicet præcordiales, nausea, ventriculi æstuatio, vomitus vel fœtidus, vel niger, intestinorum rosiones, ventris intumescentia, sanguinis per os tetri ejectio, &c. præsto fuerint symptomata, neque etiam, post corporum demortuorum apertionem, gulæ, vel stomachi exulcerationes venerint in apricum.

Equi-

(l) Conf. Eph. N. C. Cent. V. & VI. obs. 82. it. Dec. III. Ann. IX. obs. 93.

Equidem cibus & potus non omni vacat culpa, ſed uterque ſua quantitate, qualitate & ordine nocere valet, inprimis tamen acidus, auſterus & acris generi inſidiatur nervoſo: præcipitat videlicet chylum, humores inſpiſſat, ſalia auget, atque fibris denegat requiem. Hinc ruſticam turbam, quæ eſculenta & potulenta vel nimis avide abſorbet, cuique haud alius, quam lacteus cibus venit in ora, & quæ vel oxygalum pro ordinario habet potu, in ſpasmodicum morbum præ aliis haud miramur propenſam.

Conſuetudine quidem & nunquam interrupta laborum ſerie, ruſtici ad cibos duros, viſcidos atque acida qualitate præditos, absque noxa perferendos fiunt diſpoſiti; nihilo tamen minus iſta rerum non-naturalium actiones modificans corporis vis a quacunque cauſa facile vertitur in contrarium.

Omne acidum, quatenus irritat, perinde ut frigus, quod ab ipſo acido derivare non fuerit ineptum, debile nervorum genus habentibus inimiciſſimum eſt, omnis generis dolores inducit arthriticos, & prout vel majori, vel minori gradu nerveas lædit fibras, ſpaſtici quoque & convulſivi motus exſurgunt diverſi. (m) Quæ egenis ex oxygali uſu moleſtiæ provehuntur & damna, illa ditioribus ex meri conciliantur hauſtu. Damnum eo quoque erit præſentius, ſi vinum lithargyrio, (n) vel ſale murario, quod aluminis ſæpe continet mixturam, fuerit fucatum edulcoratumque.

Variis ac diverſis cauſis, tum naturalibus, tum nonnaturalibus & præternaturalibus ſpaſtici adfectus ſuos poſſunt ad-

(m) Conf. Acta Erud Lipſ. 1685. p. 227.

(n) Noxam inde exortam vid. in A. N. C. Dec. III. Ann. IV. obſ. 92. it. Ann. V. hujus Dec. Obſ. 261. & Ann. VII. obſ. 134. & 143. Confer. *LENTILII* Jatromn. p. 67. quo loco ad facinoris hujus disquiſitionem ſternitur via.

adſcribere natales: enimvero ſpasmodicus morbus, de quo breviter in præſentiarum diſſerere noſtrum fuit propoſitum, tantum homines invadens agreſtes, ſolo caloris & frigoris majori gradu, altero immediate alterum excipiente, quod egerit radicem, evincit dictitatque ratio. Hinc qui vel præſentem radicitus eruere, vel futurum prudenter velit antevertere, ad fontem ſemper reſpiciat neceſſum eſt.

Quemadmodum juxta *HIPPOCRATIS* effatum omnis σπασμὸς & τετανὸς, ob tenerrimam nervorum texturam, & quem cum cerebro & principibus partibus habent conſenſum, ſemper præmonſtrat inſidias; ita & popularis noſter multis exitiale intentavit periculum. Attamen vel pro ætatis individui vel partium obſeſſarum ratione, diverſus & diſpar fuit eventus. In tenellis pariter ut in ſenibus ſpaſtici dolores utplurimum in deleterias convulſiones accerſivere metaſchematismum. Plethoricorum & in ætate conſiſtente adhuc conſtitutorum non pauci a ſpaſtici ad interna recurſu, viſceribus interierunt inflammatis.

Priusquam autem tractationis noſtræ abſcindamus filum, quæ ex rationali Therapia tali mederi poſſint morbo, paucis, ne nimis prolixi ſimus, perveſtigare exigit neceſſitas. Phantaſticas, ſpurias & incertas curationis ſpecies, nimium quibus ſemper inculti confident ruſtici, non diſquirere, neque etiam panacearum panaceas, quas frivole vendere atque de corio ſic ludere humano quidam homines non habent religioni, percontari temporis permittit ratio. Sontici potius mali, juxta quas indicationes inſtituenda ſit exſtirpatio & ex quibus fontibus ſecure deſumenda ſint media, ſcrutari congruit.

Duabus potiſſimum efficax medela nititur *indicationibus*, *curatoria* nimirum & *præſervatoria*, quibus etiam ſymptomatum correctionem & mitigationem accerſere fas eſt.

Cura-

Curatoria, quæ ad ipsum adfectum & causam habet respectum, dolorum spasticorum, paroxysmi potissimum tempore, exigit mitigationem.

Omni doloris sensu, spiritus quatenus dissipat & absumit, naturæ invertitur vis, quæ, si minor est morbi vi, vitæ semper struit insidias. Excitantur vero dolores spastici a nervosarum partium irritatione; quidquid igitur humorum dyscrasiæ salino-sulphureæ debitam conciliat temperiem, illud dolorum quoque reprimere potest ferociam. Sic ê fonte pharmaceutico inprimis conducent sudorifera, diuretica, ἄνω καὶ κάτω purgantia, secundum indicationes adhibita, quæ cunctas excretionum species successive provehendi gaudent virtute.

Enimvero rusticana gens indicationes juxta institutam medelam fere *respuit*, prorsus inculta ejus tolerantia universalia potius & specifica exposcit pharmaca, hinc, cito & tuto quomodo illi auxilium ferri poterit, dilucidare, &, quæ medicamina aliis præripuerint palmam, significare inprimis constitui.

Evacuantibus debita humorum vitiosorum præmittenda est correctio & præparatio, ut tanto certius illa suum exserere possint effectum. Cui etiam scopo præ reliquis possunt satisfacere Tincturæ alcalicæ, inter quas Tinctura Antimon. tartarisata bis vel ter de die ad 40. guttas exhibita, singulari incidente & resolvente pollet efficacia. Exulent decantata balsamica, antiscorbutica, antivenerea & amara, quæ juxta illud *GALENI* adsertum: τὰ πικρὰ πάντα θερμὰ ἐστι (o) ob particulas acres sanguinis inducunt orgasmum, & cum in hoc morbo humores acribus jam scateant particulis, dicta vero amara irritent, hinc omnino talia potius exasperant, quam sedant.

(o) Lib. IV. de simpl. cap. 6.

Magis igitur ſe ſe commendant terrea, quæ ſuo cum acidis particulis rodentibus & irritantibus connubio easdem præcipitando & imbibendo, ſpe haud fallaci, humorum immutabunt acrimoniam. Talia vero, ut diſpoſitis & præparatis humoribus exitus non præcludatur, cum abſtergentibus & evacuantibus ſunt combinanda. Vterque fere, tum correctionis, tum evacuationis ſcopus, dictis obtineri poteſt terreis. Spicula ſalina non obtundunt ſolum & in poros recipiunt ſuos, ſed expulſiva quoque & ſedativa pollent virtute. Sic in ſpasmodico hoc morbo Cryſtallus montana præparata tamquam nervinum ſine pari merito poteſt deprædicari.

Celeberr. *WALDSCHMIDIUS l. c. p.* 42. & *BUDDÆUS*, ſuperioris Luſatiæ Phyſicus, vomitoria maxime commendant; aſt enim materia hoſtilis in primis viis non hoſpitans, irritativo tali remedio turpius ejicitur, quam blandis diaphoreticis & diureſin excitantibus. Quod ſi ſaburra quædam in primis hæreat viis, alterantia laxantibus potius ſunt maritanda.

E fonte chirurgico pro hoc morbo curatorio ſcopo, præter ſanguinis miſſionem & veſicatoriorum adplicationem, vix ac ne vix aliæ petendæ ſunt auxiliorum materiæ. Vti vero in omni, ita in hoc ſpeciatim morbo, ſanguis ſi inciſa vena mittendus ſit, ad corporis conſtitutionem, ægrotantis ætatem & morbi diem ſemper attendat artifex. Veſicatoria brachiis vel ſuris adplicata, ſerum acre revellendo, diſcutiendo & eliminando, in ſpaſtico hoc adfectu non exiguum præſtiterunt uſum.

Alia topica, ſeu quæ foris adplicantur, ob metum, ne forte ab extremis ad interiora repellatur malum, aſtutam repoſcunt meditationem. Omnes igitur ſpiritus urinoſi & oleoſi, narcotica, olea deſtillata, emplaſtra & linimenta plus attulerunt detrimenti, quam commodi. Solum fere ſum-

lumbricorum terrestrium liquamen, vel Thymi spiritus, cujus etiam decoctum multis haud parum fuit proficuum, artubus dolentibus tulit levamen.

Præservatoria indicatio, quæ magis extra paroxysmum habet locum, causæ respicit sublationem, atque ita optime consulitur miseris, si, prævia humorum peccantium correctione, quovis æquinoctiali tempore venis detrahitur sanguis.

Neque vero satis est ad ea, quæ facto opus sunt, præsto esse Medicum, sed & ægrum, et eos, qui præsentes sunt, & res externas ad id probe comparatas oportet esse, inculcat *HIPPOCRATES Sect. I. Aphor.* I. Hinc quocunque modo ad artificis præcepta obtemperare atque rerum nonnaturalium, quantum vitæ permittit conditio, justum regimen servare ægrotantes decet. Aër præcipue eligatur temperatus & ad excessivam incandescentiam vitetur motus. Tales igitur homines, qui laborum serie aëris injuriis sese exponere sunt obstricti, coriaceis vestimentis, quibus optime arcetur frigus, simulque immoderato calori aditus præcluditur, induere, non inconsultum foret.

Hæc itaque sunt, quæ de intricato & sontico hoc malo in præsentiarum fuere edisserenda, neve etiam latius evagantes in abyssum devolvamur, hic pedem figere necessum est.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI

De Cestra ex lapicidina prope prædium Noer nuperrime effossa.

Cimbricas antiquitates sollicitantibus hactenus, terramque perfodientibus sedulo, res veterum, Cestram puto,

to, non admodum raro occurrit, quæ curiosos istos spectatores, num pro armorum specie, numque pro honoris vel nobilitatis insigni habeant, reddit ambiguos. *OLAUS MAGNUS* & *ARNKIEL* idololatrarum instrumentum putant, quo vel iratos Deos placare, vel dimicantes juvare magno tentaverint molimine. Qui de hujus generis antiquitatibus sunt commentati, Cestrarum, tum figuræ, tum materiæ ratione, discrepantium, faciunt mentionem. Aliæ crucis, quales *ARNKIEL* describit, aliæ securis exacte referunt figuram, vide *RHODE Antiquitates Cimbricas.* Aliæ lapideæ sunt atque aliæ iterum ad ferri accedunt naturam. Aliqua talis prope prædium *Noer*, a Kilia nostra duo distans milliaria, ex lapicidina nuperrime fuit effossa, cujus materia, lima paululum, rasa, pulcherrime aurescens, ex cupri & stanni parte composita, quindecim longa, & quatuor sextantes est lata; superficiem habet lævigatam, mosaico viridicato obductam, atque lineis parallelis & pyramidalibus ornatam. Manubrium foramine pollet æqualiter satis amplo, cujus diameter habet duos sextantes. Unciarum triginta & quatuor erat pondo. Cestra, de qua in præsentiarum fuit sermo, tum ratione figuræ, tumque materiæ quid habet peculiare, atque ab aliis diversa est, & si veteres honoris inde ceperint documenta, vir, ad quem attinet hæc, celebritate conspicuus foret conjecturandus.

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.
Singularis effectus & notabile ex terrore damnum.

Vitriarius & sutor Ellerbeckii, convenientes in diversorio quodam noctem vario trahunt sermone, atque

etiam

etiam de prodigioso per vici hujus confinia spatiante confabulantur spectro. Cum inter loquendum jam per multam potaverint noctem, consurgunt, atque demum volunt reverti. Per viam de larva recordantur, atque sutor nocte hujus volantis indigitat locum. Vitriarius maxime hujus rei pertæsus, tota mente atque omnibus mox contremiscit artubus, immo ipsius cacodæmonis imaginatur adprehensum. Subterfugiunt ambo, rapidisque passibus prævertunt ventos. Mox sub aurora sutor, de re prægressa percontaturus, consortem visitat, hujus vero ora & manus utrasque incredibili fere modo fœdatas cernens, exterretur, atque de Diaboli suspicatur plagis. Cursu igitur aligero domum reversus sutor, uxori fatale satanicum revelat certamen, & cum nihil inde prorsus persentisceret damni, de re sontica feliciter sic transacta maxime lætatur & tranquillum capit somnum. Horis evigilans matutinis, nec membra movere, nec oculis obvia potuit percipere. Caput & cum trunco omnes artus plus duplo magis erant tumefacti, immo miserrime conflictatus per omnem omnino corporis ambitum undique unica vesica quasi loricatus adparebat. A Chirurgo quodam primo accersunt auxilia, cum vero hic artuum amputationem suaderet, ad me confugientes meum petunt consilium. Non longe post ægrotantem visitans, forfice jussi aperire vesicam, factaque apertura aliqua copiosissima, qualem vesicatoria solent fundere, emanabat lympha. Accedebat dein febris inflammatoria, quæ tamen adhibitis quibusdam antifebrilibus, subito multum a sua remisit ferocia. Ægrotus solis æqualem sanguinis distributionem promoventibus tandem pristinæ sanitati est restitutus, quæ etiam nunc integra firmaque constat. Omnem seposuit cuticulam, meque hujus rei cum animadverteret curiosum, chirotecas naturales solvere studuit, quas etiam integras unguibus ornatas mihi attulit in sui memoriam adservandas.

Terror repentinus multis ſolet eſſe exitialis, (a) atque etiam in hoc ſujecto per nimis præcipitem pavorem mortem fore inſecutam, non dubito, niſi effrenatus curſus tantum attuliſſet levaminis. Terrore enim ſanguinis & ſpirituum ſubito ad extrema vaſa reprimitur motus, humores in reliquis vaſis ſubſiſtunt, unde illorum præternaturalis expanſio & pro terroris gradu, vel ſubjecti conſtitutione, eorundem oritur diſruptio. Motus exceſſivus ſanguinis exagitando maſſam contrarium fere præſtat effectum. Cum in hoc noſtro ſubjecto a terrore tanta inducta fuerit pororum anguſtatio, ut ne minimum quidem poſt longum & vehementem curſum perceperit madoris, a ſero adpulſo & in extremis congeſto, vaſorum lymphaticorum fibræ debilitatæ & ultra gradum extenſæ, in toto corporis ambitu rupturam ſunt perpeſſæ. Liquido hinc adparet, quantum ſanitati poſſint adſtruere detrimenti pathemata animi, quemadmodum etiam facile inde poterit concludi, quomodo eadem debeant præverti.

(*Kilonio Holſatorum Erfordiam miſſa d.* 16. *Februar.* 1742.)

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

Vaſculum ſanguiferum tuſſiendo ex pulmonibus rejectum.

QUamvis jam alibi in *Actis noſtris Phyſico-medicis* ſatis notabiles obſervationes, de vaſis pulmonum ſangui-

(a) Vid. *BARTHOLINUS* Cent. II. Epiſt. 86. & Cent. IV. hiſt. 76. item *RHODIUS* Cent. I. Obſ. 45.

guiferis tussi rejectis prostent, quemadmodum doctissimus nuperrime noster *DIEUCHES II. Vol. V. p.* 285. talem communicavit; actum tamen idcirco me acturum esse haud existimo, si, quod mihi de simili casu & conjuncta simul singulari autocratia naturæ constat, brevibus enarravero. Vivit annum quinquagesimum secundum & Nestoris ætatem ipsi precamur, Dn. D. *Benjamin Gottlieb Garmannus*, Medicus, & Poliater & Senator noster gravissimus, filius doctissimi *Christiani Friderici Garmanni*, jam olim in *Ephemeridibus nostris* celebratissimi, qui in ætate juvenili in maximum vitæ discrimen incidisset, nisi peculari quadam energia sibi prospiciens natura, binas vasorum disruptorum oras in pulmonibus sponte iterum consolidasset. Retulit enim nuper & inter curiosa sua monstravit apographum vasculi sanguiferi, olim ex pulmonibus ipsius tussiendo expulsi. Cum enim a primis statim pubertatis annis ad aliqualem pulmonum labem inclinaret, & hunc sanitatis hostem in thorace insidias struere animadverteret, factum tandem est, ut aliquando, annum circiter decimum nonum agens, scalam quandam adscendens, paulo vehementiori tussi tentaretur, &, citra omnem tamen molestiam & periculosum qualemcunque eventum, substantiam aliquam membranaceam exturbaret, quam accuratius intuens, vasculum quoddam sanguiferum esse deprehendit, tres circiter uncias longitudine & calamum scriptorium latitudine, seu crassitie æquans, insimulque aliquot adhuc ramulis ex trunculo suo exeuntibus gaudens. Vasculum istud diu in spiritu vini conservavit, & cum ad exteras Academias, Argentoratensem & Basileensem studiorum prosequendorum causa, excurreret, multis Doctoribus & Professoribus monstravit, donec longa tandem annorum serie perierit & consumtum fuerit. Hæc ipsa historia, sicuti in genere notatu perquam digna est; ita inprimis sequen-

ſequentia circa illam momenta ſpecialiorem conſiderationem merentur:

1) Quod pars aliqua ab illo pulmonum lobo abſceſſerit, ex quo vaſculum deſcriptæ longitudinis & latitudinis ſeparatum fuit.

2) Quod abſceſſus ille in interiori pulmonum ſubſtantia, & in ſpecie

3) vaſculum prope ramum quendam majorem arteriæ aſperæ hæſerit, cum alioquin haud ita facile ejici potuerit.

4) Quod abſceſſio lente ſatis peracta fuerit, neque tumultum febrilem, neque purulentæ materiæ proventum conjunctum habuerit.

5) Quod fragmentum illud vaſculi ſanguiferi ab ambiente pulmonum ſubſtantia per modum decorticationis liberatum & ejusdem extremitates ſuppuratione aliquali ſeparatæ fuiſſe mihi videantur.

Inter omnia vero cauſarum momenta, quæ hic inprimis perpendenda ſunt, id maxime miratu dignum cenſeo, qua ratione nempe factum ſit, ut incompeſcibilis & facile lethalis evaſura Hæmoptyſis, certiſſime alias metuenda, præoccupata fuerit? Meam dum intuitu hujus quæſtionis declaraturus ſum mentem, primo monendum eſſe cenſeo, quod vaſculum illud tenuioris ſtructuræ & texturæ fuerit, unde probabiliter conjicere licet, illud ramulum ſyſtematis venoſi fuiſſe, in quo ſanguis non tanto cum impetu movetur & progreditur ac in vaſculis arterioſis. Deinde judico, ſuppurationem cum cicatrizatione uno fere eodemque temporis momento ſucceſſiſſe, hoc circiter modo, ut quoties fibrilla aliqua vaſculi ſuppurando liberata fuerit (ad quem ſeparationis modum pulmonum expanſio ſub reſpiratione

mul-

multum omnino conferre potuit,) toties etiam reſtitans ejusdem portio ſana contracta & cicatriſata fuerit, ut nullum ſanguinis ſtillicidium tali modo oriri potuerit. Vniverſum autem hocce negotium non repente & impetuoſe ſucceſſisſe, ſed aliqua temporis mora opus habuiſſe, ex ipſa rei natura liquet, ſiquidem vaſorum ſtructura firmior eſt, quam pulmonum, minimeque ita facile, ut aliæ rarioris texturæ partes, in pus converti atque corrumpi poteſt.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

Sudor frigidus a ſale Sedlicenſi excitatus.

ADſumta medicamenta non ſemper ſuis effectibus ex voto reſpondere, & interdum medicinam quandam ſudorem provocare, quæ alvum movere deberet, attentis Medicorum filiis ignotum eſſe nequit. Quemadmodum vero cauſarum circumſtantiæ, remediorum vires ſuſpendentes, variæ admodum ſunt, ita in præſens illum ſolummodo erroneum effectum tangam, quem ſal Sedlicenſe, laxandi ſcopo exhibitum, nuperrime edidit, quemadmodum etiam *Vol. V. Actorum phyſ. med.* alienam Rhabarbari operationem jam jam deſcripſi. Sumebat nempe gracilioris texturæ fœmina ſex drachmas prædicti ſalis ſedlicenſis, laxantem inde effectum exſpectans; ſed, loco operationis hujus ordinariæ, duas poſt horas, inſignem anguſtiam pectoris ſentiebat, &, ut cum *MARONE* loquar:

Gelidus toto manabat corpore ſudor.

Cum igitur alia occaſione a ſimili hujus ſalis doſi quinquies ſexiesque alvum exoneraſſet, hinc jam tanto magis de ſini-

ſtro effectu ſollicita erat. Vehiculum, quo mediante ſal diſſolverat, fuit infuſum calidum Thee boy, de quo etiam aliquot cyathos ſuperbibit; ceterum eidem nihil periculi abinde evenit. Alia fœmina, quam paucis abhinc annis a gravi cardialgia icterica liberavi, petebat a me doſin ſalis iſtius amari laxantis, exhibeo etiam ipſi, cum robuſtioris conſtitutionis eſſet priore, unciam integram, pro una doſi mane in aqua ſumendam. Negligit, aut non percipit tempus & modum illud adſumendi: alteram itaque doſeos partem ante lecti ingreſſum in cereviſia, alteram vero ſequenti mane cum infuſo Thee adſumit. Noctu vehemens ſudor frigidus è toto corpore erumpit, nulla fecum depoſitione ſuccedente, neque etiam poſt alteram doſin, mane ſumtam, alvum moveri ſenſit, ſed ſudor frigidulus iterum e corpore dimanavit.

Quæſtio ergo nunc merito incidit: Qui factum ſit, ut loco effectus laxantis, ab hocce ſale Sedlicenſi frigidus ſudor e corpore eruperit? Solutionem ejus haud difficilem eſſe judico, ſi conſideramus, quod ſolutum ſal per venas lacteas immediate in ſanguinis maſſam tranſire potuerit, cujus circulo ad varias corporis partes delatum, easdem moleſte adfecit, & inprimis genus nervoſum magis irritavit. Poſtquam itaque etiam hoc modo ad exteriorem nerveo-fibrillarem cutis texturam pervenit, utique eandem pariter criſpando, & leviorem ſpasmum inducendo, frigidum illum ſudorem in utroque ſubjecto provocavit. Habent enim ſalia amara, medium inter alcalia & acida locum occupantia, id peculiare, ut ſi forſitan per alvum non operentur, ſed paulo majori in copia maſſam ſanguineam tranſeant, excretionem facile per poros cutis urgeant. Ex anatomicis autem conſtat, excernicula hæc cutanea ex ipſis fibris tendineis & papillis nerveis conſtructa, adeoque ſenſus exquiſitiſſimi eſſe. Si igitur particulæ illæ ſalis ſolutæ exitum moliuntur, non

poſſunt

poſſunt non in teneriori hac ſtructura ſpasmum aliquem excitare, papillas iſtas nerveas ſtimulare, & tandem ſub auctiori conſtrictione madorem, concurrente frigoris ſenſu, exprimere. Exinde nunc eluceſcit, quod infuſa calida minime commodum vehiculum præbeant pro adſumendo ſale Sedlicenſi, cum iisdem mediantibus facile ad vias ſic dictas ſecundas, ſanguinisque maſſam, deferri poſſit. Quodſi vero ſal tale amarum in aqua frigida ſolutum adſumatur, tunc non incongruum erit, ſi poſt dimidiam circiter horam calidum infuſum herbæ Thee, vel potius decoctum fabarum Coffee, quod hoc in caſu, ob majorem alvum aperiendi virtutem, priori præferendum eſſe exiſtimo, in parca quantitate, ad duo nempe vel tria vaſcula, ſuperingeratur, quoniam, ventriculo & inteſtinis a ſale prius transeunte relaxatis, calidum tale decoctum oborientem exinde flatulentiam diſſipat, & tormina facile accedentia mitigat, unde aucto dein motu periſtaltico tam ipſum ſal adſumtum, quam humores excernendi ulterius propelluntur, & ſalutaris ille actus excretorius magis promovetur. De reliquo nemini unquam auctor forem, & ejusmodi laxans veſpertino tempore, dum lectum petiturus eſt, adſumat, ſiquidem incertus non niſi effectus inde expectandus eſt, isque tanto certius, quo magis quies & calor lectorum effectum ejusmodi ſalis turbare aut ſaltem retardare ſolent.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

Effervescentia urinæ, durantibus motibus convulſivis.

SI quis humor in corpore humano eſt, cujus arcanam cum hoc ipſo harmoniam, ſeu potius ſympa-

thiam mirari licet, est sane præ reliquis omnibus excrementitius ille renalis, sub nomine urinæ veniens. Magna sunt experimenta phosphori ex illa parandi; major est virtus ciendi per illam sudorem, si singulari artificio tractetur; maximus vero est consensualis motus & effectus, quem sub secretione sua liquor hic ab homine recipit. Demonstrat hoc rarior quidam & prorsus singularis casus, de cujus veritate tanto minus mecum Lector benevolus dubitabit, cum in præsentia testium quorundam probatæ fidei & integritatis acciderit, magnaque cum admiratione ab iisdem observatus fuerit. Consistit autem ille in sequentibus: Puerpera quædam rustica, purpura laborans, tempore augmenti morbi urinam aliquando emittit, quæ vasculo infusa ex more hujus gentis mensæ imponitur, ut Medico dein pro inspectione mitti possit. Purpura brevi post retrocedente, ægra motibus agitatur spastico-convulsivis, adstantes vero observant, quod inchoante hocce paroxysmo, urina in vasculo contenta statim quoque adeo effervescere tantamque spumam agere inceperit, ut vitri extrema fere transierit, &, quæ JUVENALIS *Satyr. XI.* scripsit:

Auribus atque oculis concepta movetur urina,

Commode etiam hic adplicari potuerint. Remittente dein prædicto ægræ paroxysmo epileptico, liquoris quoque istius ebullitio successive remisit, ita, ut ne ulla quidem bullula tandem remanserit. Recurrebat dein idem hoc phœnomenon toties, quoties novus epilepticus insultus observabatur, ita ut tribus distinctis vicibus adnotari potuerit. Proinde etiam admirationem adhuc auget hæc circumstantia, quod urina ista tali modo effervescens non recenter, sed priori die jam emissa fuerit, licet ne exinde quidem plana ac perspicua ra-

tio obtineri queat, etiamsi in ipsa illa hora demum ea prodierit.

Similem equidem effervescentiam perquam notabilem, tam urinæ, quam aliorum ex sanguine secretorum humorum, bilis nempe, lactis, salivæ, succi pancreatici, immo & ipsius sanguinis observamus, si ope antliæ pneumaticæ aër ambiens removetur, ubi inclusus adhuc & commixtus cum iisdem aër subtilior, dum egressum molitur, copiosas non solum bullas formare, sed ad extremam usque vasis superficiem easdem elevare solet, licet contentus liquor vix tertiam partem vasculi repleat. An vero notissimum hoc experimentum ad eruendam veram causam hujus extraordinariæ effervescentiæ quidpiam conferre valeat, determinare non audeo, sed prudentioribus dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.

Humoris aquei, ex graviori oculi læsione deperditi, felix restitutio.

Aqueum oculi humorem, post ejusdem vulnerationem effluentem, facile iterum colligi posse, jam dudum declaravit *GALENUS Lib. I. de sympt. caus. cap. II.* & inter antiquiores exemplo notatu digno confirmavit. *Jo. Baptista SYLVATICUS, Hist. medicinal. Galen. XXII* quorum complura dein a celeberrimis nostri ævi Medicis adnotata fuere, quibus idcirco etiam præsens hoc a me observatum, adnectere licebit. Anno MDCCXL. die XI. Jul. vir quidam mediæ ætatis infausta sclopeti, grandine plumbea onerati, explo-

 sione

ſione ita in facie vulneratur, ut fartura circa genas in latere dextro ingreſſa, ſub proceſſu zygomatico ad meatum usque auditorium penetraverit, vulnerato hinc cum omnimoda ſenſus motusque abolitione protinus ad terram concidente, brevi autem poſt per ſupervenientem vomitum vehementiorem quadantenus iterum excitato. Sub his circumſtantiis etiam pulveris nitrati granula quædam tranſierant ad oculum dextrum, & ex iis unicum intraverat per tunicam ejusdem corneam ipſamque iridem, unde dein, humore aqueo paulatim effuſo, bulbus oculi ordinariam ſuam globoſam figuram amittebat & planiorem depreſſam induebat. Vulnus ipſum digitum facile excipiens, prævia qualicunque mundificatione & injectione balſamicorum, more ſolito deligabatur, ſuperimponendo ſimul ſacculos reſolventes, vino imbutos, oculo vero mucilaginem ſeminis Cydonior. leniter camphoratam adplicando. Mittitur ſanguis, & exhibentur medicamenta convenientia, quoniam convulſionibus aliquoties adfligebatur æger, hisque febris vulneraria ſuccedebat. Continuata hac medendi ratione poſt aliquot dies legitima quidem ſuppuratio ſequebatur, ſub qua etiam particula quædam a proceſſu jugali ſeparata prodibat, vulnus autem ipſum conſolidationem plane reſpuebat, quin imo, licet omnia, quæ ex arte neceſſaria erant, probe obſervarentur, tandem fiſtulæ metum incutiebat. Hinc, ponderatis omnibus circumſtantiis, totum vulneris tractum, ad ultimum usque terminum, provida inciſione aperire, & ſuccedentem hæmorrhagiam vaſculorum ſpiritu vini rectificatiſſimo compeſcere juſſi. Hoc facto ultra viginti adhuc grandines plumbeæ, vulneris parietibus inhærentes, unacum portione aliqua ſtuppæ offendebantur & caute a Chirurgo removebantur, vulnus vero ampliatum poſtea facili negotio conſolidabatur. Inflammatio

oculi

oculi poſt inſtitutam ſcarificationem palpebrarum itidem ceſſit, & tunicæ corneæ vulnuſculum perfecte coaluit. Pupilla quidem ob iridis læſionem latior & oblonga manebat, adeoque ad motum ordinarium minus idonea evadebat, nihilo tamen minus ægrotus, favente divina gratia, in tantum reſtitutus, lucem a tenebris commode ſatis diſtinguere valet, poſtquam oculus ſucceſſiva humoris aquei reſtitutione, formam & magnitudinem priſtinam exacte recuperavit.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

Rariora quædam infanticidiorum ſigna.

QUemadmodum in ſectione & luſtratione corporum infantum recens natorum Medico quoad depoſitionem legalem duo inprimis momenta ex fundamentis medicis demonſtranda ſunt, 1.) an vivus in lucem editus fuerit infans, & 2.) an morte violenta, aut naturali extinctus ſit? Ita in arduo hoc ſatis negotio omnes circumſtantiæ probe utique examinandæ ſunt, ut certa demum de iis ſententia ferri queat. Occurrunt autem nonnunquam talia phœnomena, quæ forſan in aliis cadaveribus fruſtra inveſtigantur, & tamen de vitæ præſentia poſt partum, aut ipſo mortis genere teſtimonium ſatis firmum præbent. Pro hujus adſerti demonſtratione tria inprimis momenta jam expoſiturus ſum, quæ una cum reliquis ſignis aliquando me de vita pariter ac qualitate mortis certiorem reddidere, quorum tamen nullum in ſcriptis medico-legalibus adnotatum deprehendi. Cum enim anno MDCCXXXIX. die XXVI. Octob. infantem recens natum

legali

legali situ inſpicerem & ſecarem, inter alia quoque admirabundus obſervavi, quod membrum virile aliàs ordinarie in mortuis flaccidum & pendulum, in illo corpuſculo erectum & rigidum adpareret, ex quo phœnomeno, & dum inſimul pulmones ſanguine ſtagnante magis, quam ordinarie, infarcti erant, absque ullo concurrente ſigno prægreſſæ cujusdam hæmorrhagiæ violentæ e funiculo umbilicali, immo, cum tandem linteum quoddam convolutum in fauces ejus intruſum deprehenderem, merito judicavi, ſuffocatione inductam fuiſſe mortem. Dependebat enim erectio iſta penis non niſi a ſpasmodico rigore, qui in præfocatis interdum evenit, ob conſenſum inter thoracis viſcera, parteſque genitales, ex violenta tali cauſa magis excitatum. Similiter anno ſubſequente, die XVII. Maji ſectionem infantis, mox a partu ſepoſiti, in oppido *Mittweida* inſtituti, ſub qua inter alia etiam vaſa lactea, rarum ſane in ejusmodi ſubjectis demortuis occurrens phœnomenon, non ſine jucundo ſpectaculo offendi. Hinc ſequentibus ex rationibus infantem hunc vivum ex utero egreſſum fuiſſe demonſtravi, quoniam nimirum 1) externe quoad omnes corporis partes perfectus & maturus fuit; 2) in induſio, in quo involutus erat, meconium depoſuit; 3) viſcera in ſingulis corporis cavitatibus contenta, bene conſtituta fuerunt; 4) pulmones cum corde exemti in aqua natarunt, factamque ſic reſpirationem indicarunt; 5) vaſa lactea, humore lymphatico turgidula, in meſenterio obſervata fuerunt, prægreſſam hinc ſufficientem, immo ſuperfluam nutritionem oſtendentia; 6) cum ipſo partu ſtatim ſecundinæ, undique ſanguine repletæ, prodierunt. Sic ergo præſentia vaſorum lacteorum in hoc tenello corpuſculo non contemnendum omnino ſignum de ejus vita poſt partum præbuit. Rariſſimum vero illud eſſe, & in pauciſſimis ejusmodi ca-

dave-

daveribus, immo vix uno ex centenis illud occurrere, Medicis tales ſectiones inſtituentibus incognitum eſſe nequit. Tertium tandem ſignum, quod pro manifeſtandis infanticidiis adhuc inſervire poteſt, licet etiam non admodum frequenter occurrat, eſt major quantitas aquæ pericardii, in iis maxime conſpicua, quibus ſpiritus obſtructis faucibus præcluſus fuit. Quum vero hanc ipſam ſententiam Problematis loco in *Hydrocardialogia mea*, ſive *Diſſertat. de Liquore Pericardii*, ſuperiori anno edita, propoſuerim fuſiusque explanaverim, ac inſimul novis quibusdam rationibus confirmaverim, idcirco amicum lectorem eo remittere placet, ne crambem bis coctam adponere velle videar.

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

de

Angina ſanguinea per errorem curata.

VEritatem illorum, quæ *CELSUS de Medicina, Lib. IV. cap. IV.* his verbis protulit: *Interdum natura quoque adjuvat, ſi ex anguſtiore ſede vitium tranſit in latiorem: Itaque rubore & tumore in præcordiis orto, ſcire licet, fauces liberari:* non ſolum experientia ſæpius jam confirmavit, ſed & ſequens obſervatio, de angina per errorem ſanata, ulterius illuſtrare poterit. Fœmina viginti ſex annorum, habitus ſucculenti, & hyſtericis pathematibus nonnunquam obnoxia, die XXX. Octobr. anni proxime elapſi angina ſanguinea corripitur, cui Medicus in conſilium vocatus diſcutientia in- & externa ſtatim opponit. Præſcribitur inter alia Eſſentia Pimpinellæ ad quatuor vel ſex guttas ſaccharo

 inſtil-

instillanda, & prævia successiva hujus colliquatione degluttienda, ut ita resolutorius effectus tanto citius in principio obtineri queat. Die 11. Novembr. sive quarto a morbi initio, Chirurgus post gargarismatis injectionem, frustulum sacchari, prædicta Essentia largiter irroratum, ægrotæ porrigit, addita simul ratione, quod aucta medicamenti dosi, salutaris etiam effectus augeri debeat. Hæc primo quidem illud adsumere renuit, periculum ex nimia quantitate instillati remedii metuens, tandem tamen ore id excipit: vix autem saccharum ita essentificatum penitus in ore dissolutum erat, cum in faucibus inflammatis vehementem ardorem, per integræ horæ spatium continuantem sentiret, quo cessante, tumor inflammatorius prorsus disparuit, ut nihil incommodi ulterius perciperet. Quemadmodum vero antea de intolerabili æstu colli perpetuaque illa deglutitionis difficultate, durante angina, conquesta fuit; ut vix micam panis, aut tantillum liquidi deglutire potuerit, ob insignem illam faucium inflammationem; ita jam absque omni difficultate & dolore tam solida, quam fluida adsumere valebat. Interim subitanea hæc doloris anginoidei remissio aut ipsius mentem turbaverat, ut ex imaginatione & subita mutatione pejora conjiceret, aut ipsa illa actu retropulsa inflammatio adeo gravia & periculosa consectaria in œconomia vitali produxerat, ut ex hoc errore sibi mortem instare certissime concluderet, atque hinc sera jam nocte sacræ cœnæ usum desideraret, præcipue cum insimul subinde graviores spasmodici & lipothymici insultus, summa præcordiorum anxietate semper stipati, accederent. Ex desiderio igitur agnatorum, eventum pejorem similiter metuentium, Dn. D. *GARMANNUS*, Vir officiorum suorum observantissimus, accersitus, hujusque consensu una & altera dosis pulveris cujusdam tem-

temperantis, pro mitiganda sanguinis commotione orgastica, exhibetur, instante vero paroxysmo, Liquoris mineralis anodyni exigua dosis, sæpius tamen repetenda, in infuso Thee porrigitur, tepidumque simul pediluvium ordinatur. Sequenti die melius se habebat, & leviores tantummodo paroxysmos & spasmos in manibus, cum aliquali refrigeratione, sustinuit, metu instantis mortis jam excusso. Die IV. Nov. prodiit purpura, primo in dorso, deinde circa humeros & femora, cum majori remissione adfectus spasmodico-lipothymici & anxietatis præcordiorum. Ad peripheriam ergo hanc excretionem promovendam exhibentur diapnoica, & blande calidum regimen imperatur. Die VI. Nov. menses periodo consueta fluere incipiebant, & per totam hebdomadem continuabant, absque ulla purpuraceæ excretionis turbatione. Medicamenta ergo sub his circumstantiis tali ordine porrigebantur, ut mane hora VII. Essentiam alexipharmacam cum Essentia Scordii probe saturatam, & interdum cum Essentia Succini remixtam, ad guttas XV. et versus meridiem ad guttas X. in potu Thee; pomeridie autem & vesperi pulverem diapnoicum, ex Antimonio diaphoret. C. C. s. igne & absorbente aliquo, anatice sumtis, compositum, scrupulum unum pro dosi adsumeret, quibus etiam obtinuimus, ut purpura non solum, durante licet mensium fluxu, in dies magis adhuc erumperet, & tandem in pectore quoque prodiret, sed etiam desiccatis prioribus exanthematibus miliaribus, iterum nova, cum interspersis pustulis albis, succederent. De reliquo ab eo tempore, quo angina tam subito disparuit, neque dolorum, neque inflammatorii quidquam amplius in collo notavit, nisi quod, sub eruptione purpuræ, crebrior & copiosior occurreret salivæ mucosæ excretio, quem ptyalismum experientissimus Dn. D.

GARMANNUS intuitu purpuræ pro critico declarabat, confirmante etiam ipsum eventu felici, siquidem hac ratione ægra nostra, auxiliante Divini Numinis gratia, ab angina per errorem liberata, post felicem purpuræ decursum plenarie iterum convaluit.

Quisquis igitur hactenus dictorum rationem causamque paulo operosius perpenderit, illum existimaturum arbitror, sanguinem circa collum primo stagnantem, & die quarto sub statu anginodeo, jam ad corruptionem inclinantem, usu Essentiæ Pimpinellæ, efficaciter incidentis, resolutum, attenuatum & in massam sanguineam reductum esse, cui vero dum intime iterum commisceri haud potuit, hinc nervosas partes irritando circulumque sanguinis turbando, spasmos, febrem & lipothymiam excitavit, quamquam etiam lipothymici illi insultus, mentisque perturbatio moralem & idealem causam pro fundamento habuerint. Cum enim vix fieri possit, ut humor jam ex parte corruptus, denuo cum alio, naturaliter adhuc constituto, perfecte uniatur, facile hinc adparet, quantæ hinc turbæ ratione sanitatis, quamque gravia inducantur symptomata. Proinde vero convenientius auxilium invenire non potuit natura provida, quam quod deperditam illam sanguinis portionem cum universa ejus massa iterum commixtam, per cutaneum glandularum cribrum, ad seri acrioris & vitiati se- & excretionem aptissimum, eliminaret. Simili enim ratione videmus, quod puerperarum uteri inflammationibus utplurimum purpura tandem superveniat, atque tunc depravatum serum, ex stagnatione sanguinis inflammatoria oriundum, per corporis peripheriam removere moliatur natura, quamquam propter copiam malignæ materiæ, salutarem hunc finem excretorio tali actu haud semper impetrare, morbumque tam gravem hoc modo tollere possit.

De

De reliquo notatu omnino quoque dignum eſt in hoc caſu, quod fluxus menſium, poſt purpuræ eruptionem proveniens & per octiduum fere continuans, typum & ſucceſſum morbi nullo modo turbaverit, quod tamen ab aliis quibuscunque extraordinariis eidem ſupervenientibus excretionibus fieri ſæpiſſime obſervamus; aſt, cum non ſimpliciter ſymptomatice, ſed ſtatuto ordinario tempore evenerit, placide continuaverit, & ad nullum exceſſum inclinaverit, nequaquam idcirco impedire potuit, quo minus primarius morbus, ſub provida medicatione, decurſum ſuum abſolverit, quemadmodum id etiam in ſimilibus exanthematicis morbis ſimili cum ſucceſſu non admodum raro evenire, attentis & ſagacioribus per experientiam abunde jam conſtat practicis.

OBSERVATIO L.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI.

de

Cardialgia icterica, in fœmina gravida ſæpius recurrente, poſt partum demum perfecte ſublata.

FOemina XXX. annorum, per octennium in matrimonio vivens, & quinque infantum mater facta, in præſens ſextum duos circiter menſes utero ſe gerere exiſtimat, hinc die XX. Septembr. MDCCXXXVIII. venæſectionem in brachio admittit, veſperi autem ejus diei ex gravi & repentino lapſu debilitata, animo vehementer commovetur, unde tertio abhinc die, qui proximus ante novilunium erat, inſigni corripitur æſtu, quem copioſus excipit ſudor, cum inquietudine nocturna, ſiti auctiori, anxietate & ſpaſtica compreſſione præcordiorum, quibus omnibus moleſtus tandem pruritus in ſuperficie cutis, inprimis manuum & pedum, accedit. Urina redditur ſaturate flava co-

piosumque deponit sedimentum. Succedebat tussis sicca ferina, cujus intuitu adstantes de complicata forsitan febre lenta metuebant, ex omnibus autem symptomatibus luculenter adparebat, ægrotam cardialgia laborare icterica. Die ergo XXV. Sept. ad eandem vocatus, exposità morbi historia, præscribo medicamenta temperantia, salia neutra, Liquorem terræ foliatæ tartari, Crystallum montanam, rhabarbarina, &c. inprimis nodulum laxantem, ex rad. Cichor. Chelidon. herb. Fragar. Marrub. alb. fol. Sennæ, Rhabarb. & Tartaro albo, cum cerevisia infundendum, qui egregiarum fuit virium, subjungendo in declinatione martialia, quorum omnium usu etiam morbi vehementia feliciter cohibita fuit.

Post quatuor hebdomadum decursum, biduo ante novilunium, die scilicet XXI. Octobr. cardialgia denuo, post prægressam iracundiam, cum adeo vehementibus stricturis spasticis, modo circa superius ventriculi orificium, modo circa inferius, itemque in diaphragmate & intestino duodeno sese exerentibus, recurrebat, ut in suffocationem syncopticam incideret, quæ ipsa exacerbatio procul dubio adsumtæ in paroxysmi principio Essentiæ Corticum aurantiorum saturatiori ex parte tribuenda erat. His ergo in angustiis iterum accersitus, pulveres ex Nitro, Tartaro vitriolato, Cinnabari & duobus pro dosi granis Castorei paratos, exhibui, vixque tertium horum adsumtum erat, cum omnes hæ molestiæ iterum cessarent. Licet etiam sequenti die facies flavo colore tincta adpareret, paucorum tamen abstergentium & Liquoris terræ foliatæ Tartari usu ille in naturalem transibat, nec opus erat alvum laxantibus sollicitare, cum partim sponte, partim ex usu arcani Tartari ad frequentiores dejectiones inclinaret.

Die XVII. Nov. qui erat quintus ante novilunium, cardialgia tertia vice magno cum impetu recruduit, ægramque

per

per novem horas maxima cum atrocia excruciavit, quæ novi hujus insultus causam iterum in iracundiam, qua præcedente die subito correpta fuit, conjecit. Bene enim & de illa valet, quod *JUVENALIS Satyra VI.* scribit:

Nulla fere causa est, in qua non fœmina litem
Moverit:

Sequente die facies similiter, ut antea, flavo obducebatur colore, ægrota vero bene se habebat, & nova hæc defœdatio, post usum pulverum antispasmodicorum, paucorum dierum spatio evanescebat. Cæterum hoc tempore alvus eidem quotidie bis, vel ter, soluta fuit, instar diarrhoeæ, cum summa tamen euphoria, siquidem etiam excrementa nihil præternaturale monstrabant.

Probe igitur de novo ponderatis omnibus his morbi circumstantiis, auctor suasorque fui, ut ægra per tempus aliquod a medicamentorum usu plane abstineret, & potius quieti animi adsuesceret, ne perpetua eorundem, in se quidem salutarium, ingurgitatione, fœtus forsitan debilitaretur. Ejusmodi enim morbi ita facile & crebrius recurrentis, causam non tam in materia, quam in motu quærendam esse existimavi, præcipue concurrente semper ira, aut terrore. Præscripsi ergo non nisi pulverem aliquem temperantem, quo ingruenti occurreret morbo, quotiescunque terrore aut ira commoveretur. Nam, docente *PERSIO Satyr. III.*

Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas.

Paroxysmus enim ab hoc tempore sæpius & citius recurrebat, atque per novem & duodecim horas durabat, posteroque semper die color flavus ictericus in facie adparebat, cujus recidivæ causam, fatente ipsa ægrota, aut terror, aut ira præbuit, interim tamen quilibet talis novus insultus

post

post lenem quandam diarrhœam mitigatus fuit. Adpetitus extra paroxyſmorum exacerbationem ſatis vegetus erat, ægrota quoque menſibus Decembri & Januario ſacram ædem frequentabat, & domi ſingula ſua negotia absque ulla moleſtia peragebat, & interdum medicamenta antiſpasmodica adſumebat, nulla tamen arte malum plenarie eradicari poſſe videbatur, donec â ſarcina corporis ſui levata eſſet, cum naturæ ſenſibilitas potiſſimum in culpa eſſe deprehenderetur, hæc vero una cum extraordinaria illa inclinatione ad terrorem & iram ab ipſo graviditatis ſtatu induceretur. Interim præſervatorio ſcopo tam circa medium ingravidationis tempus, quam inſtante partu, venæſectionem in pede inſtituere juſſi, quæ etiam aliquid ad minimum levaminis attulit.

Tandem cum tempore juſto partus vincula in noſtra ſoluta eſſent, iterum durante puerperio ictero infeſtabatur, & quidem tanta cum vehementia, ut in nigrum mutaretur, & faciem colore ex flavo virideſcente ac nigricante defœdaret. Auſcultabat tunc per aliquot hebdomades Empyrici cujusdam conſiliis, ejusque medicamenta adhibebat; cum vero loco ſperatæ & promiſſæ ſanitatis cacheɛticus jamjam immineret ſtatus, meam tandem iterum imploravit opem, quare, præmiſſa in pede venaeſectione, ſtatim medicamenta ſalina, aperientia & reſolventia, inprimis autem arcanum Tartari, efficaciſſimum alias in Ictero remedium, præſcripſi, quorum debito & convenienti uſu per Dei gratiam brevi poſt convaluit, poſtmodumque etiam denuo gravida reddita, absque ullo ulteriori incommodo fœtum ſeptimum enixa fuit.

(*Chemnitio Erfordiam transmiſſa d.* 10. *Mart.* 1742.)

OBSER-

OBSERVATIO LI.

DN. M. BONIFACII HENR. EHRENBERGERI.

de

Vitri caustici, speculo conuexo adplicati, effectu.

IN præcedenti Volumine VI. horum Actorum tribus in Observationibus, nempe XXXII. XXXIII. & XXXIV. nouam aliquam speculorum causticorum descripsi rationem, ut adpareret, quo forte modo Archimedis aut Procli instrumenta ustoria fuerint comparata. Nec animus est, eam materiam deserere, cum eam nondum sciamus exhaustam, sed subinde cogitationes aliæ ex aliis genitæ moneant, id, quod semel recepimus, prosequi, donec ad maturitatem pervenerit. Nimirum uno modo invento dispeximus porro: annon alia quoque ratione illi classium vastatores eundem finem obtinere potuissent, ut e longinquo ignis in classe fuisset excitatus? Neque difficilis fuit inventu modus alius. Considerantibus enim nobis speculum illud, quod Observatione XXXIV. descripsimus, adparet tanquam lens caustica speculo convexo coalita, hinc facile menti obuium erit: Vitrum ustorium & speculum convexum eundem effectum producere posse, quem speculum ex menisco paratum. Atque hoc constabit clarius, si ad sequentes propositiones animum attendemus.

Propositio I.

Radii paralleli per lentem vitream refracti & missi in speculum convexum ita, ut continuati tandem in speculi

centro concurrerent, eo modo repelluntur in lentem, ut denuo refractionem paſſi fiant iterum paralleli.

Demonſtratio

Sit lens vitrea KBDK, *Tab. III. Fig.* I. focum habens in F: adplicetur ſpeculum conuexum IE, cuius centrum itidem ſit in F. Ducatur radius medius perpendicularis, ſive axis, ABI, qui ſi produci poſſet, pergeret in X: At in I illapſus in ſpeculum repellitur in ſe ipſum. Sit alius radius RD huic parallelus, qui duplicem refractionem paſſus tendet verſus focum ſuum F, & ſimul etiam verſus centrum ſpeculi, hincque ad E in ſpeculum cadet perpendicularis, & repulſus ibi in D, unde venerat, quaſi ex foco ſuo cadens in lentem, iuxta refractionis regulas a *KEPLERO* (*Dioptrice Axiom. III. pag.* I.) & illuſtri *WOLFFIO* (*Element. Diopt.* §. 37.) traditas, fiet iterum axi parallelus.

Corollarium.

Eiusmodi igitur vitri ac ſpeculi convexi connubium, quorum nimirum focus & centrum coincidunt, rationem habent ſpeculorum planorum, quæ faciei imaginem illapſam ſiſtunt erectam & debita magnitudine.

Scholion I.

Utrum metallicum hic ſpeculum præſtet, an vitreum; facile quivis iudicabit, qui utriusque proprietates conſiderat. Etenim in una ſuperficie probe polita ſola reflexio, qualis in metallicis optime paratis habetur, radios illapſos nihil, aut parum, debilitabit: in vitreis autem, ubi radii ingredientes & regredientes ſuperiorem ſuperficiem

ciem penetrare ac in inferiore superficie etiam mutari debent, facile accidet, ut vigorem suum paululum amittant, maxime, si vitrum speculi flatu oris paratum nec eius utraque superficies naevis libera sit.

Scholion II.

In schematismo formam lentis, plano-convexæ exhibemus. Perinde autem erit, siue convexum utrinque, seu alterutra parte planum, seu meniscum eligamus vitrum, modo sit causticum & radios parallelos fideliter colligat. Quoniam autem in demonstrationibus sequentibus ad speculi & lentis distantiam attendere haud volumus, sed eam libentius habere pro nulla, ne difficultas accrescat nova & remoram iniiciat; convexo-plana autem propius admoveri speculo potest, quam utrinque convexa, & magis quoque in usu est, quam meniscus; ideo plano-convexæ hic depictam sistimus lentis figuram.

Scholion III.

Neque etiam nos latet, radios parallelos, ab axi ultra 20. gradus remotos, refractionum regulis non tam prope respondere, quam propiores. Attamen, ne propter lentis crassitiem in lineis ducendis oriatur confusio, extremum potius lentis punctum elegimus, supponentes, illud ultra modum ab axi non abesse.

Scholion IV.

Cæterum, quoniam hæc, quæ porro tradituri sumus, in eorum quoque gratiam, qui institutionibus mathematicis leuiter saltem tincti sunt, ut a pluribus intel-

 ligantur,

ligantur, proponimus: iisdem in demonstrationibus utemur suppositis, quibus in praecedentibus, Volumine VI. communicatis, abstrahentes a lentium crassitie & supponentes speculorum unam solum superficiem, & quod in triangulis valde acutis latera rationem circiter habeant eandem inter se, quam habent anguli oppositi.

Propositio II.

Radii paralleli per lentem illapsi in speculum convexum quam proxime admotum, cuius centrum quarta foci distantia longius absit, ita repelluntur in lentem, ut iterum fractionem passi uniantur in distantia diametri circiter speculi illius, aut foci lentis dupla sesqui altera.

Demonstratio.

Sit radius HK (*Tab. III. fig.* 1.) axi ABO parallelus, cuius cum axi unio esset in F: at in speculo convexo OL, cuius centrum G, & semidiameter GL, ita incidit, ut cum perpendiculo GLP faciat angulum incidentiae, (cuius crura retro ducta sint LP & LM.) cui respondeat angulus reflexionis QLP isti aequalis; itaque tendet tertia parte ad perpendiculum, (quod nunc est KH) ut, si continuares, perveniret in V. Sed vero nunc in egressu retro iterum declinat dimidia parte a perpendiculo (quod nunc est KN,) adeoque angulus refractionis VKA erit dimidium anguli inclinationis VKN. Demus igitur foco FK, aut LF = FB, aut FO, digitos 8 & obtinebit speculi radius GK, aut GL, 10; CK vero & CF, semidiameter 4. Sit angulus BCK = opposito HKN, 30; & erit angulus KFC = CKF = MKN, 15, & angulus

FKG,

FKG, 3, (Nam, ut KG (10) ad angulum acutum F, (15): ita FG, (2) ad ang. FKG, aut FLG, (3). Atque hic est angulus incidentiæ radii KL, retro per PLM repræsentatus, cui æqualis ang. reflexionis PLQ, uterque partium 3. Vt ita ang. inclinationis in regressu sit QKH, & angulus refractionis in ingressu hoc QKV itidem 3; in egressu vero, ubi angulus inclinationis est VKN = 24, erit ang. refractionis VKA, 12. Quia autem VKH est 6, erit etiam HKA = alterno CAK, 6. Et sic in triangulo GAK angulo = 6, opponitur latus LG, siue diameter speculi, --- 10, ergo angulo G = 12, opponitur KA, quod duplum sit necesse est, siue 20, & sic speculi diameter. Vel in triangulo FAK angulo A, 6, opponitur latus KF, sive foci longitudo = 8, ergo angulo F = 15 opponitur KA = 20, quæ linea ad focum 8 rationem habet duplam sesqui alteram. Q. E. D.

Propositio III.

Radii paralleli per lentem illapsi in speculum convexum quam proxime admotum, cuius semidiameter octaua parte maior est foco lentis, post iteratam refractionem uniuntur in distantia semidiametri speculi quadrupla & foci lentis quadrupla sesqui altera.

Demonstratio.

Sit radius ABO (*Tab. III. Fig.* 2.) perpendicularis & alius RD, parallelus; focus lentis BDI sit F, speculum convexum OE, cuius semidiameter EG, aut GD. Hinc GEQ est perpendiculum, cum quo radius DE angulum format incidentiæ MEQ, cui convenit ang. reflexionis

QEP, sicque ang. inclinationis in ingressu radii reflexi erit RDP, cuius tertia pars ad perpendiculum PDT, in egressu vero angulus inclinationis est TDL, cuius dimidium a perpendiculo TDV. Demus igitur foco DF, aut BF, digitos 8, & speculi semidiametro EG, aut DG, 9; FG vero sit unius digiti, & angulus acutus partes habeat 36, cui æqualis est oppositus RDL. Cumque triangulum CDF, sit æquicrurum, erit ang. acutus F, ac similiter CDF, & huic æqualis verticalis LDM, partium 18. Inferre autem nobis liceat: Ut latus DG (9) ad ang. acutum F (18): ita FG (1) ad ang. FDG = MDQ = QDP, (2) Ergo angulus acutus G est = 16. & LDM † MDP = 22, PDR antem, (ang. inclinationis in egressu) residuum ex 36. sive 14, cuius tertia pars PDT = $4\frac{2}{3}$; sicque ang. inclinationis in egressu LDT = $26\frac{2}{3}$, & refractionis TDV = $13\frac{1}{3}$: hocque ad illum addito, habetur angulus LDV = 40; a quo subtractus RDL = 36. relinquit pro RDV 4. Huic autem angulo, prolongatis retro lineis BA & DV, respondebit angulus alternus in puncto unionis, quod per V concipere liceat. Adeoque in △ VGD angulo V (4) opponitur GD (9) ergo angulo G (16) opponitur quadruplum, nim. DV (36). Quod ad foci lentis distantiam (8) est quadruplum sesqui alterum. Q. E. D.

Scholion.

Facile vero progressum hic quiuis facere poterit ad focorum centrorumque distantias minores; si focus DF obtineat partes 16. & semidiameter speculi DG vel EG, 17: punctum unionis radiorum proditurum est octu-

octuplum semidiametri speculi. Aut centro speculi a lentis foco trigesima secunda parte longitudinis foci distante radii unientur in distantia semidiametri sedecupla, & sic porro.

Ex his ergo demonstratis L. B. colliget, *radios parallelos per lentem in speculum convexum illapsos & ex eo per istam denuo refractos, semper fieri convergentes ac ante lentem & speculum uniri; si nimirum semidiameter speculi maior est lentis foco.* Quia, foco lentis & semidiametro speculi coincidentibus, demum radii rursus redduntur paralleli. Exinde vero etiam coniectura adsequi facile poterimus, radios parallelos per lentem in speculum tale, cuius semidiameter minimam partem brevior est foco, illabentes, & relabentes, non uniri, sed dissipari. Id quod insuper una solum demonstrabimus propositione. Sit igitur

Propositio IV.

Radii paralleli lentem illapsi & inde speculum convexum quam proxime admotum, ac tale quidem, cuius semidiameter sit octava parte minor foco lentis, post reflexionem ac iteratam refractionem divergentes fiunt ita, ut retro producti in dispersionis puncto concurrant, quod in quadrupla semidiametri, aut tripla sesqui altera foce, distantia circiter abest.

Demonstratio.

Sit lens IBDI (*Tab. III. Fig. 2.*) cuius focus JF aut BF, digitorum 8. sit etiam speculum KN cuius semidiameter KH, aut JH, (nam lentis a speculo distantia hic non attenditur) digitorum 7. JC = CF = 4, CH = 3.

angu-

angulus JCN habeat partes 14: ergo CJF = CFJ, 7. et JHC, 8, HJF autem 1, et ejus verticalis, *a*K*b*, aut *a*J*b*, angulus incidentiae in ſpeculum, 1, hujusque reflexionis angulus *a*KZ, aut *a*JZ, ſimiliter 1. cumque *y*J*g*, aut *y*K*g*, = oppoſito JCB, ſit 14, CJF 7. cui verticalis *y*J*b*: radius ex ſpeculo reflexus KZ vel JZ cum K*y* aut J*y* faciet angulum in K aut J partium s vt angulo ZJ*g* remaneant 9, qui eſt angulus inclinationis in ingreſſu retro facto. Ergo radius ſemel denuo fractus tendet in *d*, vt reſiduus angulus *d*J*g* adhuc ſit 6, in egreſſu autem radius *d*J, per ſuperficiem lentis convexam, vbi frangitur dimidia parte a perpendiculo, (quod nunc eſt J*y* et cum radio J*d* angulum facit 8 partium) tendit in *e*, vt angulus *d*J*e* ſit 4 et *y*J*e*, 12, ac proinde angulo *e*J*g* relinquantur 2, cui verticalis eſt *m*K*h*, huicque alternus iſte, quem linea K*h* continuata cum axe AX etiam prolongato efficit, cui angulo in puncto diſperſionis exiſtenti, inſcriptam eſſe litteram S nobis concipiamus. Jam igitur: Vt ang. S, (2) ad JF (8), ita JFC (7) ad J*h*S, (28) aut ang. S, (2) ad JH (7) ita JHC (8) ad J*h*S (28). Linea J*h*S vero (28) habet ad JH (7), ſemidiametrum ſpeculi rationem quadruplam, et ad JF (8), diſtantiam foci lentis, rationem triplam ſuper quadri octauam ſiue triplam ſesqui alteram. Q.E.D.

Corollarium I,

Radii igitur paralleli per lentem refracti & ſpeculo conuexo, ſemidiametrum breuiorem foco habenti, immiſſi retroque in lentem repulſi, diuergentes fiunt, ac tanto qui-

quidem magis, quanto ſpeculi ſemidiameter lentis foco eſt breuior.

Corollarium. 2.

Contra vero, radii paralleli per lentem in ſpeculum conuexum, ſemidiametrum longiorem foco habentem, miſſi, retro per eandem lentem repelluntur conuergentes et concurrentes in vnum punctum, ac tanto quidem maiori interuallo, quanto minor eſt ſemidiametri vltra focum diſtantia.

Corollarium 3.

Hincque nouus habetur modus, radios ſolares excipiendi et in aliquem repellendi locum, vbi collecti in materia ignem facile concipiente, flammam excitabant,

Corollarium 4.

Neque tamen, quemcunque in locum libuerit, punctum vnionis radiorum ſolarium proiicere poteris: ſed retrorſum potius, ſolem verſus, aut certe in locum non multum a ſolis regione declinantem. Quia alias radii ſolares, obliquius lentem et ſpeculum illabentes et reflexi, non omnes rurſus ingrederentur lentem, ſed magna copia praeterirent, neque etiam in vnum colligerentur punctum.

Scholion.

An autem *ARCHIMEDIS* et *PROCLI* inſtrumenta uſtoria vel ſpecula ex meniſco parata fuerint, eo, quem *Obſerv. XXXIII. et XXXIV. Volum. VI.* deſcripſimus modo, vel talia, vbi lens cum ſpeculo conuexo

 con-

conjungitur: id hic quidem loci nondum inquirendi facultas datur; cum plura ſuperſint antea demonſtratu neceſſaria, nuncque, quantum pagina capiet, praemittenda.

Propoſitio V.

Radius non nimis ab axe remotus et ita conuergens cum axi ſpeculum conuexum illapſus, vt productus in dimidiae ſemidiametri diſtantia paululum minore concurrat; aut potius, vt poſt ſpeculum continuatus concurrat cum axi continuato ita, vt reſiduum axeos ad centrum vsque, et ille continuatus radius cum ſemidiametro ſpeculi triangulum faciat aequicrurum, in puncto vnionis valde obtuſum: reflectitur cum eodem axi parallelus.

Demonſtratio.

Sit ſpeculum conuexum SD, (Tab. IV. Fig. 1,) cuius ſemidiametri, SC, BC, et DC. Sit radius perpendicularis AB in ſe ipſum reflectens; ſitque alius RD, convergens verſus E, vt reſiduum EC ſit = DE, adeoque BE paulo minor quam EC. Ducatur perpendiculum CDL, et erit angulus reflexionis LDN = angulo incidentiæ LDR, cui æqualis eſt verticalis EDC. Quodſi vero △ CDE habetur pro Iſoſcele, angulus acutus ECD etiam alteri EDC erit aequalis, ac iunctim aequales externo acuto DEB. Angulus autem RDN, tamquam duplum anguli EDC, eſt oppoſitus, adeoque aequalis angulo DEB, et ſic radii DN et BA paralleli. Q. E. D.

Co-

Corollarium 1.

Quia angulus incidentiae vbique angulo reflexionis conuenit, ſequitur, radios parallelos ſpeculum convexum illapſos reflecti ita, ut retroducti concurrant in diſtantia dimidia ſemidiametro paululum minore.

Corollarium 2.

Quoque propiores ſibi ſunt radii paralleli, eo acutiores fiunt anguli incidentiæ ac reflexionis, adeoque & anguli minores △ i æquicruri, hincque punctum unionis radiorum retroductorum propius accedit ad medium ſemidiametri.

Corollarium 3.

Cumque radii ab objectis remotiſſimis ex uno puncto in ſpeculum venientes haberi poſſint pro parallelis: ſequitur, ut iſti radii in ſpeculo convexo reflexi & retro ducti nunquam uniantur in diſtantia poſt ſpeculum dimidia ſemidiametro majore, ſed potius paululum minore,

Corollarium 4.

Et quia ibi adparet objecti imago, ubi radii ex uno puncto emiſſi iterum concurrunt (ſive reflexi, ſive refracti, ſive retroducti) patet: nullam objecti, etiam remotiſſimi, imaginem in ſpeculo, ſphæræ, aut cylindri ſuperficiem habente, ultra ſemidiametrum dimidiam introrſum removeri, ſed ſemper in paululum minori diſtantia, quæ tamen in remotiſſimorum repræſentatione ad ſenſum pro dimidia ſemidiametro accipi poteſt.

Scholion.

Non equidem totam hanc de ſpeculo convexo demonſtrationem ad ſcopum meum neceſſariam duco: nolui tamen imperfectiorem relinquere, præſertim cum ab Opticis & Mathematicis traditam non inveniam, niſi quod b. *Ge. Alb. Hambergerum* in lectionibus ſuis opticis publice in calamum dictatis, hanc materiam tetigiſſe recorder.

Propoſitio VI.

Radii verſus quartam partem ſemidiametri, ſive partem dimidiam dimidiæ ſemidiametri, ſpeculi convexi convergentes (quod punctum convergentiæ punctum vocare liceat) poſt reflexionem uniuntur in diſtantia circiter dimidia ſemidiametri.

Demonſtratio.

Sit radius HS, *Fig.* 1. *Tab. IV.* incidens in punctum ſpeculi S, non nimium ab axi AC remotum, & tendens verſus G, ut BG, aut SG ſit = $\frac{1}{4}$ ſemidiametri BC. Sit Angulus SGB partium 4, cui opponitur in △ GSC valde acuto latus SC 4. digitorum: ergo GSC erit partium 3, quia etiam latus oppoſitum GC tres digitos aut $\frac{3}{4}$ ſemidiametri habet; & angulus SCG, 1. quia opponitur lateri SG, $\frac{1}{4}$ ſemidiametri circiter. Ergo angulus incidentiæ HSI, huiusque reflexus ISF, 3 partes acquiret. Quodſi igitur in △ acuto FSC, angulus externus ISF eſt 3. partium & SCF 1. erit SFC, 2. Jam vero huic angulo 2, opponitur ſemidiameter SC; ergo angulo SCF = 1. opponitur SF, dimidia ſemidiametri. Q. E. D.

Pro-

Propositio VII.

Radii versus $\frac{3}{8}$ semidiametri sive $\frac{3}{4}$ dimidiæ semidiametri speculi convexi convergentes, retro uniuntur in distantia circiter semidiametri sesqui altera.

Demonstratio.

Sit radius PS, non longe ab axi incidens in speculum & convergens ad O ut OC sit = 5 digitis & SO = 3. Sit & angulus OSC, 5 partium, ergo & PSI, verticalis & incidentiæ, ac ISA, reflexus, sicque angulus A erit = 2. Jam in △ ACS, quod valde acutum supponitur, angulo A opponitur semidiameter speculi SC, ergo angulo C = 3. opponitur SA, = semidiametro sesqui alteri. Q. E. D.

Scholion.

Eadem methodo demonstrare poterimus: quod si convergentia radiorum in speculum convexum illapsorum sit ad $\frac{7}{16}$ semidiametri, sive $\frac{7}{8}$ dimidiæ semidiametri, unionem ante speculum esse in distantia $3\frac{1}{2}$ semidiametrorum, & radios ad $\frac{15}{32}$ semidiametri, sive $\frac{15}{16}$ dimidiæ semidiametri convergentes, per speculum convexum retro uniri in distantia septupla sesqui altera & sic porro.

OBSERVATIO LII.

Dn. M. BONIFAC. HENR. EHRENBERGERI.

de

Radiorum in ſpeculum convexum convergentium reflexione, ac prolongata unione.

UT aliquando ad metam nobis propoſitam perveniamus propius, in memoriam nunc revocabit L. B. ultimam, in præcedenti Obſervatione, de ſpeculo convexo adductam demonſtrationem. Perplurimas equidem proprietates eius iam ab aliis Opticis (*) traditas ac demonſtratas eſſe noui. Attamen radiorum convergentium illapſum, aliquem illorum attigiſſe, nullibi videmus, cuius tamen utilitatem inſignem ſequentia probabunt. Ne quis autem nobis obiiciat: materiam de ſpeculis convexis hic loci, ubi de ſpeculis cauſticis ac eorum focis longioribus diſputamus, plane eſſe incongruam; in anteceſſum notamus, quod, etſi ſpecula convexa radios ſolares, tamquam parallelos non uniant, ſed diſſipent ac divergentes reddant, tamen hic locum inveniant ex eo capite, quia convergentes radii quidam in illa impingentes etiam uniri ſolent. Qua autem ratione hoc effici queat, ex ſubſequentibus intelligetur. Nos interim ex propoſitionibus præcedentibus, V. VI. & VII. & adnexo Scholio ſequentia

* Conf. hic unus inſtar omnium, perill. WOLFFIUS, Element. Catoptric. Cap. III. integro.

tia colligimus corollaria, ac ſic meditationes noſtras continuamus.

Corollarium I.

Semper igitur unionis punctum ante ſpeculum convexum longius abeſt, quam punctum convergentiæ radiorum illapſorum eſt a tergo ſpeculi. Nam in ſpeculo plano eadem eſt ante illud puncti unionis diſtantia, quæ eſt puncti convergentiæ poſt illud. At ſpeculum convexum radios magis diſtrahit, & maiori demum diſtantia, ſi non omnis generis convergentes, tamen illos, qui ante dimidiam ſemidiametrum producti concurrunt, uniri permittit.

Corollarium 2.

Quo propius tamen punctum convergentiæ accedit ad dimidiam ſemidiametrum, eo remotius fit punctum unionis, ſive focus prolongatus ante ſpeculum, donec in ipſa ſemidiametro dimidia, aut potius quam proxime ante illam punctum convergentiæ accedens, radios reflectat parallelos, per Propoſ. V. Obſervationis præcedentis.

Corollarium 3.

Atque iſta ſucceſſiva puncti unionis a ſpeculo convexo remotio non æquali eademque procedit velocitate, qua ſucceſſiva puncti convergentiæ ad dimidiam ſemidiametrum fit acceſſio; id quod ex propoſitione VI. & VII. hisque ſubiuncto ſcholio aliquantum patet, ac inſuper pari ratione de propioribus quoque diſtantiis puncti convergentiæ demonſtrari poteſt.

Scho-

Scholion.

Quam vero præciſe ſucceſſiva iſta puncti convergentiæ admotio ad dimidiam ſemidiametrum habeat rationem motus ſui ad abſceſſionis puncti unionis velocitatem, hoc eſt, quod operæ pretium atque e re eſſe duxi, paulo penitius demonſtrare. Sit igitur

Propoſitio VIII.

Dum punctum convergentiæ radiorum propius propiusque admovetur ad dimidiam ſemidiametrum ſpeculi convexi, in ratione progreſſionis duplæ, decreſcentis punctum unionis radiorum excurrens removetur ſucceſſive ſemper a priori unionis puncto in ratione progreſſionis duplæ creſcentis.

Demonſtratio.

1) Sit ſpeculi convexi FBD (*Tab. III Fig.* 3.) ſemidiameter BC, aut DC, adeoque perpendiculum CDL, & axis HGBC. Sit E punctum dimidiæ ſemidiametri, ad quod quam proxime radius RD collineans, ut punctum convergentiæ cum iſto fere coincidat; quo facto radium reflexum DN reddet cum axe CBH parallelum, per prop. V. Obſervat. præced.

2) Impingat autem radius alius VD cum axe convergens in I, hoc eſt, in quarta parte ſemidiametri, aut dimidia parte dimidiæ ſemidiametri (quam ſemidiametrum dimidiam pro menſura ac unitate adſumere liceat): hic repulſus unietur cum axe in G, ſiue dimidia ſemidiametro ante ſpeculum (per prop. VI. Obſerv. præc.) ut BG vel DG ſit = 1.

3.) His ſuppoſitis, cadat nunc alius radius TD in ſpeculum, cuius punctum convergentiæ k propius abſit a di-

a dimidia ſemidiametro E, nimirum parte dimidiæ ſemidiametri quarta: Hic radius angulo incidentiæ TDL æqualem reflectendo facit LDH, ut GH ſit ſemidiameter. Nam in △ KDC latus KD, = KB circiter, (D enim concipiendum proxime â B abeſſe) ſit partium 3, & KC, 5: ergo & angulus C ad angulum KDC eandem rationem habebit, eritque C = 3, & KDC = 5, cui æqualis eſt verticalis TDL ac huius angulus reflexionis LDH. NDL autem = ECD, oppoſito, etiam eſt = 3, per num. 1: ergo NDH & huius alternus DHB eſt = 2. Jam in △ CHD angulo acuto H, = 2, opponitur ſemidiameter CD = 8, (aut, adſumta ſemidiametro dimidia pro unitate, 2), ergo angulo C = 3 opponitur DH = 12, â qua, ſi ſubtrahatur dimidia ſemidiameter DG = 4, (per num. 2.) remanebit GH = 8, aut ſemidiameter dimidia bis ſumta.

4.) Incidat denuo radius alius SD in ſpeculum ita, ut convergentiæ punctum O, nunc non niſi octava dimidiæ ſemidiametri parte abſit a medio puncto E. Sit in △ ODC, OD = 7 digitorum & OC = 9: ergo & anguli valde acuti his oppoſiti talem obtinebunt circiter rationem: Nimirum angulus C. habeat partes 7. & ODC, 9, cui verticalis SDL, huicque reſpondens reflexionis angulus LDA conveniat neceſſe eſt. Angulus autem NDL = oppoſito ECD etiam eſt 7: hic ergo detractus ex LDA relinquit angulum NDA, cui eſt æqualis angulus alternus, (ſi DA continuetur usque ad concurſum cum axe BH, etiam prolongato,) quem per A nobis concipiamus. Habebitur igitur △ CAD, in quo angulus A, = 2, opponitur ſemidiametro CD = 16: angulo igitur C, = 7,

 oppo-

opponitur DA = BA (usque ad concurſum) = 56 partium octavarum, ſive 28 quartarum: ex quibus, ſi detraxeris priorem diſtantiam BH aut DH = 12, remanebunt 16 partes quartæ, ſive 4 dimidiæ ſemidiametri, pro diſtantia puncti unionis præcedentis, H, â puncto unionis novo, A. Diſtantiis igitur punctorum convergentiæ a ſemidiametro dimidia, nimirum $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ reſpondent punctorum unionis inter ſe diſtantiæ 1, 2, 4. Ac, ſi cui volupe eſt, demonſtrationem perſequi ad progreſſionis terminos ſubſequentes, nim. ſedecimam, triceſimam ſecundam, ſexageſimam quartam &c. partem dimidiæ ſemidiametri, qua punctum convergentiæ ad eam accedat, eodem demonſtrandi proceſſu utens, inveniet nova unionis puncta, quæque a proxime præcedentibus diſtare ſemidiametris dimidiis 8, 16, 32, &c. Q. E. D.

Scholion.

Vt autem facilior intellectu evadat demonſtratio circa partes minores dimidiæ ſemidiametri; conducet majorem delineare ſchematiſmum, ac ſemidiametrum in plures partes diviſam concipere: quod tamen Lectori curioſo relinquo. Interim utriusque progreſſionis, & decreſcentis, & creſcentis, ſeriem aliquam in tabula adſcribere viſum eſt, ex qua cuiusvis puncti convergentiæ a medio ſemidiametri & puncti unionis reſpondentis a proximo, diſtantia infra ſcripta cognoſci poſſit.

Puncti convergentiæ diſtantia a media ſemidiametro.	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{8}$	$\frac{1}{16}$	$\frac{1}{32}$	$\frac{1}{64}$	$\frac{1}{28}$	$\frac{1}{256}$	$\frac{1}{512}$	$\frac{1}{1024}$	$\frac{1}{2048}$	$\frac{1}{4096}$
Puncti unionis diſtantia a proximo præcedenti reſpondens.	1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048

Corol-

Corollarium.

Quoniam autem progressionis duplæ additio ex Arithmetica constat, & quivis in ea progressione crescente, terminus, primo demto, est summa antecedentium terminorum omnium; puncti vero unionis distantia a speculo ex eiusmodi terminorum serie componitur: adparet ratio inveniendi distantiam puncti unionis radiorum ante speculum ex dato puncto convergentiæ, & vicissim puncti convergentiæ ex præsumto unionis radiorum puncto. Sit ergo

Problema I.

Ex puncto convergentiæ ante dimidiam semidiametrum dato invenire distantiam puncti unionis radiorum a speculo.

SOLUTIO. A fractionis datæ denominatore subtrahatur unitas, & erit residuum distantia puncti unionis in dimidiis semidiametris speculi convexi, quæ per digitos aut pedes, quibus dimidia semidiameter constat, est multiplicanda; si secundum eandem mensuram illa distantia desideretur. V. g. Absit punctum convergentiæ ante semidiametri medium $\frac{1}{64}$, erit puncti unionis ante speculum distantia 63. semidiametrorum dimidiarum, & singulis in 10. digitos divisis, 630. digitorum.

Problema 2.

Data distantia puncti unionis ante speculum, invenire puncti convergentiæ a dimidia semidiametro remotionem.

SOLUTIO. Numero distantiæ unionis addatur unitas, & summa erit denominator partis, qua punctum con-

vergentiæ abest a medio semidiametri. E. g. Punctum unionis desideretur 127. semidiametrorum dimidiarum, ergo absentia puncti convergentiæ ante dimidiam semidiametrum est $\frac{1}{128}$.

Scholion I.

Quia vero in illa progressionum serie multæ aliæ distantiæ intercedere possunt, quæ in progressione dupla non inveniuntur, & tamen e re erat, etiam illas partes intermedias ac distantias punctorum unionis iis respondentes nosse: Inquisivi quoque in illas, eadem demonstratione, quin & his regulis, usus, & inveni utrinque ad partes puncti convergentiæ, (quarum denominatores in progressione arithmetica simplici procedunt, manente ubique unitate pro numeratore,) pertinere distantias punctorum unionis a speculo in eadem progressione simplici numerorum integrorum; ab unitate inchoantium prout in tabula sequenti, facile augenda, exhibentur.

Puncti convergentiæ a dimidio semidiametro distantia.	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{5}$	$\frac{1}{6}$	$\frac{1}{7}$	$\frac{1}{8}$	$\frac{1}{9}$	$\frac{1}{10}$	$\frac{1}{11}$	$\frac{1}{12}$	$\frac{1}{13}$	$\frac{1}{14}$	$\frac{1}{15}$	$\frac{1}{16}$	$\frac{1}{17}$	&c.
Puncti unionis a speculo distantia in dimidiis semidiametri.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	&c.

Cuius igitur effectio non minus, quam usus ex hactenus demonstratis intelligitur quam facillime.

Scholion 2.

Unum adhuc monendum, in gratiam minus exercitatorum, duco, supponi a me hoc, tamquam indubium,

bium, & alibi demonſtratum: radium oblique in ſpeculo convexo impingentem, h. e. non ad centrum directe tendentem, non in ſe reflecti, ſed declinare ad latus alterum; adeoque & radios ad punctum dimidia ſemidiametro propius convergentes in eiusmodi ſpeculum tali modo illapſos, repelli ad latus alterum, & etiam ea, qua demonſtrauimus ratione, ante ſpeculum uniri, non cum axe quidem, ſed cum radio inter illapſos circiter medio.

OBSERVATIO LIII.

Dn. M. BONIFAC. HENR. EHRENBERGERI. de Mediis, Solis radios in longam diſtantiam colligendi.

Biennium nunc eſt, ex quo, animo ad ſpecula quædam cauſtica vitrea admoto, ſubinde alias ex aliis veritates, hactenus occultas, Dei auxilio elicui, easque aliquot Obſervationibus communicatas facili methodo demonſtravi. Ubi noviſſime, ſepoſitis ſpeculis vitreis, ad convexa progreſſus, varias circa illa proprietates, inprimis quod ad radios convergentes & ita illapſos attinet, ut punctum convergentiæ intra dimidiam ſemidiametrum ſpeculi ſtatuatur, explicui. Nunc oſtenſurus ſum, quis harum demonſtrationum u ſus potiſſimum ſit. Ante tamen quam ad rem ipſam nos accingamus, monendum eſſe duco: hic non tam ſpecula convexa vitrea, quam metallica potius, ac probe polita, intelligi. Vitrea enim, quamquam ſatis utrinque polita & ab altera parte optime

terminata, radios, præsertim obliquius incidentes, non solum aliquam partem in superficie superiore reflectunt, sed & illos, qui ad posteriorem ac terminatam penetrant superficiem, propter duplicem refractionem non parum debilitant ac turbant. Hinc præstat speculum una solum superficie satis polita præditum, quod radios semel tantum quam optime, ea, qua demonstravimus, convergentia exceptos colligit, ac in longiori distantia, prout aliquis desideraverit, unit. Quibus autem mediis sit utendum, ut radii solares in speculum convexum incidant debito modo convergentes: id vel Catoptrica vel Dioptrica monstrat Disciplina. Dum enim de lentibus ustoriis hæc, & illa de speculis causticis rationem determinat, qua radii solares, pro parallelis habiti, ibi per refractionem, hic per reflexionem colligantur in unum punctum, quod focum adpellant; in propatulo est, radios hosce collectos esse convergentes. Sit igitur

Problema. 3.

Speculi convexi & lentis ustoriæ auxilio radiorum solarium unionem in distantiam quam cunque desideratam proiicere.

SOLUTIO. Admoveatur lens ustoria speculo convexo ita, ut focus lentis cadat ultra speculum, in breviori tamen dimidia semidiametro distantia. Quo propius autem focus lentis accedet ad dimidiam semidiametrum speculi, eo longius erit unionis punctum speculi ope projectum.

Demon-

Demonstratio.

Sit speculum convexum PQ, *Tab. IV. Fig.* 2. quocunque situ, non tamen inepto, constitutum; adplicetur lens ustoria satis magna, DE oblique, ut radii solares cum axe AB paralleli, RD, SE, post speculum convexum convergant ad C, ut *o*C, verbi gratia, sit $\frac{1}{4}$ dimidiæ semidiametri, & reflectent radii in *n*, *o* & *i*, ita ut in distantia trium semidiametrorum dimidiarum concurrant ante speculum in G, ibique rem combustibilem offendentes accendent. (per Schol. 1. Problematis 2.) Sed admoveatur lens ista propius ad speculum in *de*, ut radii paralleli *rd*, *se* cum axe convergant in longiore distantia post speculum & propiore puncto medio semidiametri, nim. B, verbi causa $\frac{1}{8}$: radii illi in *k*, *o* & *m* impingentes reflectendo in majore etiam distantia ante speculum unientur, nimirum in F, quæ erit distantia septem semidiametrorum dimidiarum (per prop. VIII. & problemata subjuncta cum scholiis.)

Scholion I.

Qualis autem speculorum ac vitrorum requiratur ratio & magnitudo inter se, ut effectus desiderio respondeat; in demonstrationibus nondum attigimus, neque etiam tam certa ac restricta opus est. De vitris quidem causticis constat, quod, quo majore amplitudine gaudent, eo majorem radiorum copiam recipiant, ac eo citius ignem, aut intensiorem flammam excitare possint: Sed de speculo convexo hic notari meretur, id quidem tantæ non requiri amplitudinis esse, ac lens caustica est; cum radii ibi, ubi in speculum incidunt, jam in arctius

spatinm

ſpatium coëant: verumtamen nimis etiam brevi ſemidiametro præditum illud eſſe haud debet. Breviſſima enim ſemidiametro dimidia exiſtente, radii nimis arcte collecti & fere ad unum punctum redacti impingerent in ſpeculum, adeoque ipſum, ſi non liquefacerent, læderent certe. Quodſi vero major habetur ſemidiameter, tum radii convergentes tam arctum ſpatium in ſpeculo non occupare coguntur, adeoque ſpeculi materia ac politura manebit illæſa.

Scholion 2.

Et quia, quo longiore diſtantia radiorum unio a ſpeculo abeſt, eo maior quoque puncti illius unionis eſt amplitudo: (Eſt enim par ratio, ac ſi vitrum ipſum longiorem focum haberet, qui, quo longior eſt, eo majorem quoque gignit objecti, & ſic etiam ſolis urentis, imaginem, quippe quæ ipſum punctum eſt unionis radiorum:) Itaque ardoris quoque in illo paulo minor erit efficacia, niſi magnitudine lentis, majorique ideo radiorum copia, debilior iſte gradus reddatur intenſior.

Problema 4.

Per eadem inſtrumenta alio modo diſpoſita radiorum ſolarium unionem in deſideratam diſtantiam emittere.

SOLUTIO. Exponatur ſpeculum convexum (QS, cujus centrum ſit C, Tab. IV. Fig. 3.) Solis radiis parallelis, (AB, IK, LM,) qui reflexi excipiantur a lente vitrea, (DE) ita, ut non tamquam ex foco lentis H, ſed puncto paulo remotiori G, in lentem concipiantur illapſi. Tum unientur in longiſſima diſtantia F, prout quidem lens DE vel paulo propius vel remotius aliquantulum ſit conſtituta. De-

Demonstratio.

Etenim si radii speculum convexum convergentes illapsi ita, ut continuati concurrant in dimidia fere semidiametro, reflectuntur paralleli, per prop. VIII. num. I. & radiorum regredientium eadem retro est via; id quod jam alibi invenimus demonstratum: sequitur, ut radii paralleli AB, IK, LM, ita divergentes ex B, K & M eo modo reflectantur, ut retro acti concurrant in G, dimidia fere semidiametro. Quodsi vero lens DE ita locetur, ut eius focus H intra dimidiam semidiametrum contineatur, radii isti divergentes erunt, tamquam ê longiori unionis puncto orientes; quos vel ideo in longissima uniri oportet distantia, quia, si H & G coinciderent, & sic radii tamquam é foco in lentem pervenirent, eos parallelos reddi, constat. Ergo hoc casu redduntur aliquantum convergentes ac tandem uniuntur.

Scholion I.

Non tamen auctor sim, ut quis hac dispositione speculi ac lentis utatur, multo minus priori eam præferat modo, siquidem citius flammam excitare satagat. Quia unio radiorum in F tanta efficacia non est, quanta habetur, si secundum problema præcedens operam instituamus. Hic loci enim arctius spatium adeoque minor copia radiorum solis parallelorum in LM & IK contentorum post reflexionem, ad lentem DE pertinget ac magis ampliabitur. Contra vero si radii solares prius per lentem excipiuntur, major etiam erit columna & sic fortior copia convergentium in speculum impingit, ac colligi in unum punctum, flammamque citius excitare potest.

Scholion 2.

Quod ſi quis tamen alia adhuc ratione in remotis locis flammam a ſole excitandam quæreret, is voto ſuo compos fiet, ſi ſequens obſervabit.

Problema 5.

Duobus ſpeculis rite paratis, quorum alterum eſt concavum, alterum convexum, flammam in remotis excitare, data vel adſumta quacunque diſtantia.

SOLUTIO. Soli obiiciatur oblique ſpeculum cauſticum (NO. Tab. V. Fig. 2.) ſic, ut radii ſolares paralleli GH, AB, KL, aliam in plagam, ut verſus E, concurrant; inter punctum autem concurſus eorum & ſpeculum, ſita etiam ad hos obliquo locetur ſpeculum aliud & quidem convexum (PQ), ut poſt hoc radii HI; BC, LM, ad E convergentes, tanta ſint diſtantia tergo ſpeculi propiores, quanta requiritur, juxta Schol. 1. problematis 2. in Obſervat. præced. (exempli gratia $\frac{1}{8}$ circiter dimidiæ ſemidiametri, (CD) tum repellentur & concurrent diſtantia circiter (CF) deſiderata (ut hic ſemidiametri tripla ſeſqui altera, aut ſeptem ſemidiametrorum dimidiarum) quæ admoto remotove paululum ſpeculo alterutro locum datum exactius attinget, ubi res ignem facile capiens in flammam dabitur ex voto.

Scholion 1.

Demonſtratio hic non videtur eſſe neceſſaria. Parem enim eſſe rationem ſpeculorum cauſticorum ac lentium, ſi cætera ſint paria, facile concedet, qui radiorum in ſpeculis ejusmodi viam intelligit. Hoc ſolum intereſt, quod,

quod, quia ſpeculum cauſticum ſoli directe obiici haud debet, ſed oblique; lens vero poteſt: hæc quoque majorem radiorum copiam colligere valet, quam ſpeculum, niſi hoc illam latitudine excedat.

Scholion 2.

Et quemadmodum problema quartum permutatio eſt problematis tertii: ita quoque problema hocce quintum transponere pari ratione facile poterimus, ut nimirum radii ſolares paralleli prius illabantur ſpeculum convexum, exinde in ſpeculum concavum, ita, ut tamquam a puncto paulo remotiori, quam focus eſt, emanent: ſic enim in longiſſima quoque diſtantia unionis punctum nanciſcemur. At vero idem hic eſſet monendum, quod de problemate quarto judicavimus in ſcholio iſti ſubjuncto. Nimirum, permutatio hæcce minoris eſſet efficaciæ, quam ipſum problema quintum obtinebit: cum minor radiorum copia ex ſpeculo convexo in concavum, quam ex concavo incidat in convexum. Quod ex radiis parallelis ſpeculum convexum illapſis in ſchematiſmo problematis quarti colligi facile poteſt. Quare plura ad hoc addere, ac per ſchematiſmum novum ad oculum demonſtrare hic ſuperſedemus.

Interim tamen nondum omnia, quæ huc ſpectare poſſint, ſunt exantlata. Catoptricarum enim ac dioptricarum rerum probe gnarum unum alterumve adhuc medium invenire poſſe, radios ſolares in remotis colligendi & incendium movendi, ſequentia docebunt clarius. Ante omnia autem varium radiorum in ſpecula cauſtica illapſum & exinde factum repulſum, nobis bene imprimamus, neceſſe eſt.

Hæc tamen, tamquam aliunde iam cognita & demonſtrata, liceat ſupponere: Quod, (*) *quemadmodum radii paralleli* (EA, DB, *Tab. IV. Fig.* 4.) *ſpeculum ſphærice concauum* (AB) *illapſi retropelluntur, ac ante ſpeculum uniuntur in diſtantia fere dimidiæ ſemidiametri* (F), (ſi nimirum ſpeculum non ultra 20. gradus ſui circuli ſit latum) (FA, FB,) *ex foco iſto* (F) *ſpeculum concavum illapſi reuertuntur paralleli*, (in AE & BD.) Sicuti et hoc demonſtratione noſtra non eget: *Radios perpendiculares* (CA, CX, CB,) *quales ſunt omnes ſemidiametri alicuius ſpeculi concaui, in ſe ipſos reflectere.*

Corollarium I,

Quibus ſuppoſitis patet, omnia puncta inter focum & centrum ſpeculi concaui in ſpeculum radiantia hic repelli ita, ut extra centrum eius tandem cum axe concurrant.

Corollarium 2.

Et quo propius punctum, radios in ſpeculum ſpargens, a foco abfuerit, eo remotior a centro erit eorum cum axe unio. Et quidem

Propoſitio I.

Si punctum in ſpeculum concavum radians medium ſit inter focum, ſeu dimidiam ſemidiametrum, & centrum: eorum radiorum unio extra centrum aberit in diſtantia circiter dimidiæ ſemidiametri, adeoque in maiori, nimirum dupla a foco diſtantia, quam ipſum illud punctum radians a foco abeſt.

De-

* Demonſtrationem vide ſis apud cel. WOLFFIUM in Catoptr. §. 224.

Demonstratio.

Habet semidiameter *Fig.* 4. *Tab.* 4. CX, vel CB, partes 16; punctum radians G absit a centro C 4. partes, & radius GB, qui æqualis circiter habetur axi GX, erit 12. Angulus XCB sit 6: ergo angulus GBC, qui est incidentiæ, erit 2. (*)

Erit ergo: ut GB (12) ad ang. oppositum C, (6): ita CG: (4) ad ang. incidentiæ GBC (2). Huic est æqualis ang. reflexionis CBH. Ut itaque in novo triangulo HCB, angulo externo existente 6. partium, acutus tertius H, 4. eiusmodi partes nanciscatur. Jam vero huic angulo H (4) opponitur semidiameter CB (16) ergo angulo HBC (2) opponetur latus CH (8), dimidiæ semidiametro æquale, adeoque FH est 16, sive duplum foci. Q.E.D.

Propositio II.

Si punctum radians ante focum una parte quarta dimidiæ semidiametri abest, unio radiorum ante focum pariter in distantia foci, s. dimidiæ semidiametri quadrupla.

Demonstratio.

Sit punctum radians I, & CA semidiameter (16) sicque CF = FA, vel etiam circiter = FX, nam arcus AX habetur multo minor, quam hic quidem adparet) habebit 8, adeoque CJ, 6. Angulus AIX habeat 8. partes;

Y 3 erit

(*) (Nam iuxta suppositum 2. in Obs. XXXVI. Volum. VI. *de speculis maiori foco præditis*, concedendum est: In triangulis valde acutis, angulos acutos ad se invicem haberi in eadem circiter ratione, qua latera istis opposita habentur.)

erit igitur: ut CA, (16) ad ang. I, (8): ſic CI, (6) ad CAI, (a) angulum nimirum incidentiæ. Ergo angulus ACI erit adhuc 5, & CAK, angulus reflexionis. etiam 3, hincque K adhuc 2. Jam angulus K in △ CKA (2) opponitur ſemidiametro CA (16), ergo angulus A, (3) opponitur CK (24), cui CF additum, dabit FK (32), ſive dimidiæ ſemidiametri quadruplum. Q. E. D.

Propoſitio III.

Punctum radians, quod ante focum $\frac{1}{8}$ dimidiæ ſemidiametri abeſt, radiorum illapſorum unionem parit ante ſpeculi focum in diſtantia dimidiæ ſemidiametri octupla.

Demonſtratio.

Punctum tale ſit O; & poſita ſemidiametro CB, 16 digitorum, erit CO, 7, & OX, vel OB, 9. Cumque anguli acuti oppoſiti eandem inter ſe habere rationem putentur: angulus OCB etiam ſit partium 9, & OBC, qui eſt angulus incidentiæ 6; cui convenit ang. reflexionis CBL. Ut adeo in △ CBL pro angulo, quem radius reflexus BL cum axe retro continuata facit, relinquantur partes 2. Uti vero angulus ille circa L, (2) ad BC (16): ita ſe habet angulus CBL (6) ad CL (56), cui a C ad F additæ partes 8. faciunt 64, ſiue octuplam foci XF, aut dimidiæ ſemidiametri. Q. E. D.

Corollarium 1.

Puncto ergo radianti, quod a centro verſus focum propius propiusque accedit in ratione dupla decreſcente, ut: $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{16}$, $\frac{1}{32}$, &c. reſpondet radiorum unio, excurrens a foco in progreſſione dupla accreſcente, 2, 4, 8, 16, 32, &c.

Co-

Corollarium 2.

Quodsi eadem demonstrandi ratione utamur, facile eliciemus hanc regulam: Moto puncto radiante propius propiusque introrsum ad focum, ut ab hoc primum $\frac{1}{2}$, deinde $\frac{1}{3}$, posteo $\frac{1}{4}$, vel sic porro $\frac{1}{5}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{7}$, &c. dimidiæ semidiametri absit, movebitur quoque unionis punctum extrorsum, ad duas, tres, quatuor, quinque, sex, septem &c. semidiametros dimidias. Adeoque vicissim: Qui radiorum unionem, v. g. 7, 8, 9. &c. semidiametros dimidias longam, desiderat, is tenetur punctum radians admovere propius ad focum, ut absit vel $\frac{1}{7}$, vel $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{9}$ &c.

Corollarium 3.

Quoniam autem quævis puncti radiantis distantia a speculi concavi foco dari & effici potest, adhibito vel alio speculo concavo, vel etiam lente ustoria: sequitur, ut etiam unionem radiorum solarium ante speculum ad quamcunque distantiam desideratam proiicere valeamus. Hincque novum habemus

Problema I.

Duorum speculorum causticorum probe comparatorum auxilio radios solares in longum & quodcunque desideratum unire spatium, sicque rei ignem capientis incendium excitare.

SOLUTIO. Suspendatur speculum alterum A B (*Tab. V. Fig.* 3.) non directe ad Solem, sed ita, ut radii solares paralleli, (T Q, R P, V S) oblique incidant, & retrolapsi focum (non in F,) verum ad latus (in G) proiiciant; e cuius regione alterum collocetur speculnm concavum

cavum (DE) etiam oblique, ita, ut prioris ſpeculi focus ab huius foco (non medio I, ſed laterali) (O) tantum abſit, quantum iuxta Coroll. 2. deſiderata unionis radiorum diſtantia requirit: tunc radii ex foco illius (G) & puncto radiante huius ſpeculi, divergentes (GH, GL, GM) ab altero hoc ſpeculo excepti, prout deſideratur, colligentur in (N) puncto, quod foci huius ſpeculi a puncto radiante diſtantiæ reſpondet.

Demonſtratio.

Sic enim primo radii obliqui, TQ, RP, VS, angulos incidentiæ cum perpendiculis, CQ, CP, CS, facientes, æquales etiam habent angulos reflexionis, & uniuntur in puncto G extra axin poſito; exinde radii divergentes in alterum ſpeculum, ſi ſimul ex huius foco emanarent, redderentur paralleli: At vero impingunt in ſpeculum, tamquam ex remotiore puncto radiante venientes, & tamen propiore, quam centrum K a ſuo ſpeculo abeſt (per coroll. 1. ſuppoſitorum). Hinc ita repelluntur, ut factis angulis reflexionis KHN, KLN & KMN angulis incidentiæ KHS, KLP & KMQ æqualibus, tandem concurrere neceſſe habeant ita tamen: ut ſi GO eſſet $\frac{1}{4}$ ſemidiametri dimidiæ, aut foci LN, ſive diſtantia unionis radiorum, quatuor ſemidiametros dimidias ſit habitura, (per coroll. 1. & 2. huius propoſitionis.) Quodſi vero LN deſideretur eſſe v. g. ſedecim ſemidiametrorum, ſive 32. dimidiarum; detracta unitate pro foco ſpeculi, reliquæ $15\frac{1}{2}$ ſemidiametri, aut 31. dimidiæ, diſtantiam GO requirent $\frac{1}{31}$ dimidiæ ſemidiametri, facile, ſpeculum AB ſenſim admouendo ad alterum DE, aut hoc ad illud, habendam. Q. E. D.

Scholion II.

Lentis ustoriæ ac speculi caustici ope radios solares unitos projicere in distantiam longe extensam & desideratam, remque offensam inflammationi aptam, incendere.

SOLUTIO. Excipiantur radii solis (RD, SE, AF, (Tab. V. Fig. 4.) Lente caustica (DE) & observetur hujus focus, (F), ubi radii collecti se secantes redduntur divergentes; hisque opponatur obliquius speculum causticum (GBH) in quod ita impingant radii, ut punctum radians (F) seu lentis focus, extra speculi focum (O) tanta absit intercapedine, (O) quanta (juxta Coroll. 2. prop. 3.) requiritur ad rei incendendæ distantiam, (BK-).

Scholion I.

Demonstrationem hic addere supervacuum habeo, quod non modo ex fundamentis catoptricis dioptricisque vulgo notis, verum etiam ex præcedentibus & figura depicta facile quilibet intelliget, quæ hic sit radiorum tam refractorum, quam reflexorum ratio. Hoc tamen indicari meretur: interdum problema prius, interdum vero posterius, commodius adhiberi, pro situ vel solis, vel rei comburendæ. Isto enim radii magis prorsum, hoc autem retrorsum projici ac uniri majore cum successu possunt.

Scholion. 2.

Aliquantum etiam intererit, an radii solares primum excipiantur a lente, deinde per speculum uniantur, an a speculo prius excepti & in ejus foco uniti prolabantur in lentem, ac per hanc demum rursus colligantur. Ni-

mirum hoc intercedit discrimen : Quod radii solares paralleli in speculum illapsi concurrant in O, inde deinceps magis divergentes redditi ante focum F, perveniant in lentem DE, adeoque hanc paulo ampliorem requirant ad omnes fideliter capiendos & colligendos.

Scholion 3.

Ut autem hæc & alia problemata, quibus radiorum unio in longius spatium emittitur, facilius exsequi possit harum rerum curiosus : conducet, singula organa suis loculamentis includere, ac vel tubis ductitiis, vel cochleis adhibitis ad debitum quemque situm promtius reddendum aptare. Id quod cujuslibet felici jam relinquo ingenio, alia forte occasione de hoc acturus.

Scholion 4.

His igitur hucusque pertractatis judicare nunc cuivis licebit, qua præsertim, ex nostris in longius spatium urendi rationibus (si quidem nulla præter illas alia olim fuisset cognita) isti classium perditores, Archimedes & Proclus, commodissime sint usi. Vitrea specula illos habuisse, non audeo adserere, nisi constet, isto jam tempore vitrum & ejus tractandi rationem fuisse cognitam. Quæstio igitur sola ad specula metallica redibit. Nimirum vel speculum alterum concavum alterumque convexum, de quibus in hac Observatione actum est, vel utrumque concavum commode potuit adhiberi, prout classium locus aut solis regio, hunc aut istum modum suaserint, & radii solares magis vel propellendi, vel repellendi fuerint. Præterea horum speculorum semidiametros quatuor, quinque vel sex, sive focos duorum triumve pedum & latitudinem pariter duorum, potuisse sufficere ad incendium intra

tra paucorum minutorum moram, excitandum; non minus ex figuris probe intellectis perſpicitur.

(*Coburgo Erfordiam miſſæ.*)

d. 25. Mart. 1742.

OBSERVATIO LIV.

DN. D. FRANCISC. ERN. BRUCKMANNI.

de

Nova quadam Nicotianæ ſpecie, Tabaco di Becco dicta, ejusque ſpecifica virtute.

Inter rariora & nova illa exotica, quæ ex India Orientali ſubinde ad nos deferuntur, & facta debita virium exploratione ad medicos uſus adplicantur, non immerito referenda quoque eſt nova quædam herbæ Nicotianæ ſpecies, ob ſingularem inprimis, quam præ aliis ipſi tribuunt, virtutem. Pauci tantum elapſi ſunt anni, ex quo ejusdem obtinuimus notitiam, & dubio procul primo vel in Luſitaniam, vel Hiſpaniam, vel Italiam delata fuit, ibique ſpeciale illud nomen, *Tabacco di Becco*, quod populis hiſce idem eſt, ac juxta vernaculam noſtram *Mund - Toback*, forte obtinuit. Commendatur illud inprimis, ut quolibet die, horis matutinis, exiguum ejus fruſtulum dentibus comminuatur, & dein os aqua frigida pura, vel deſtillata Salviae optime eluatur. Ope hujus maſticationis, quæ lenem excitat ſalivationem, dentes egregie obfirmantur, inſimulque candidiſſimi redduntur, gingivarum corruptio præcavetur, & à frequentioribus odontalgiæ inſultibus illi, qui alias iis expoſiti ſunt, præſervantur, imo etiam liberantur. Adfertur hæc Tabaci ſpecies in tenuibus magdaleonibus, vix craſſitie calamum ſcriptorium æquantibus

 tibus

tibus, & in figuram ovalem contortis. Usus ejus adeo jamjam increbuit, ut ipsæ etiam alias summe delicatulæ fœmellæ, in Anglia pariter ac Gallia, prout ex relatione Legati cujusdam habemus, illud prædicto modo quotidie adhibeant. Ratione saporis sui acris aliquo modo convenire videtur cum foliis Tabaci Virginiani, quippe cui etiam ratione coloris, ex fusco in nigricantem vergentis, non plane absimilis est. Quod ad effectus ejus attinet, agit in primis in glandulas salivales, parvam ac lenem excitando salivationem, instar masticatorii, detergit, mucum dentium & tartarum iis adhærentem, ac insuper quoque peculiari salina ac balsamica sua virtute putredinem gingivarum arcet. Serenissima quædam persona, vehementiori alias Odontalgia adflicta, hanc ipsam semper hactenus præservatoria scarificatione, singulis mensibus in dorso & brachiis instituta, declinavit; cum vero nuperrime doloribus talibus gravius, quam antea, adficeretur, omniaque adhibita remedia, tam domestica, quam officinalia, immo & ipsa acriora, nihil plane levaminis adferrent, ex commendatione alius Serenissimæ principis, hujus Tabaci usum more consueto admisit, atque excitata exinde salivatione leniori, intra aliquot horarum spatium ab omnibus istis cruciatibus liberata fuit, unde simul concludere licuit, quod causa illorum hac vice non in congestionibus sanguinis, (erat enim prædicta Serenissima persona admodum plethorica,) sed potius in catarrho, seu decubitu seri acrioris ad dentes facto, salivatione vero dein ablato, quærenda fuerit. Qualem autem singularem specificam virtutem nova hæc Nicotianæ species præ aliis masticatoriis, antea sine levamine ac irrito cum effectu adhibitis, quo-

rum

rum tamen quædam acrimonia eam exſuperabant, adhuc reconditam habeat, hucusque explorare non dum licuit, admodum tamen probabile eſt, quod illa anodyna ſimul fuerit.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. FRANC. ERN. BRUCKMANNI.
de
Rarioribus quibusdam fructibus exoticis, ex parte adhuc ignotis.

IN gratiam illorum, qui Hiſtoriæ naturalis cognitione delectantur, & pro ulteriori ſimul indagatione, fructus quosdam exoticos, minus hactenus mihi cognitos & haud ita pridem ex India Occidentali adlatos, ex Muſeo meo in præſentiarum producere, eorumque delineationem ſimul exhibere lubet, & quidem

1.) *Nucem Americanam mirabilem*, totam lanugine piloſa fuſca obſitam, in magnitudine naturali ad vivum delineatam, (Vid. Tab. V. Fig. 1.) Admodum dura ac firma illa eſt, & in baſi criſta piloſa ornata. Interiora ejus latent, nec conſtat, an inter fructus eſculentos referatur.

2.) *Nucem Indicam* minorem, quam minimam Nucum Cocos ſpeciem eſſe perhibent. Coloris eſt obſcure fuſci, cum fibris, ſeu venis albis tenuibus, Figura ejus eſt oblonga cum baſi plana & depreſſa; interiora vero pariter indagare nondum licuit. *Vid. Tab. III. Fig.* 4.

3.) *Caſtaneas Virginianas pumilas*, quæ figura ſua corda referunt. (*Vid. Tab III. Fig. V.*) Color illarum eſt ſpadiceus, ac de reliquo ratione corticis ac putaminum cum noſtratibus exquiſite conveniunt, ſola magnitudine exce-

pta; nucleus etiam ipſe pariter eſt farinaceus & dulcis. Inſignem & fere ſtupendum eſſe illarum proventum in Virginia, Itinerariorum Auctores referunt, *Joh. Frid. Gronovius* in *Flora Virginica p.* 118 arborem ipſam vocat *Caſtaneam fructu dulciori Clayt:* eandemque ex methodo ſexuali LINNÆI, ad *monœcias polyandrias* refert.

4.) *Piſtaciæ Indicæ fructum*, ſive *Munduby ſemen* rariſſimum, ex Carolina translatum. Ultimam denominationem obtinuit a Braſilienſibus: Luſitanis vero dicitur *Amenduinas*, *LERIO Manobi*, *MONARDI Anchic*, & Hiſpanis *Ubimani.* Eſt proprie *Amygdaloides ſubterraneus Peruvianus.* Vid. *Tab. III. Fig.* 6. Durities horum fructuum exigua eſt, & color ex albo in virideſcentem vergit. Conf. LOCHNERI *Rariora Muſei Beslerianip.*17. ubi magnitudine hanc noſtram quadantenus exſuperante fructus tales delineati proſtant.

(*Guelferbyto Erfordiam miſſa d.* 18. *April* 1742.)

OBSERVATIO LVI.

DN. D. JOANN. JACOBI RITTERI.

De

Puella hyſterica in paroxyſmo mira loquente.

PUella e ditione Bernenſi, annorum 13. temperamenti cholerici, ingenii felicis, crinibus inſtar caſtanearum fuſcis, vaſibus ſanguiferis exilibus, habitus corporis tenerioris, a noverca ſæpius in iram commota, lipothymiis frequentioribus inde adflicta fuit; ſcholas & templum frequentavit diligenter, tamque inſigni gaudebat memoria, ut ſæpe dimidiam ſermonis e ſuggeſtu habiti partem domi recitaret; de reliquo omne, quod ſibi ſuperfuit, otium libros

libros theologicos legendo consumsit. Hæc sub initium anni prioris, horis nocturnis ex improviso corripiebatur vertigine, subsequente lipothymia, & rigiditate membrorum totiusque corporis, cessantibus vero his e lecto surgebat, in terra sese circumvolvebat, capite pavimentum quassans; ab adstantibus vero in lectum deportata & demum expergefacta, nullius rei memor erat, nec de dolore, præter lassitudinem, conquerebatur. Horis vespertinis præsertim circa novilunium, ad mensam sedens, oscitare cœpit, caput manu sustentans, cubito innixa, rigidis oculis, theologica debito ordine protulit, sermones recitavit, iram Dei, devastationem terræ, & hujus generis alia adnuntiavit, summo cum adstantium stupore, ita ut divini quid subesse putarint, inprimis cum hoc per aliquot dies ita duraret. Tantus erat populi adfluxus, ut cubiculum illi recipiendo vix sufficeret. Admonita dein illorum, quæ modo protulerat, omnia se ignorare, & nullius rei consciam se esse, adfirmavit. Fama cum de singulari hac puella ad summum Magistratum Bernensem delata esset, jussu Ejusdem in nosocomium publicum recipitur, & curæ Medicorum commendatur. Paroxysmus ibi per aliquod tempus siluit, sed circa novilunia prædicto modo rediit. Ante ejus accessum quandoque vomebat, ac vermes ἄνω & κάτω rejiciebat, post prægressos autem varios motus spasmodicos varia mirabilia, rationi tamen consona, proferebat, adstantium hinc pectora commovens, multasque ab iis eleemosynas accipiens. Cum ergo videret, morbum hunc sibi adeo fructuosum esse, sponte dein theologica proferebat, otio indulgere incipiebat, & obedire admonitionibus, ut ut satis blandis, renuebat. Parens

rens meus t. t. Medicus Nosocomii ordinarius, & ego ipse in naturam morbi, ejusque causam inquirentes, deprehendimus hanc in irritatione intestinorum a vermibus, & hinc excitata passione hysterica consistere, siquidem inprimis observabatur, quod, quamprimum lacticinia, leguminosa, aut farinacea adsumserit, statim paroxysmus excitatus fuerit. Adhibuimus ergo anthelmintica, interpositis simul lenibus laxantibus & absorbentibus ostraceis, & subjungendo dein amara atque antihysterica, (inter quæ vero Castoreum ægre & summa cum nausea adsumsit, a cujus etiam usu idcirco abstinendum erat,) item etiam balnea aquæ dulcis, cum debito regimine. Sic spatio trium mensium plenarie convaluit quoad corpus; interim tamen adhuc quandoque tam ab aliis excitata, quam proprio motu, spe beneficiorum, theologicos istos sermones repetebat, post crebriores vero exhortationes hæc etiam consuetudo tandem penitus cessavit.

Corollarium I. Quam admirandus hic sese prodit inter facultates animæ & dispositionem corporis morbosam consensus?

Corollar. II. Nonne Fanatici, qui Spiritu Dei acti creduntur, similem morbum patiuntur? quem plerumque dispositio morbosa primo excitat, vanitas, ambitio & exercitium voluntarium roborant, & consuetudo demum pertinacem reddit. Nonne hæc puella in eorum numerum referenda est, & fuisset? nisi malo tempestive medelam attulissemus.

Corollar. III. A Vermibus & acido in ventriculo nimio hunc morbum originem suam duxisse, credibile est; prius demonstravit autopsia; posterius, paroxysmus à lacticiniis adsumtis excitatus.

Co-

Corollar. IV. Memoriæ vim ab irritatione prævia nervorum auctam fuisse, patet; sed quomodo hoc factum sit, latet.

Corollar. V. Malum hystericum in fœminis, hypochondriacum in viris, quandoque aut memoriam, aut imaginationem, aut voluntatem turbant & pervertunt; illis vero sublatis, hæ quoque anomaliæ cessant.

Corollar. VI. Admodum caute dijudicandi sunt tales adfectus, ne præternaturale, immo divinum quid in iis statuamus, quod mere naturale est, & a mechanicis causis dependet; alias enim nostra credulitate in subjectis hisce superbiæ motus excitamus.

(Homburgo ante montes Erfordiam missa d. 5. Maji. 1742.)

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. JOANN. SAMUEL. CARL.

Podagra retrogada.

VIr XL. annorum, cholerico-sanguineus animo & corpore, vitæ generis ad habitum temperamenti exacte convenientis, hæreditariam dispositionem ad Podagram nactus, in juventute jam æstuosis cephalalgiis, maxime menstruis, fere ad vomitionem usque tendentibus, immo & febribus adflictus, corripitur mature adfectu majori podagrico, & cum parens avusque, ætatem ultra circiter quadraginta annos non protraxerint, immo prior ex his citius adhuc sub cura lactis minus salutariter decurrente obierit, præter consuetudinem successive fit trepidus, & suadente ordinario suo Medico, acidularum, itemque laxantium & aliorum remediorum usu fomitem internum subigere & removere tentat. Acidulas non bene poterat ferre. V.S. te-

neritudinem texturæ etiam lædere videbatur. Laxantia ex Scammon. sulph. loco potionum mannatarum adsumta, motum magis ad interiora revocasse videbantur, ut inde singulis fere mensibus colica nephritica intensissima laboraret, quam metastasin adjuvit forte externus Saponis chymici usus. Podagra itaque per 5. annos emansit, & ejus loco mox cephalalgia vehementissima, cum emesi, per usum largum infusi Thee accelerata, prædicta mox colica nephritica atrocissima, cum calculorum larga progenie erupit. Sub hoc rerum statu 1.) purgantia resinosa cum laxantibus rhabarbarino-mannatis commutabantur; 2.) loco V. Snis, scarificatio æquinoctialis, in tarso pedum substituebatur; 3.) loco usus præservatorii acidularum, usus vernalis jusculorum alterantium ex rad. Cichor. Tarax. herb. Acetos. Urtic. Bellid. &c. 4.) loco stomachicorum, diæta temperans ex oleribus, vinumque Mosellanum; 5.) loco remediorum roborantium, temperantia, nitrosa, immo & acidula Tinct. Rosar. quandoque etiam Pilulæ polychr. adsumebantur; 6) loco externorum, solum fotus calidus ex tibialibus densis, von doppelt flanellenen Strümpffen, cum interna leni diapnoë per Ess. alexiph. & Tinct. Antim. promota, in usum trahebantur. Ita intra reliqua diætæ, animi, vitæ vitia nihilominus ultra 6. vel 8. annorum decursum placide Podagram vernalem tolerat ac conservat, colica interim nephritica non solum penitus emanente, sed ipsa etiam cephalalgia rarius insurgente, & quidem non nisi ex diætæ vitiis, & potus frigidi impetuosa ingurgitatione, nullis autem aliis molestiis morbidis de reliquo subsequentibus.

EPICRISIS.

Inter plures casus atque exempla in praxi clinica circa podagricorum immorigerorum fructus retrogrados obvenientium, unicum adferre placuit, ut exinde aliorum practicorum monita, pro adfectus & mali necessarii tolerantia, his acces-

accessionibus roborentur. Maxime vero ejusmodi cautelæ summe necessariæ sunt, intuitu multitudinis remediorum, ægris summe perniciosæ, dum in dies ex empiriæ, mox etiam ex Chymiatriæ larga supellectile cibi novi coquuntur & adponuntur, pro Podagra radicitus tollenda, & hocce dominorum morbo per pinguem gallum subigendo. Successus vero mature ærumnas raro superabiles, aut medicabiles accersit, ut præmium majus idcirco sit ponendum illi, qui certa methodo aut medicamento instructus fuerit pro turbata, repressa, vel quocunque alio modo intempestive amissa Podagra prudenter revocanda & conservanda.

Hoc fine autem ad ægrotorum immorigerorum murmura & querelas nunquam attendere, sed potius omni cum patientia easdem audire ac tolerare convenit, medentium autem vel immisericordem misericordiam, vel avaræ ac vanæ promissionis hiatum prorsus supprimere justum omnino est; dum nimirum habitum & indolem hujus morbi, neque genuinas ejus causas, neque ex simplici in vulgus jamjam nota empiria, intueri volunt ac valent. Dolorem enim ut morbum considerare ac opprimere velle, idem est ac itineris laborisque molestiam negligere, indeque scopum ac fructum perdere.

Quis Medicorum negat ex quotidianis fere observationibus, immo quæ etiam anicula ignorat, quod Podagra in consistente ætate eveniens, inprimis hæreditaria, omnes fere alios morbos periculosiores avertat, ætatem virilem, immo & senilem obfirmet, præter dolorum brevem ferociam nil damni œconomiæ vitali adferat, sed quod tantummodo malum quasi necessarium sit, non quidem vitæ in genere, sed speciatim otiosæ ac luxuriosæ ditiorum? Cui autem e contrario non innumera exempla innotuere, quam innumera graviaque, tam interna, quam externa mala ex turbatione Podagræ fuerint provocata & introducta? Inde consilium & auxilium se-

curissimum fluit, aut tolerandam esse medicinam quandam minus gratam, aut fugiendas esse causas medicinæ molestæ adversas.

Licet enim hæreditaria dispositio, maxime ætatis consistentis non ita facile obliterari valeat; certum tamen est, correctionem morum corruptorum, inprimis triplicis illius domini podagricorum dolorum, Bacchi, Veneris & Iræ coërcitionem plus valere pro molestia tali avertenda ac subigenda, (manifesto rusticorum ac pauperculorum exemplo,) quam terræ, cœli & climatis fiduciam, quotquot etiam exinde medicamenta adportentur. Cum vero consilium hoc plurimis Podagræ dominio subjectis non arrideat, hinc etjam æqua mente suscipiant auxilium doloris pro consilio vitæ, ut hæc interius sarta tectaque sub doloribus artuum custodiatur.

Constat itaque per experientiam, quod præstet Podagram tolerare, quam supprimere, eandem vero curare esse causas antecedentes avertere ac removere. Inedia ac quiete curantur multi & magni morbi, cur non & Podagra? si animi sanguinisque temperies accedat, tanto facilius ac certius curatio succedit. Podagricus quidam ex indignatione intra quatriduum nil nisi infusum Thee adsumsit, & ita levatus, postmodum hoc modo malum suum semper mitigavit. Alius duriori fortunæ fato ad inopiam redactus, unacum divitiis Podagram quoque amisit. Sic ergo lusus tales lusum serium ludunt.

Ut vero ulterius hæ nostræ epicrises magis ad Pharmaciam adplicentur, methodos falsas & veras paucis lustrare & indicare nunc lubet. Venæsectionem in tenerioribus subjectis facile turbas debilitantes concitare experientia abunde docet; quodsi vero scarificatio parcior in pedibus lenem ac lentam derivationem conciliet, cur eam non substituemus. Nota est solennis illa podagricorum scarificatio in

habitu

habitu magis ſpongioſo non contemnenda, quam ſingulis menſibus ingruente novilunio repetunt. Acidulæ & thermæ in ſubjectis tenerioribus, ſiccioribus, macilentis & cholericis tonum colatoriorum organorum gravius lædunt. Præſtat itaque methodus ſecurior, ſanguinem generaliter præſervatione vernali depurandi juſculis radicum ac herbularum majalium balſamicis, quoniam ſimul ſub hoc ſtratagemate diætetico Podagricis exactior & convenentior diæta injungitur.

Emetica ac purgantia cholericis non ita conveniunt, motus enim ab extra magis ſollicitant verſus interiora. Conveniunt magis rhabarbarina, lenientia & tonica, uti Pilulæ polychr. quo hac ratione ſaburra bilioſa blande removeatur, ne impetum podagricorum dolorum augeant, immo noxias univerſæ maſſæ humorum turbas inducant, Motus podagrici regurgitatio verſus renes ſolennis ac perquam frequens eſt, adeoque tanto facilius arte ſollicitari poteſt, unde ſedulo omnino præcavenda eſt.

Externa quævis, maxime in initio ac incremento dolorum, & in ſubjectis ſenſibilioribus, dubium, immo noxium effectum exſerunt. Sapo philoſoph. ſeu Tinct. Antimon. cum Ol. Junip. & Thereb. ſaturata, diſcutit quidem, ſed inſimul quoque commovet. Sic etiam Spir. vin. camph. ſenſibilius quidem movet e pede, ſed non e corpore. Hunc pariter ac emplaſtra cum camphora remixta, facile pedes rigidos ad minimum relinquere, ſæpe vero regurgitationem ad interiora, colicam nephriticam, immo Hydropem & Tympanitem invitare, obſervamus. Non minus etiam ſpecificum illud chymiatricum, Panaceæ inſtar deprædicatum, ſpiritus nempe ex Sulphure, ſale ammoniaco & alcali quodam paratus, ſtuporem pedum inſignem poſt ſe relinquit.

Colicam a Podagra retrocedente ortam pro flatulen-

tia passiva intestinali reputare, ac carminativis & stomachicis, vino generosiori, nec non cibis ac aromatibus calidioribus mitigare velle, insignem causarum confusionem prodit. Podagra est spasmus, seu intensio motus tonici, quæ calidis quibusvis facile augeri potest.

Lactis cura cum diætæ adsuetæ plenaria mutatione, paucis adhuc salutaris fuit, prout exemplum domesticum memoria terrorem renovat. Thee potus lacte temperatus, æstum cholericum blande temperat. Via privativa potius præferenda est, scilicet moderamen circa vinosa calefacientia, immo abstinentia ab iisdem. Aquæ potus nulli Podagram accersivit, neque etiam auxit. Calor naturalis blandus quovis modo conservatus certe omnia topica securitate atque utilitate superat; quamobrem curative lectus, tibialia commoda, sacculi farinacei, &c. artificia reliqua mysteriosa omnino longe post se relinquunt. Temperantia nitrosa certe in exacerbatione dolorum ac symptomatum reliquorum, uti & in negotio præservationis, maxime vero in motibus retrogradis, aliis medicamentis palmam præripiunt. Exhibeantur cum digestivis & absorbentibus, parca solum dosi.

Cephalalgia & cardialgia sunt confectaria malæ diætæ ac regiminis. Refrigerationes pedum stupores inducunt ac augent, immo regurgitationes ad caput post se relinquunt, inprimis si vitia primæ concoctionis per crudam diætam, potum frigidum, crassum, inebriativum producta, itemque vehementiores animi commotiones accedant; tunc enim facile partes superiores a similibus spasticis & podagricis motibus infestantur. Discussio, erumpente leni sudore, etiam in abundantia nullum periculum minitante, secure per temperata diapnoica, immo & diuretica lenia, promovetur; hinc Ess. alexipharm., Tinct. antim. tartaris, mihi sunt familiaria pro hoc scopo. Porro etiam acidis,

maxi-

maxime vitriolicis, cum aqua vel ſpiritu vini dilutis, eximia tribuitur virtus, acrimoniam arthritico - nephriticam, immo calculoſam plenarie immutandi ac corrigendi. In ſpongioſis temperant omnino orgaſmum nimiumque æſtum ſanguinis, unde podagricis vini abuſui alias adſuetis conveniunt. In macilentis autem & cholericis ſenſim lymphaticos humores inſpiſſant, immo viſcera obſtruunt, ut mala conſectaria hectica facile inde emergant, unde admodum circumſpecte in uſum trahenda ſunt.

Hæ & ſimiles epicriſes in curatione Podagræ, inprimis retrogradæ, ægrotis eadem adflictis valde vacuæ ac fatuæ adparebunt ; ego vero hanc epicriſin pro præmio dictarum epicriſium lætus reportabo. Experientia enim docebit, quod hæcce ſimplicitatis via propius ad ſcopum ſalutarem ducat, quam multa plauſtra decantatorum arcanorum. A priori demonſtrari facile poterit ex tota podagricorum ſymptomatum hiſtoria & connexione; ſi quoque omnes concurrentes cauſas in ſubſidium trahamus, ſubeſſe actum quendam naturæ utilem, ubi per motus tonici intenſionem, aliquam ſanguineam excretionem, maxime hæmorrhoidalem, molitur quidem, non tamen ſemper impetrat, aut ad minimum intentionem ſanguinem abundantem æſtuantem, aut craſſum per motum ſpaſticum conquaſſandi, reſolvendi & conſumendi. Hinc paroxyſmi podagrici hæmorrhoidibus ſoluti, vel diapnoë largiori mitigati, ſerius dein revertuntur, & brevi tempore iterum finiuntur.

Dum ergo omnes in hoc morbo occurrentes motus unice ad excretionem quandam tendunt, facile hinc patet, quod arte medica ipſisque medicamentis illi quovis modo adjuvandi, ſuſtentandi & tolerandi ſint; cumque proinde ſpaſmorum inſeparabile conſectarium ſit dolor, pariter quoque inde liquet, quod triſtem ejusmodi ſenſum, abs-

que

que objecti & causæ remotione, per anodyna & narcotica simpliciter supprimere nequaquam liceat, siquidem dolor ipse non est symptoma urgens, neque etiam materia acris tartarea solitarie eundem excitat, adeoque non nisi promotione excretionum, propter quas tales motus extraordinarii suscipiuntur, tolli iterum debent. Idcirco etiam simpliciorem medendi methodum præ qualibet alia speciosa me selegisse & adhibuisse nunquam pœnituit, eaque in sequentibus consistit: Præservative 1.) in blanda, sed simul repetita eliminatione saburræ bilioso-mucosæ; 2.) ventilatione sanguinis regulari per V. Snem, scarificationem, & hirudines; 3.) Diæta temperata & animi tranquillitate, & 4.) in promotione discussionis per motum corporis & calorem. Curative laxantia, temperantia & resolventia sufficiunt. Opiata vero, inspissantia, sulphurata, mercurialia, &c. cane & angue pejus semper fugienda sunt.

De nodis & tophis Podagricorum coronidis loco quædam adhuc, ex propria experientia, illorum in gratiam addere lubet, qui de illorum causis solliciti sunt. Visitavi aliquando duos Podagricos, Medicum nempe & Chirurgum, quorum uterque ex copiosissimis tophis manuum pedumque juncturas undique obsidentibus ingentem copiam materiæ calcariæ collegerat. Neuter vero vel convenientem diætam observaverat, vel necessaria præsidia, tam medica, quam chirurgica, adhibuerat, quin potius quælibet directe contraria & manifeste noxia admittebant, potulenta nempe spirituosa, cibos acres aromaticos & pingues, ac tandem topica sulphurata & incrassantia. Sic ergo quilibet malorum suorum erat faber. Sæpius hinc observavi tophos tales nil aliud esse, quam signa & effectus impatientiæ in ægro ac Medico. Discussio diapnoica lenis & constans facile molesta evadit, hinc refrigerationem quærunt pro solamine, immo emplastra inspissantia imponunt, unde serum

acre

acre magis coagulatur, ac denique in calcariam duritiem condensatur.

Cæterum plenariam Podagræ curationem simplici etiam methodo non plane impossibilem esse, sequens docebit exemplum: Juvenis quidam ex dispositione hæreditaria podagricus, post variorum remediorum usum irritum ac vanum, tandem hostem hunc unice adgreditur mitioribus laxantibus & scarificatione singulis anni quadrantibus repetita, observando simul exquisitam diætam antipodagricam. Liberatur hinc a cruciatibus istis dirissimis, & sine illis ætatem parentum podagricorum optima cum sanitate transcendit. Agnatus quidam ipsius, pariter hæreditaria podagra laborans, in juniori ætate constitutus, eandem acidulis, thermis multisque medicamentis profligare intendit. Redditur voti sui compos; cessat Podagra per aliquod tempus; pinguescit hinc & perfecte sanus adparet. Cum vero omnia optime se habere viderentur, derepente asthmate sanguineo correptus obit. Optimum ergo nunc consilium ex juvantibus & nocentibus quilibet facile capere poterit.

OBSERVATIO LVIII.

D. D. JOAN. SAMUEL. CARL.

De

Febre purpurata, ejusque securissima tractatione therapeutica.

Fœmina 24. annorum, temperamenti cholerici, & quidem ex dispositione haereditaria, post primum ante sex menses transactum puerperium, in quo tamen praeter varias sanguinis commotiones orgasticas & subinde recurrentes capitis dolores nil amplius incommodi experta

fuit, jam ante 2. vel 3. septimanas insultum febrilem, cum horrore & insequente aestu, singulis diebus, sed sine typo ordinata, sentiebat, ejusque causam in domesticam quandam indignationem conjiciebat, cumque inde contabescere videretur ob dispositionem ad hecticam proclivem, infantis ablactationem suscipit. Paroxysmus ille horridus & æstuans nocturnis plerumque horis recrudescit, cum insigni anxietate oppletiva pectoris, tensionibus dorsi & artuum, capitisque dolore, accedentibus simul lipothymicis insultibus. Exhibentur hinc pulveres bezoardici, & matutinis horis leniter digestivi, vnde tertio die, sub æquali ac quieto regimine, erumpit purpura alba, aegra hinc ad orthostadiam aliquam redeunte. Continuantur prædicta remedia, & observatur porro regimen diapnoicum sicque & purpura, & hecticæ metus successive evanescunt.

EPICRISIS.

Purpuratæ febres atro carbone nostris temporibus magis, quam superioribus, notantur, tum quod frequentius eveniant, tum etiam maligniores, maxime vero infidæ ac insidiosæ indolis existant. Fundamentum earum hæret in sero acri, corruptivam indolem induente, immo interdum a peculiari miasmate maligno simul inquinato. Subjecta cholerici temperamenti eidem facilius & gravius subjiciuntur, inprimis si crasis sanguinis sulphurea & biliosa magis adhuc suscitatur & promovetur per frequentiores iracundas commotiones, immo & per alimenta & potulenta, quæ serum acre magis commovere, augere, aut ejus excretionem turbare valent.

Lipsienses causam, cur puerperis tenerioribus purpura solennior magisque exitialis sit, tribuerunt frequentiori usui variorum confortantium, calefacientium, aromaticorum, maxime aquæ cinnamomi, balsami embryonum & similium, du-

durante graviditatis ſtatu ex mala conſuetudine adſumtorum. Abrogato igitur tali abuſu, priorum in locum ſubſtitutis temperantibus, emulſivis, gelatinoſis, &c. contagium en- & epidemicum optime mitigatum fuiſſe deprehenderunt.

Peculiaris autem indoles hujus plane ſingularis fermenti, in ſero acri halituoſo latitantis, tum in pathologicis, tum etiam præcipue in therapeuticis admodum attentam meretur conſiderationem, ſiquidem exanthemata, ſub quorum forma illud erumpit, ſæpe admodum languide ac placide cum euphoria prodeunt, non raro autem ſubito retrocedunt, cum ſymptomatum febrilium ſumma exacerbatione, immo repentino lethali exitu. Proinde etiam illud ipſum fermentum in quibusdam indolem magis chronicam, non ſine ægrotantium indignatione, monſtrat, ita, ut talis morbus ſub qualibet commotione animi, itemque mutatione diætæ & tempeſtatis, recrudeſcat. Medentes tunc ſæpe fermentum ſpecificum in atmoſphæra quærunt, ſed fruſtra. Sicuti enim fermenti cujusvis vegetabilis minima portio reſidua in aliquo vaſe, uti v. g, de aceto notiſſimum eſt, non ſolum hoc ipſum qualitate fermentativa imbuit, ſed & liquores aptos adfuſos facile immutare & ſibi ſimiles reddere ſolet: Ita quoque fermenta animalia, ſeu humores excrementitii ſeroſi ſumme reſoluti & ad fermentativo - putredinoſam corruptionem inclinantes, perquam facile, niſi ſedulo ac plenarie eliminentur, ſimilem talem diatheſin in reliquorum humorum maſſa relinquere, eoque ipſo vel frequentiori recurſui, vel diuturniori curationi hujus exanthematici morbi occaſionem præbere valent. Quamquam autem viſceris alicujus labes exquiſita ordinarie non præſto ſit in hoc adfectu, tamen non prorſus rejicienda eſt vulgi ſententia, quod hepar ſit nimis calidum & bilis admodum acris, quoniam prædominans cholericum temperamentum ad ejusmodi vitia ſuſcipienda quam maxime diſpoſitum eſt,

 adeo-

adeoque & hanc ob rationem morbi hujus vehementiam augere ſolet.

Præmiſſis paucis his dogmaticis conſiderationibus, non lubet nunc ulterius in ſpecificam miasmatis hujus indolem & eſſentiam inquirere, ſed potius exinde confectaria quædam therapeutica, vera æque ac utilia elicere. Cur febres catarrhales ſimplices ſæpe evadant purpuratæ, immo & malignæ, facile ex modo adductis patet, ſiquidem ſerum mucidum ab humoribus nondum inquinatis ſecretum, facile ſub motu febrili acrius redditur, præcipue ſi temperamentum cholericum prædominans ſimul concurrit: Tunc enim illud ſerum cum ſanguine ac lympha de novo intimius commiſceri poteſt, maxime ſi inaequale regimen, modo æſtuoſum, excretiones nimium accelerans & urgens, modo frigidulum, easdem turbans & ſupprimens, inconſiderate admittitur.

Febres aliæ exanthematicæ, petechiales, varioloſæ itemque etiam pleuriticæ aliæque inflammatoriæ, quin & continentes ac continuæ, ſæpius complicatam habent purpuratam, inprimis ſi in progreſſu ſuo turbatæ fuerint. Interim tamen ſubjectorum individualis conditio & conſtitutio plus hic valet, quam imaginaria illa cauſarum & miasmatis cognatio, aut convenientia & complicatio. In quibuslibet enim febribus cholerici intenſiori ſemper aeſtu adficiuntur, adeoque ſerum excrementitium tunc maiorem acrimoniam cauſticam concipit, atque dein ſanguineae ac lymphali maſſae iterum immixtum, novum ſic fermentum novamque materiam pro exanthematibus formandis præbet, id quod tanto facilius contingere poteſt, ſi per alimenta, potulenta, medicamenta, ipſumque externum regimen inodinatum, continuas ægrotantium jectigationes & frequentiores linteaminum mutationes blandus ac placidus excretionis diapnoicæ ſucceſſus turbatur, aut temere cohibetur.

Egre-

Egregium hinc eſt conſilium SYDENHAMII, aliorumque ejusdem veſtigiis inſiſtentium, ut in febribus acutis ac præcipue malignis, loco ſudoris aquoſi, anxie, per regimina æſtuoſa ac medicamenta calefacientia excitati, moderata tantum diapnoe expectetur, & per tranquillam ac quietam continentiam acceleretur, quoniam majorem illa ſemper euphoriam conciliare ſolet, quam impetuoſiores ac copioſiores ſudationes.

Facile itaque ex his patet, & per ipſam experientiam abunde confirmatur, quod medicamenta & regimina nimium commoventia plus valeant pro fermento tali ſpecifico generando & expellendo, in morbis pariter ac ſubjectis ad orgaſticas humorum ebullitiones pronis, quam diatheſis generica vel ſpecifica aëris, tempeſtatis, aut climatis. Puerpera, ob varias impuritates durante graviditate accumulatas, ob puerperii labores & anxios motus, ob lochiorum turbas facile evenientes, & tandem ob varios diætæ ac animi errores ad crebriores humorum inquinationes, adeoque & ad purpuratas febres ſuſcipiendas præ aliis magis diſpoſitæ deprehenduntur. Paroxyſmi in hac febre cum frigore ac æſtu alternantes, motum naturæ abſterſorium indicant, ut ita reſolutio ſanguinis conſumtiva, immo abſterſio ſtaſeos, vel materiæ peccantis eliminatio tanto facilius abſolvi & obtineri queat.

Anxietas oppletiva pectoris, imo ſæpe ſyncoptica debilitas, ordinaria ſunt ſymptomata incremento morbi inprimis occurrentia ex quibus ipſæ etiam aniculæ adſtantes eruptionem purpuræ præſagiunt. Per ſpaſticam vero compreſſionem pectoris ſeri abſterſio & liberatio a ſanguinis maſſa inprimis intenditur. Sicuti autem motibus autocraticis internis, ob nimis ſubtilem & halituoſam indolem fermenti iſtius plane ſingularis, vitale principium tantum lenem, moderatam & ſucceſſivam excretionem molitur; ita etiam ſingula artificis auxilia &

consilia ad eundem dirigi debent scopum, inprimis cum per experientiam constet, quod impetus omnis acutarum ac exanthematicarum periodum eximie turbare, immo plenarie invertere queat, idcirco etiam omnia bezoardica & acriora alexipharmaca summa cum cautela admittenda, immo iisdem potius diaphoretica fixa, absorbentia, temperantia, unacum aquis diapnoicis merito præferenda sunt. Non minus etiam ratione diætæ haud indiscretim vago cuilibet adpetitui indulgere licet, quemadmodum intuitu regiminis omnes mutationes lecti, indusiorum & conclavium prorsus evitandæ sunt, quo halituosa absterfio & excretio seri acrioris in debito suo successu conservetur. In declinatione autem alexipharmaca temperata cum Chaccarilla remixta, paucis, sed simul repetitis dosibus exhibita, optimum effectum præstant.

In chronica purpura tempestiva V. S. scarificatio & laxatio, una cum constante motu corporis, securam, immo certam prophylaxin promittunt; sed methodus hæc ad acutum statum non est adplicanda, utpote cui e diametro repugnat. Ad sanguinis massam ab impuritatibus seri in priori chronico adfectu liberandam, Pilulæ polychrestæ balsamicæ, iteratis vicibus adsumtæ, anticatharrhalibus lignosis, similibusque mundificantibus, antiscorbuticis merito sunt præferendæ, siquidem etiam rhabarbarina & hepatica in cholericis subjectis tunc perquam proficua sunt. Quando fermenti purpuracei regurgitatio ad pectus contingit, aut ejus retrocessio imminens aphthodeas faucium inflammationes inducit, tunc Essent. Pimp. alb. paucis guttulis sine vehiculo successive deglutita, discutientem egregium præstat effectum. Mercurialia vero, antimonialia & sulphurata nullius plane sunt utilitatis, securitatis ac necessitatis in chronico isto statu; tanto magis ergo in acuto absint quam longissime.

Ultimo

Ultimo tandem loco in consideratione Purpuræ therapeutica non prætermittendus est adfectus quidam consequens, ex inconvenienti medicatione, aut neglecto regimine plerumque proveniens, morbus scilicet anasarcodes, ubi nimirum inprimis puerilis ætatis subjecta post purpuram superatam, vel etiam sub ejus eruptione in cachexiam quandam hydropicam incidere deprehendimus, cujus causam unice constituit serum inquinatum ob transpirationem turbatam cohibitum, & hinc ad interiora regurgitans, lymphamque gelatinosam coagulans & inspissans. Sub hoc statu omnia purgantia, diuretica, & alia fortiora evacuantia sedulo evitanda sunt; conveniunt autem blandiora corrigentia, resolventia, abstergentia & evacuantia, quæ ulteriorem progressum suspecti hujus symptomatis impediunt, & legitimum chronicæ talis purpuræ successum simul promovent.

Ex singulis ergo his modo adductis nunc liquet, quod, dum serum illud acre fermentativum intimius mixtioni sanguinis & lymphæ sese insinuat, ac simile fermentum corruptivum ibidem excitat, minime idcirco impetuose & repentino actu ejus eliminatio suscipienda sit, sed lente & successive potius promovenda, si felicem curationis eventum promittere nobis velimus. Ipsum autem illud acre serum vel ex universali vitio aëris producitur, vel in humoribus generatur ex temperamenti habitu, diæta, regimine, medicamentis calefacientibus, & succedente dein refrigeratione, atque tandem mediante progressivo & intestino sanguinis motu magis exaltatur & reliquorum humorum substantiæ intimius sese insinuat, quorum plenaria tunc metuenda dissolutio per motum febrilem præoccupatur. Hic igitur quotidie cum novis anxietatibus exacerbatur, continuatusque ad primum, secundum, vel tertium septenarium, donec peregrinum & noxium illud miasma in totum fuerit remotum, unde etiam dolores usque ad plenarium exanthematum de-

ficca-

ſiccationem continuant. Impetus motuum ad expulſionem tendentium ſatis vegetus eſt, adeoque temperato tantum externo regimine ſuſtentari debet; hanc ob cauſam etiam ii, qui chronica laborant purpura, aut eandem ſæpius recurrentem experiuntur, optime ſibi proſpiciunt, ſi tranſpirationi conſervandæ & promovendæ quovis modo, etiam intuitu veſtimentorum, invigilant, & idcirco pectoralibus laneis von *Flanell*, quæ alias etiam rheumaticis & arthriticis egregie conducunt, nullamque ſub ſudore refrigerationem admittunt, ſeſe tunc maxime temporis, quando exanthematum eruptio adhuc viget, defendere ſtudent.

OBSERVATIO LIX.

D. D. JOAN. SAMUEL. CARL.

Peripneumonia en- & epidemia.

VIr 45. annorum, habitus corporis ſanguineo-melancholici, minus carnoſi, diætam regularem obſervans, in juventute hæmorrhagiis narium obnoxius, quæ poſtmodum in irritationes colli ac pectoris tranſierunt, & deglutitionem difficilem, cum ſenſu durioris cujusdam nuclei, in faucibus hærentis, induxerunt, cujus cauſam abuſui Tabaci unice tribuebat, primo vere hujus anni, quo plures pectoris adfect bus inflammatorio-catarrhalibus decumbebant, ſimili ita epidemice graſſante morbo corripitur. Incipiebat hic cum inſigni horrore, cui ſuccedebant æſtus, ſitis, dolores pu ıctorii in pectore, tuſſis ſicca, anxietates oppletivæ aſthmaticæ, agrypniæ, ſubinde intercurrens gravis cephalalgia, ac leve delirium. Quarto die, poſtquam ſpontanei ſudores jam adparuerant, ſputum purulentum, ſanguine permixtum, cum leni tuſſicula, prodibat, ſubſequente hinc

hinc notabili ſymptomatum mitigatione. Die ſeptimo urina, quæ aurantii erat coloris, ſedimentum roſeum notabili in copia depoſuit. Alvus ab initio ſegnis erat, ſed clyſtere emolliente facile ſolvebatur. Adſumebat ergo matutinis horis unam alteramve doſin Eff. alexiph. Stahl. tempore prandii, Oleum Amygd. d. cum juſculo pulli, vel avenaceo, vel Sperma Ceti cum Sacchar. Canar. poſt meridiem, & nocturno tempore potionem, ex aquis diapnoicis & temperantibus paratam, interponendo circa veſperam unum alterumve pulverem bezoardicum, hacque methodo periodus febris placide intra duos ſeptenarios decurrit. Finito morbo Pilul. balſam. pro abſterſione exhibebantur, conjunctis juſculis alterantibus ex Herb. Chæref. Bell. min. Numular. Urtic. min. pro mundificatione & conſolidatione ulceris.

EPICRISIS.

Quemadmodum purpuram puerperis facile endemiam fieri, ex qualicunque ignoto, aut etiam arbitrario diætæ vitio, in præcedente Obſervatione cum aliis notavimus, ita, ut inde contagium magis in alios translatum & auctum fuiſſe quidam judicent: ita Peripneumoniam ex climatis ac loci conſtitutione frigidiori pariter en - ac epidemiam fieri poſſe, exemplo illius regionis, quam ea propter *das Sauer - Land* vocare ſolent, non inepte demonſtratur. Ineunte enim vere, quando tempeſtas tepida cum frigidiori frequentius commutatur, inflammatorii tales pectoris morbi epidemice fere his in locis graſſantur, ingentemque incolarum numerum invadunt, paucos vero morti tradunt, utpote qui de reliquo ab aliis morbis ſatis immunes degunt, immo extremam vivendo facile attingunt ſenectutem, & id circo etiam ſolum hunc morbum ſibi quaſi proprium eſſe autumant. Inde etiam factum eſt, ut ob hujus morbi frequentiam onus quoddam publicum, inſtar legis,

ſubditis ſit impoſitum, cujus intuitu ſub initium Maji menſis quilibet ſubditorum portionem aliquam majalis butyri conferre tenetur, pro butyro ſic dicto viridi parando, quod ex herbis inprimis vernalibus, Heder. terreſt. Bellid. min. Urtic. Tuſſil. Numul. aliisque, cum dicto butyro frixis, & dein expreſſis, conficiunt & dein oboriente illo morbo, ægrotantibus, & præcipue pauperibus, tanquam medicamentum εὐπόριστον, diſtribuunt.

Quanquam autem morbus hic vernalis adeo frequens & ſolennis ſit his in locis, ipſe tamen frigidus aër tempore autumnali & hiemali humores neque ad ſpiſſitudinem, neque ad ſtagnationem tam facile diſponit, ut exinde tuſſes, aſthmata, aliique catarrhales adfectus emergant. Hinc etiam cum ante aliquot annos febris illa catarrhalis, per omnem fere Europam progrediens, complures horum incolarum itidem corriperet, hi tamen omnes eandem ſuperarunt, ſolo fere uſu juſculorum avenaceorum, tepide, vel etiam calide adſumtorum, quæ & alimentum & medicamentum quaſi unicum iisdem præbent. Elucefcit ergo & exinde ſumma Creatoris & Conſervatoris hominum omniumque animantium, ſapientia, dum frigidioribus regionibus horæos fructus, ad æſtum temperandum magis aptos, clementer denegavit, eorumque in locum avenacea ſicca alimenta copioſius conceſſit, ut ſimplici hoc nutrimento calor vitalis internus & externus facilius conſervetur & refarciatur.

Revertor autem nunc ad morbum noſtrum endemium, meque ſummopere miratum fuiſſe confiteor, quod, licet ille omnibus gravioribus febris acutæ ſymptomatibus, æſtu nempe inſigni, vehementioribus anxietatibus præcordialibus, reſpiratione ſumme difficili, mentis turbatione, maximaque virium proſtratione ſtipatus inceſſerit, tamen non largiorem ſtragem ediderit. Die enim quarto,

quem

quem pro indicatorio primi critici agnoſcimus, utplurimum expectoratio ſputi purulenti & ſanguinei, turbatio urinæ cum ſedimento roſeo, ſudoresque calidi erumpentes ſpem felicis ſubſecuturi eventus faciebant, quam etiam ægrotantium ἐυφορία, ſeptimo, nono, aut undecimo die obſervata, confirmabat.

Quod ad medicamenta, huic morbo oppoſita, attinet, illi, qui ex infima plebe ſunt, domeſtica tantum viliora adhibent, juſcula ſcilicet avenacea, butyrum viride, oleum lini & decoctum hordei cum radice aut ſemine fœniculi. Qui vero medica quærunt conſilia & auxilia, illis à primo ſtatim usque ad quintum vel ſeptimum diem exhibentur potiunculæ diapnoicæ, ex Conch. & Lapid. Cancror. citrat. Antim. diaph. aqu. Flor. Samb., Chæref. Scord. Card. ben. ſubjungendo reliquis diebus Eſſ. alexiph. aliaque blandiora reſolventia. Nonnunquam ad tuſſis vehementiam, aut reſpirationis difficultatem mitigandam, oleum Amygd. vel Olivarum recens cum juſculis calidis adſumunt. Rarius ad ſpermatis Ceti cum Sacch. Canar. remixti, aut aliorum expectorantium uſum confugiendum erat, inprimis cum ejus in locum complures herbam recentem Chærefolii, cum brodio carnium coctam, optimo cum effectu, ob egregiam ſuam reſolventem ac diſcutientem virtutem ſubſtituerunt. In declinatione vero morbi ſupra nominatæ herbæ vernales, in juſculis, aut decoctis pro abſterſione ſuperſtitis forſan labis ulceroſæ, per plures adhuc dies in auxilium vocabantur. Externa topica raro adhibentur. Butyrum viride ſufficit plurimis, pro externo pariter ac interno uſu. Quidam etiam Empl. diaph. Mynſ. vel Diach. compoſ. regioni dolenti imponunt. Raro clyſter domeſticus pro ſtrictura alui ſolvenda injiciendus erat, optimum tamen effectum præſtabat. In pauciſſimis etiam V. S. inſtituebatur. Regimen

vero moderate calidum, potumque tepidum, plebs ipsa pectori amicum judicat, & idcirco probe observat.

Quotquot in aliis locis hoc morbo defunctos anatomico cultro subjicere licuit, illi omnes monstrabant pulmones sanguine infarctos, & undique nigricantes. Per totum morbi decursum in iis tussis sicca continuavit, absque ulla etiam levissima expectoratione; sudores colliquativi symptomatici & frigidiusculi perpetuo manarunt, urina aurantio colore tincta nullum sedimentum deposuit, & sub his circumstantiis nono die plerumque discesserunt e vita. Cæterum ex illorum numero, quæ hunc adfectum magis exacerbare ac deteriorem reddere solebant, inprimis erant potulenta frigida, cujuscunque generis, sive aquea, sive cerevisiaria, itemque emetica & purgantia, pro removenda saburra circa pulmones, aut in ventriculo ex falso præjudicio collecta, nec non calida sudorifera primis statim diebus exhibita, in primis autem positive expectorantia, aut anodyna, quorum illa humorum adfluxum copiosiorem ad pulmones invitant, & congestionem suppuratoriam augent; hæc vero blandam ac placidam abstersionem & excretionem supprimunt. Tandem etiam his accensenda sunt acida mineralia, quæ motum tussiculosum nimium augent, inprimis spiritus Salis, unde pro æstu temperando Julapia tantum cum acidis vegetabilibus mitioribus, Syrupo acetosit. Citri, Granat., Rub. id., Ceras. &c. remixta conducunt, immo decocta & potulenta aquea sufficiunt, satisque sufficiens levamen adferunt.

OBSERVATIO LX.

DN. D. JOAN. SAMUEL. CARL.

Nephritis simplex & calculosa, tam sponte oborta, quam per incongrua artificia inducta.

VOcatus in aulam quandam illustrem, audivi illico multas querelas de dispositione nephritica, quam vel aëris peculiari constitutioni, vel aquis minus salubribus adscribendam esse putabant, quoniam complures ad eam pertinentes superioris & inferioris conditionis, diversi temperamenti, sexus, ætatis, vitæ generis, sæpius doloribus lumbaribus, urinæ ardoribus, suppressionibus, alisque incommodis adficerentur, immo complures quoque jamjam Colica nephritica, cum vomitu anxio & prædictis symptomatibus conjuncta, laboraverint. Remedia ordinaria, à plurimis hactenus in usum vocata, erant Oleum Amygd. dulc. Lapides Cancr. aliaque absorbentia & Clysteres emollientes. Horum inprimis usum, cum primo statim die adventus mei æger talis consilium a me peteret, adprobavi, & Veronicam iisdem addere jussi, cum oleis quibusdam coctis. Loco simplicium absorbentium exhibui pulveres temperantes, ex Nitr. depur. Tart. vitriol. & Cinnab. nat. Mitigato sic paroxysmo, inquisivi in causas hujus dispositionis nephriticæ. Aërem & aquam nitroso-calcariam reputatam, accusare non poteram, hujusque præjudicii vanitatem exinde facile demonstrabam, quod plebeii aquam frequentius & copiosius pro potu ordinario adsumentes, quam aulici & ditiores, nephriticis passionibus minus sint obnoxii, quin immo abunde jam constet, aquam istius loci, ra-

tione puritatis, aliis omnibus in vicina ditione palmam præripere. Hærebat autem vitium magis in potu cerevisiario, quem ex universali quadam negligentia, crassaque ignorantia, ubique semper fere turbidum, male coctum, vappidum, crudumque deprehendi. Cum ergo per experientiam abunde jam constet, quod cerevisia talis mucida & feculenta etiam in vegetis subjectis, renum pariter ac pulmonum tonum eximie debilitet, & idcirco etiam asthmaticam respirandi difficultatem inducat, facile hinc occultæ hactenus causæ frequentioris hujus adfectus in apricum produci poterant, siquidem etiam introducta alia convenientiori ratione cerevisiam braxandi, intra breve temporis spatium hocce quasi endemium malum sublatum fuit. Accessit insuper & aliud vitium diætetico-medicum, pro flatulentia cerevisiæ nephritica discutienda, ac pro stasibus mucidis & dolorificis circa vias urinarias avertendis, usus scilicet juniperinorum, maxime aquæ ac spiritus baccarum Juniperi, quo urinæ suppressionem optime solvi posse existimabant. Demonstravi ergo, quod cerevisia feculenta secretionem urinæ impediret & juniperina humores viscidos magis versus renes propellerent, ut ita duplici ex fonte stases tam urinosi laticis, quam humorum viscidorum pro malo isto inferendo ac confirmando producerentur. Remota itaque & hac medicina cum diæta nephritica, potius usum infusi theeformis ex herba Hederæ terrest. commendavi, quod etiam ob egregiam hujus plantæ virtutem mitiorem diureticam, abstergentem ac mundificantem, optimum simul præstitit auxilium.

Eodem quoque tempore in emporio vicino celebriori visitavi amicum quendam, qui, per aliquot jam annos Nephritide calculosa gravissime excruciatum se fuisse, conquerebatur, magnumque numerum calculorum minorum, ad pisi, immo fabæ magnitudinem accedentium, mihi monstrabat, qui post intensissimos lumborum ac renum crucia-

tus,

tus, cum diris aliis symptomatibus stipatos, tandem prodiere. Erat autem æger hic ultra quinquaginta jam annos natus, temperamenti sanguinei, vitæ generis sedentarii quidem, simul tamen vehemens in corporis motu ex artificii ratione suscipiendo, ordinatæ cæteroquin diætæ, ut notabiliora quædam vitia accusari non potuerint. Inquirebam itaque in procatarcticas causas. Caseus, cerevisia varia, & sæpius minus defæcata, vitæ genus sedentarium cum laboriosa alternans, in subjecto satis quidem robusto, merito in considerationem veniebant, sed fundamentum mali nondum exhauriebant, nec producendo huic malo sufficiebant. Accedebat ergo adhuc propria ægrotantis methodus sibi medendi, qui ultro confitebatur, se, quamprimum lumborum dolores, & urinæ ardorem perciperet, statim confugere ad medicinam quandam ab amico communicatam, decoctum nempe, vel infusum cum vino ex rad. Helen. Ari, Armorac. bacc. Junip. Laur. &c. paratum, ex cujus usu urina copiosius, & cum ea sabulum prodiret. Quæro igitur ex ipso, an expulsis ita calculis, sabulo, muco, aliisque impuritatibus, progenies nova non mature revertatur? Immo certe, ait, sed iterum mature in usum vocare soleo meum arcanum. Suadeo hinc usum prophylacticum V. Snis in pede, laxationis, ac infusi theeformis, ex herb. Veron. Heder. terrest. ut experiatur, annon tandem hac ratione malum penitus dissipari valeat. Fit ita, ut per plures dein annos, etiam senex, ab omni calculorum genesi & inde dependentibus cruciatibus immunis vixerit.

EPICRISIS.

Nolo jam plures Nephritidis casus adducere, cum intentio mea eo tantum spectet, ut hujus mali & inprimis calculorum renalium genesin vere artificialem diætetico-medicam,

dicam, ac insimul viam ad simplicem medicinam præservatorio-curativam, inveniendam, monstrem. Quemadmodum enim simplices aberrationes gravia sæpissime & admodum sontica inducunt consectaria: ita & medicamentum & consilium vix certius & securius inveniemus, quam quod absque artificiis speciosis directe & simplici plane methodo causis istis opponitur. Nephritis simplex malum est, quod præcipue subjecta sanguinea, spongiosa, quoad habitum & temperamentum, ætatisque consistentis infestare solet, & quidem non solum ab externis causis, quando vitia circa se- & excretionem urinæ occurrunt, diæta viscida & caseosa, potus fæculentus, condimenta ac medicamenta diuretica, lumborum variæ læsiones concussoriæ, aliæque accedunt, sed & inprimis quoque ab interna causa, vergentia scilicet motuum congestoriorum a superioribus partibus ad inferiores, speciatim loca hæmorrhoidalia, ut ita sub his moliminibus decubitus & collectiones humorum circa lumbos contingant, quæ motu diuretico, ex diæteticis ac pharmaceuticis, ob consilii inopiam, aut præcipitantiam, accedente, facile ulterius propelli, in consuetudinem converti, immo tandem ad stases ac secessiones mucosas, concretiones sabulosas & corruptiones ulcerosas prima fundamenta ponere valent.

Ex his ergo generalioribus causis facile cognosci potest, cur in ætate congrua & temperamento ad Nephritidem disposito, specialissimum illud impedimentum liberæ secretionis urinæ, cerevisia nempe feculenta, ex communissima omnibusque plebeiis nota observatione, non solum stasin humorum in renibus, urinæ subsistentiam & simul mucosarum impuritatum secessum producere, sed tandem etiam, ob acrimoniam urinæ, (ad instar casei cum calce viva facile in substantiam duriorem, quasi lapideam concrescentis,) terrestres & mucosæ partes coagulari ac in calculosa concrementa abire queant. Illi enim, qui in calculorum genesi

tar-

tartarum, similiaque salia primario accusant, in sua ætiologia, chymicæ crystallisationi & physicæ petrificationi superstructa, id adhuc sibi obstare deprehendent, quod salia ista diversa in humoribus occurrentia, acida, alcalia & media, non tam facile calculosa mucida concrementa promovere, sed ea potius avertere & præcavere queant, tum ob resolventem & abstergentem, tum etiam stimulantem & diureticam virtutem, cujus intuitu potius inter lithontriptica referenda forent. Proinde etiam ex ipsa physica genesi calculorum macrocosmicorum contrarium facile potest demonstrari, dum in lapidicinis & subterraneis speluncis manifeste videmus, quod lapides & stalactites ex aqua aliqua viscida successive coalescant, unde merito exinde concludere licet, quod etiam sub diuturniori congestione humorum ad renes, mucositates ab iisdem successive secedentes, a sero transudante coagulentur & tandem in duriorem consistentiam mutentur; siquidem etiam autopsia docet, quod calculi tales post excretionem plerumque mucidi & magis friabiles sint, facta vero ab aëre exsiccatione, magis compacti & duriores evadant. Quando vero post frequentiorem recursum pathematum nephriticorum, quæ ab initio magis rheumaticæ indolis sunt, tandem ulcerosa stasis & corruptela emergit, tunc æque facile concipi poterit, quod & quomodo progenies calculorum multiplicetur, ita, ut non tam annuis, quam menstruis periodis, nova soboles, immo copiosior, prodeat. Non minus etiam inde per experientiam patet, cur ex Nephritide simplici fiat sabulosa & calculosa, & ex hac tandem ulcerosa. Pari quoque modo ex his circumstantiis elucescit, cur arthritici dolores maxime inferiores partes occupantes, videlicet podagrici & ischiadici, tam exactum cum Nephritide consensum monstrent, eamque tam facile post se trahant; siquidem spasticis hisce motibus serum acre, salso-sulphureum magis adhuc con-

concentratur & inſpiſſatur, id quod ſudores arthriticorum graveolentes, & urina craſſa ſaturata, ſedimentum tartareum plerumque deponens, abunde teſtantur, unde, ſi per excretiones periphericas ſufficienter illud removetur, facile dein regurgitat ad renes & concretionem mucido-arenoſam ibidem format, eodem circiter modo, quo in podagricis poſt incongruum uſum remediorum refrigerantium, coagulantium & anodynorum, ex lympha per ſerum iſtud inſpiſſata tophos nodosque generari deprehendimus.

Cognito ſic modo generationis calculorum hujusque cauſis proximis & antecedentibus, ſingula hæc nunc quoque ad cautelas practicas adplicanda erunt. Cum ergo formalitas vitæ conſiſtat in conſervatione mixtionis a putredine, hæc vero inprimis per motum humorum progreſſivum obtineatur, cujus ope impuritatum ſeceſſio perpetua fieri ſolet, merito hinc etiam urinæ ſe- & excretio indeſinenter & libere ſuccedere debet, ſicuti omnes reliquæ excretiones naturales, quam tamen cereviſia fæculenta & craſſa nimium quantum turbat, & hinc impuritatum tam in tota M. S. quam circa renes, accumulationem producit. Hinc etiam optime doctiſſimus HENCKELIUS in *Annal. Phyſ. med. Wratislaviens.* monet, præſtare, ut in plurimis locis de officinis cereviſiariis magis ſint ſolliciti proceres ac cives, quam de pharmacopoliis exſtruendis. Quod ſi ſimplicis hujus remedii antinephritici efficaciam admittere quis recuſet, is ſolummodo attendat ad obſervationem illam adhuc ſimpliciorem, quod ii, qui aquam pro potu ordinario adhibent, rariſſime nephritici evadant, nec non, quod infuſa theeformia ex paucis tantum herbis parata, eximium ſemper levamen in his doloribus adferant, immo quo aquæ inter remedia lithontriptica merito primus concedatur locus. Sic mihi ipſi retulit nephriticus quidam, quod in nullo remedio contra ſummos cruciatus nephriticos ac calculoſos, ex abu-

ſu

ſu vini rhenani concitatos, majus præſidium invenerit, quam in potu aquæ calidæ, vino ſubſtitutæ.

Quodſi itaque ſimplex hoc medicamentum tantam exſerit virtutem, tunc ſane etiam experientia illa medica ipſi vulgo non plane incognita manebit, quod diuretica majorem ſemper adfluxum & congeſtionem, immo & reſtagnationem humorum ſeroſo-mucidorum circa renes concitent, eodem fere modo, quo dulcia & expectorantia decubitum humorum intra pulmones concitant, phthiſinque accelerant; hinc minime negligendæ ſunt illæ cautelæ, de ſimilium diureticorum uſu demum poſt præmiſſa reſolventia, aperientia & diluentia admittendo, quoniam inconſideratus & præmaturus Nephritidem ſimplicem non ſolum confirmat, ſed etiam facillime in calculoſam mutat, quæ tamen, avertendo & derivando nimium humorum adfluxum verſus renes, optime præcaveri poteſt. Inde nata eſt indicatio illa præſervatoria, de ventilatione ſanguinis per V. Snem, hirudinum adplicationem & ſcarificationem in pedibus ſuſcipienda, pro derivando humorum decubitu in nephriticis doloribus, quæ etiam in ſimplici plethoricorum Nephritide optimum uſum præſtat. Similiter etiam eo tendit altera indicatio, quæ ad remotionem impuritatum mucido-bilioſarum, per blanda laxantia, rhabarbarina, ſennata, mannata ſimiliaque, directa eſt, ſiquidem hac ratione illarum collectio circa renes præcavetur, & ejusmodi nephritici plus inde levaminis obtinent, quam ab optimis quibuslibet lithontripticis.

Peractis hiſce generalioribus, facilius dein poterit haberi ratio illorum, quæ ſpecialius hunc adfectum fovent ac ſuſtinent, concrementorum nempe ſabuloſorum, ut & ea reſolvantur & in futurum præoccupentur. Præſtant id inprimis ſalina, muciditatem humorum incidentia, & diureſin moderate ſimul promoventia, quo inſimul inquinamenta,

circa renes hærentia, abſtergantur. Remedia ex Nitr. depur. Tart. vitriol. Lapid. cancr. citrat. cum pauca Cinnab. majoris omnino ſunt utilitatis, quam artificia quælibet chymiatrica. Acida mineralia, Spir. Nitr. dulc. & Spir. Vitr., cum aqua ſimpl. aut Spir. vin. rectificatiſſ. dilutus, non prorſus contemnenda ſunt, provide tamen adhiberi debent, quoniam valde ſtimulant, & teneram texturam renum lædunt, inprimis quando ſtaſis nephritica jam ad ulcerationem vergere videtur.

Tonum renum, ut recurſus congeſtionum præcaveatur, immo tanto citius conſolidatio abſolvatur, reſtituunt gemmata, lapidoſa, coralliata, nec non ſalia volat. urinoſa cum tinct. alcal. remixta. Inde experientia tot formulas remediorum lithontripticorum produxit, non tamen ex opinione quorundam Chymiatrorum, ac ſi lapides pretioſi per magnetiſmum aliquem occultum petrificationem hanc microcoſmicam infringant. Melioris autem efficaciæ eſt uſus decoctorum traumaticorum ex herb. Hed. terreſt. Virg. aur. Alchymill., Matriſylv., Urtic. min. &c. paratorum, item etiam Eſſ. alexiph. cum Eſſ. Succini remixta.

Ulceratio actualis ſi jam præſto eſt, tunc magis mucilaginoſa, dulcia, pectoralia & abſtergentia conducunt. Nitroſa vero, quæ alias in acrimonia urinæ orgaſtica & ſpaſticorum motuum exacerbatione optime conveniunt, nunc evitari debent, ob nimiam, quam excitant, irritationem. Aſt oleoſa & gelatinoſa, veluti oleum Amygd. d. Sperma Ceti, Gumm. arab., Tragac., Liquirit. cocta, itemque radices emollientes & mucilaginoſæ, in Decoctis, acrimoniam purulentæ materiæ ad minimum demulcent & temporarium levamen producunt. Clyſteres, inprimis e traumaticis & ſpecificis, herbis nimirum Veron. Millef. &c. parati, non minus conveniunt; maxime in gravioribus inſultibus colicæ nephriticæ. Inter lenia abſtergentia etiam Pilulæ polychreſtæ genuinæ

nuinæ locum habent insignem, si modo debita cum prudentia adhibentur. Opiata plenarie absint, quoniam etiam sub optimo eorum usu impostura latitat: In gravi enim malo supprimunt excretionem sabulosorum concrementorum, & in mitiori motus non nisi turbant. Præstant his lenientia & emulsiva ex Amygd. d. parata. Decoctum nephriticum Foresti ex rad. Alth. Glycirrh. Sem. Hord. Cicer. & passul. paratum mitigat dolores absque suppressione ac retentione excernendorum.

Tandem quæritur, an plane nullus concedendus sit locus diureticis positivis? merito autem negative respondendum est, quoniam status plethoricus plerumque conjunctus est, cujus intuitu potius derivantia & congestiones lenientia, itemque materiam acrem orgasticam temperantia requiruntur, adeoque privativa magis methodus observanda est. Optima ergo graviori huic malo medendi ratio consistit 1.) in plethoræ ventilatione; 2.) impuritatum per laxantia abstersione; 3.) acrimoniæ serosæ acris correctione per nitrosa & præcipitantia; 4.) toni restitutione ac roboratione per gemmata; 5.) ulcerosæ corruptionis mundificatione & absterfione per lenia traumatica; ac 6.) impedimentorum, aut etiam quarumvis causarum impellentium remotione, hæmorrhoidum nempe & mensium revocatione, uti & podagræ convenienti tractatione, subjungendo congruam diætam. Quæ dein extra paroxysmum ex his subsidiis in auxilium vocanda sint, facile per se patet. Acidularum & thermarum rarus & cautissimus sit usus. Balnea vero domestica, cum lacte & furfuribus parata eximie prosunt, uti & vesicæ lacte repletæ, lumborum regioni impositæ, itemque sacculi vel discutientes cum vino, vel paregorici, cum lacte decocti, pro diversa circumstantiarum & symptomatum conditione suadendi.

(Hafnia Erfordiam missæ
d. 20. Maji 1742.

OBSERVATIO LXI.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBAGHII.

Mola carneo veſicularis a virgine excluſa.

MOlas non abſque viri uſu ac virili ſemine gigni poſſe, jam olim adſtruxit *HIPPOCRATES de morb. mulier. §. 97. n. 2. & lib. de ſterilit. §. 20. Text. 2.* quam ſententiam quoque *GALENUS de uſu part. cap. 10. claſſ. 1.* ſerio confirmat: *Nunquam*, dicens, *aliquem fuiſſe, qui mulierem viderit, molam absque viri uſu gerentem.* Non pauci tamen ex antiquioribus concedunt, immo rationibus quibusdam corroborare nituntur, quod molarum generatio ſine virilis quidem ſeminis concurſu, ſed ex nudo olim ſuppoſito mulieris ſemine contingere poſſit. vid. *ZACCHIÆ Quæſt. med. legal. lib. 1. Tit. 3. quæſt. VI.* ubi inſimul Auctores pro utraque parte & ſententia militantes fuſius recenſentur. Complures enim Medici illius ævi, *HIPPOCRATIS, ARISTOTELIS* & *GALENI* auctoritate ſeducti, innocentes ſæpe fœminas, molas excludentes, impudicitiæ inſimulaverunt, quale exemplum etiam adfert dictus *ZACCHIAS l. c. no. 26.* de religioſa quadam, quam *AMATUS Luſitanus, Curat. med. Cent. 4. curat. 36.* audacter violatæ caſtitatis ream pronunciavit. Noſtris vero temporibus ex variis Obſervationibus hinc inde obviis, & ſic ex repetita experientia ſufficienter jam conſtat, quod molæ, quæ motu & quaſi vita aliqua præditæ ſunt, (quales tamen monſtris potius accenſendæ ſunt) non niſi ſolis maritatis, & cum viro rem habentibus, propriæ ſint, cujusmodi exempla apud *SENNERTUM, SCHENCKIUM, SALMUTHUM, ZACUTUM*

CUIUM LUSITANUM & in *Actis N. C. Dec. I. Ann. I. Obs. 5. in Schol.* prostant; e contrario vero simplices molæ omni motu destitutæ, etiam in viduis & virginibus castis occurrere possunt, sicuti complura talia exempla non solum in Ephemeridibus Illustris Acad. Nat. Curios. (*a*) sed & apud *HARDERUM in Apiar. obs. 92. MERCURIALEM de morb. mulier. lib. I. cap. 3. SENNERTUM, Prax. lib. IV. part. 2. de mola, Fortun. FIDELEM Relat. med. lib. III. Sect. 5. RUYSCHIUM Cent. observ. anat. chir. obs. 158. RHODIUM Cent. III. obs. 53. Marcellum DONATUM Hist. med. mirab. lib. 4. cap. 25.* prostant, quemadmodum etiam doctiss. *ALBERTI in Jurisprud. med. Part. I. cap. V. §. VII. a.* duo exempla virginum integrarum adfert, quæ ex mensium vitio & anomalo statu, modo insolita retentione, modo excessivo fluxu, molas generarunt, & dehinc excluserunt. Non minus etiam in *Miscellan. phys. med. mathem.* celeb. *BUCHNERI Ann. 1730. Mens. Nov. Class. II. art. 3. p. 1452*, ex relatione Dn. D. *WOLFFII*, sistitur virgo, quæ singulis mensibus, durante fluxu mensium, varias diversæ magnitudinis molas, majores æque ac minores, semper excrevit, id quod tam diu duravit, donec viro nupta gravida reddita fuerit. Hanc ipsam ergo experientiam, ad innocentiam virginum castarum magis confirmandam, novo quodam roborare placet exemplo virginis cujusdam XX. annorum, sanguineo - phlegmaticæ, quæ ante duos circiter annos tempore menstrui fluxus frigidam ingreditur aquam, hacque ratione tantas ejus concitavit turbas, ut modo parcius prodiret, modo plane subsisteret, quæ suppressio etiam dein per integros sex menses continuavit. Ab hoc ergo tempore abdomen fit tumidum, itemque etiam pedes œde-

(*a*) Dec. II. Ann. I. obs. 39. Dec. III. Ann. VII. & VIII. obs. 223. item. Ann. IX. & X. obs. 157.

œdematosi redduntur, sentitque pondus quoddam grave & molestum in abdomine, succedit hecticodeus status cum horripilatione, in externis partibus inprimis perceptibili. Vocatur Medicus, qui harum circumstantiarum inscius, remedia menses moderate promoventia præscribit, a quorum usu post aliquot dies vehementissimi in dorso & abdomine oriuntur dolores, cum subsequente hæmorrhagia uteri, sub quorum incremento majori tandem massa quædam carnea ex utero propellitur, quam primo obstetrices vocatæ uteri procidentiam esse autumant: & idcirco summa quidem cum industria, sed frustraneo effectu, reprimere tentant, ægrotæque dolores magis hinc exacerbant, sub quibus etiam illa tandem foras ejicitur. Accersitus dein & concrementum hoc exactius lustrans, non nisi molam illud esse deprehendo, figuræ oblongæ, ad spithamæ fere longitudinem accedentem & pondere libram unam cum dimidia æquantem. Substantia ejus parenchymati pulmonum non absimilis erat, mollis, friabilis, fungosa & hinc inde quadantenus vasculosa, copiosis simul hydatidibus referta, quibus multa pinguedo intertexta adparebat. Adhibitis dein congruis emmenagogis, mensium fluxus restitutus fuit, ipsaque hæc virgo ab eo tempore integra sanitate gaudet.

OBSERVATIO LXII.

DN. LIC. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII.

Præmatura infantis recens nati mors, ex purpura hæreditaria neglecta & retrocedente.

MAtrona XL. annorum, sanguineo-cholerica, activioris iracundæ indolis, ac lautæ & quadantenus vinosæ diætæ, subinde purpura rubra chronica laborans jam

jam decima tertia vice gravida, post prægressas varias animi commotiones, maxime autem iracundiam & mœrorem, felici tandem partu enixa est puellam admodum debilem & manifestis convulsivis motibus adflictam. Primis statim diebus puerpera prodeuntem observat purpuram rubram, antea quoque sibi familiarem, quæ etiam dein in ipsum infantem, tam ex dispositione hæreditaria, quam suctione lactis materni, transfertur, irregulariter autem se gerit, & modo erumpit, modo retrocedit. Increbescunt ergo in dies convulsivi motus, superveniente simul aphthodea faucium inflammatione, quare, neglectis necessariis remediis diapnoicis & blandioribus alexipharmcis, exanthematum eruptionem sublevantibus, unica salus in varii generis ant-epilepticis, a quibusdam familiis Nobilium summa inter arcana relatis & communicatis, quærebatur, eventu tamen spem atque promissa hæc speciosa eludente ac frustrante, siquidem, turbato his remediis legitimo purpuræ successu, post paucorum dierum intervallum, misere tandem obiit tenellus hic infans, prudentiori methodo alias procul dubio diutius servandus.

EPICRISIS.

Purpura rubra, æque chronica, subjectis sanguineo-cholericis præcipue familiaris, in humoribus diu sæpe delitescere potest & solet, donec gravior quædam intrinseca humorum commotio, sive per animi pathemata, sive per alios errores, circa rerum non-naturalium usum commissos, introducta, miasma illud peregrinum excitet, ejusque secessionem & expulsionem promoveat. Inde etiam fit, ut jam facile recrudescat, immo sæpius quoque periodica evadat, sive dependeat a reliquiis morbosis non sufficienter oblatis, sive a lauta diæta ac vinosa, sive ab aliis varii generis externis.

Hoc interea notari inprimis meretur, quod per hæreditariam dispositionem facile transferatur in infantes, immo, præsente jamjam qualicunque dispositione, in puerperis etiam extraordinarie sæpius revertatur, atque tunc cum lacte ipso materno miasma tale copiosius communicetur & insinuetur tenellis recens natorum corporibus, in quibus dein, prout etiam ex præsenti elucescit exemplo, ob imbecillitatem virium, tanto graviora magisque sontica inducit symptomatata, totum morbi successum insigniter turbantia, & periculosam exanthematum retrocessionem facile accelerantia, quæ ipsa insimul in prædicta puella per imprudentem usum, aut plane intempestivum abusum specificorum & arcanorum antepilepticorum, tantopere deprædicatorum, magis adhuc promota fuit, absque tamen ulla, etiam levissima convulsionum mitigatione, utpote quas, cum mere symptomaticæ fuerint, citra primariæ causæ remotionem nunquam impune & absque majori periculo, præcipue in tenerrimis ejusmodi subjectis, tollere licet.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII.

Impotentia ambulandi artusque movendi subitanea, in gravida cæteroquin sana.

VErissima omnino sunt & per experientiam jam dudum abunde comprobata, quæ *ZACCHIAS*, in *Quæst. med. legal. lib. I. tit. 3. quæst. 1.* profert, his verbis: *Prægnantia in quocunque tempore sit, nullatenus cognosci potest per signa quædam certa, infallibilia, demonstrativa, sed saltem per aliquot conjecturas & signa quædam probabilia.* Et ita etiam com-

comparata sunt ea, quæ *HIPPOCRATES Sect. V. Aphor. 41.* adducit. Constat quoque proinde per quotidianam experientiam, quod emansio mensium, fastidium ciborum, vel pica, vomitus matutini, mammarum turgescentia, lactisque in iis præsentia, successiva abdominis intumescentia, & plura hujus generis alia, non utique & in omnibus fœmellis tamquam certa & evidentia graviditatis signa reputari queant; quoniam admodum frequenter eadem variant secundum individuorum diversam ætatem, constitutionem, temperamentum, statum sanum vel morbosum, ut modo magis, modo minus manifesta sint, immo quandoque plane deficiant. Non minus etiam gravidis sæpius varia plane insolita eveniunt accidentia, de quibus plura adduxit doctiss. *ALBERTI* in *System. Jurisprud. med. P. I. p. 92. §. XVII.* quorsum etiam referri meretur casus in Celeberr. *BUCHNERI Miscellan. phys. med. mathem. Ann. 1727. mens. Februar. p. 125.* descriptus, de abstinenta a cibo & ferme etiam a potu, per aliquot menses, post medium gestationis tempus, prægressos vehementiores vomitus excipiente. Huic ergo alium quendam, notatu non minus dignum, in praxi a me observatum, subjungere licebit, qui in sequentibus consistit: Molitoris uxor, annorum XXI. floridioris constitutionis, alias mensium frequentioribus anomaliis, & exinde arthriticis doloribus, mitioribus tamen, aliquoties adflicta, primis statim temporibus ingravidationis primæ, sibi aliisque adhuc incognitæ, plenaria impotentia deambulandi, artusque movendi ex improviso corripitur, absque tamen ullo alio incommodo, sive dolore, sive tensione partium qualicunque, ita, ut lecto quidem adfixa, bene tamen ingerat, digerat & egerat. Varii ergo hinc inde & Medici & medicastri (more vulgi ordinario,) in consilium vocabantur, eorumque quilibet fere aliam plane causam molesti hujus symptomatis accusabat; medicastri vero veneficium subesse audacter pro-

 nun-

nunciabant; interim tamen omnia auxilia, tam naturalia, quam antimagica, frustranea erant. Tandem medio ferme gestationis tempore ad hanc cæteroquin sanam mulierem adducor, pensitatisque ac exploratis omnibus circumstantiis, graviditatem unice in culpa esse declarabam, quam vero adstantes tacite exsibilabant. Interim orgasticam quandam extraordinariam sanguinis commotionem observans, contemperantia & leniter laxantia ex Rhabarb. Sale Anglic. exhibeo, subjungendo dein V. Snem in brachio, post cujus usum successive robur & mobilitatem membrorum redire observavit, ut e lecto surgens non solum vegetiorem infantis motum dehinc perciperet, adeoque de impraegnatione certior redderetur, sed & domesticis occupationibus præesse potuerit, usque ad consuetum partus terminum, quo filiam sanam vegetamque feliciter enixa fuit.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII.

Subitanea mensium suppressio, variorum sonticorum, successive se excipientium, morborum causa.

ANcilla quædam, floridioris constitutionis, annorum XXIV. durante mensium fluxu intrans aquam frigidam, subito eundem subsistere deprehendit, indeque statim tumorem in cubito cum erysipelacea inflammatione erumpere sentit, qui a nasutulo opilione unguentis & emplastris pinguibus tractatur, brevi post, una cum inflammatione, reprimitur. Excipiunt autem perniciosam hanc retropulsionem statim vehementissima tormina abdominis, cum tenesmo & actuali hœmorrhoidum fluxu, quem itidem alius

alius in conſilium vocatus empiricus, dyſenteriam veram eſſe reputat, & hinc adſtringentibus ſubito ſiſtit. Novam ergo hancce ſiniſtram medicationem preſſo pede inſequitur graviſſima Arthritis vaga, miſeram diriſſime excrucians, unde jam demum inopes conſilii, meam implorant opem. Adhibitis ergo convenientibus remediis, intra aliquot hebdomadas non ſolum Arthritis profligatur, ſed etiam dein menſium fluxus, cujus ſuppreſſio primariam & generalem omnium horum malorum cauſam conſtituerat, ſucceſſive revocatur, & in priſtinum ordinem redigitur. Elapſo ſic circiter ſeſqui anno, viro interim nupta, prima vice gravida redditur, ſtatimque altero hujus ingravidationis menſe frequentioribus urinæ ardoribus adfligitur, qui ſucceſſive in plenariam ſummeque doloroſam tranſeunt Iſchuriam, quandoque remittentem, ſemper tamen recurrentem, ac ſe ſe exacerbantem, tandem vero circa medium circiter geſtationis tempus in urinæ incontinentiam tranſeuntem, hac tamen cum ſpeciali circumſtantia, ut quando erecta ſtabat, aut ſedebat ægra, ne guttula quidem urinæ prodiret, quando autem decumbebat, id quod ob inſignem virium jacturam abſolute fere neceſſe erat, ſtatim guttatim ac continuo illa proflueret, unde dein ſucceſſu temporis graviſſima genitalium & adjacentium partium inflammatio ac excoriatio eveniebat, inprimis cum ardor urinæ in dies increbeſcere videretur. Adpetitus interim plenarie, unacum viribus erat proſtratus, maciesque inſignis totum corpus occupabat, ut cutis vix oſſibus hæreret. Durabant hæc ita per trimeſtre fere ſpatium, inter anxias querelas & lamentationes ægrotæ. Maritus & agnati hinc inde auxilium adlaturi, fruſtra diſcurrebant; non quidem ut interne per apta adminicula opem efflagitarent, ſed tantum externe excoriationi & inflammationi per remedia modo congrua, modo etiam incongrua commendata reſiſterent. Tandem, elapſo hoc

tempore, sensim sensimque involuntarium istud urinæ profluvium remittebat, atque dein ad ipsum usque partus legitimi terminum melius se habebat, in quo puellam mole quidem parvam & pariter summe emaciatam, sed tamen contra omnium opinionem sanam & adhuc satis vegete viventem, in lucem edidit, quo facto misera hæc & ad necem fere perducta, vires unacum pristina sanitate habituque carnoso successive recuperabat, illaque per integrum biennium læta fruebatur. Dehinc vero secunda vice imprægnata, singulis modo enumeratis pathematibus denuo affligebatur, quare cognati ejusdem, qui cautius nunc mercari didicerunt, statim me conveniunt & auxilia quærunt. Indagatis omnibus circumstantiis, nonnisi aliquot doses pulveris antispasmodici exhibeo, venamque in brachio aperire jubeo, unde intra paucorum dierum spatium molestissima ista symptomata non solum penitus sublata fuerunt, sed & ipsa gravida, tempore ordinario ab uteri sarcina liberata, integra nunc gaudet sanitate.

SCHOLION.

Consensum illum manifestum & eximium, qui pedes inter & uterum viget, præter fœmellas hystericas, ab eorum refrigeratione pejus semper se habentes, menstruatæ etiam probant atque confirmant, siquidem excretionem hanc tantopere necessariam ac salutarem, exinde facillime atque gravissime turbari posse, per experientiam abunde jam constat, inprimis si ejusmodi sensibilior pedum refrigeratio contingat præsente jam & succedente isto fluxu, sicuti in casu hoc descripto ab ingressu in aquam frigidam plenaria ac subitanea ejusdem suppressio statim inducta fuit, eaque postmodum omnibus reliquis succedentibus morbosis consectariis primariam originem præbuit. Exinde enim primo prognatus fuit tumor ille externus inflammatorius, cujus item-

pestiva

pestiva retropulsio dein congestiones & impetuosiores translationes humorum versus viscera abdominis provocavit, quæ, dum mensium fluxum illico restituere non poterant, vicarium hæmorrhoidalem excitabant, cumque & hic per adstringentia cohibitus fuerat, tandem eluctatorii spastici motus in artubus scenam quasi claudere videbantur, arthritidemque vagam introducebant. Pari etiam ratione dein, sub ingravidatione, plethora denuo aucta nimiaque sensibilitas stricturas illas circa vesicam & frequentius recurrentem Ischuriam quoad maximam partem produxit, cui tandem, ob tonum sphincteris vesicæ nimium debilitatum, incontinentia urinæ successit. Hanc ergo ob causam V. Snem omnibus aliis merito præferebam auxiliis, bene gnarus, quod in gravidarum Ischuria optimum illa constituat remedium, quemadmodum egregie id demonstravit Clariss. *WOLFFIUS*, in *Schol. ad Observ. XX. Volum. IV.* horum Actorum.

OBSERVATIO. LXV.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII

de

Consuetudine diuturniori, circa res etiam minus salutares, haud ita temere & subito mutanda.

Videtur omnino consuetudo proprie nihil aliud esse, quam motus quidam determinatus, ex speciali naturæ activitate & inclinatione ortus, atque crebriori & repetito exercitio in habitum mutatus. Et quamquam ea primario semper sese exserat in actionibus moralibus, non minus tamen frequenter etiam in vitalibus occurrit, tantæque

que in iis eſt efficaciæ, ut, ſi etiam circa res manifeſte noxias verſetur, abſque tamen detrimento nequaquam omitti, aut ad minimum ſubito haud mutari debeat. Sic videmus v. g. quod complures Aſiæ incolæ Opium in quantitate non exigua, ob continuum fere uſum, citra noxam ullam adſumere poſſint, immo, quod quemadmodum illud in minus adſuetis ſoporem ac ſtuporem induxit, ita in his gentibus ſingularem excitet animi alacritatem, ad ferociam usque ſæpius progredientem. Similiter quoque venena in quibusdam ſubjectis, conſuetudine iterata & a minoribus doſibus ſucceſſive ad majores progrediendo, adſumta, nullam iis noxam inferunt. Eodem modo & purgantia draſtica diu & repetitis ſubinde vicibus uſurpata, tandem perquam exiguum monſtrant effectum. Tabaci fumum haurientes prima vice multa perſentiſcunt incommoda, temporis autem ſucceſſu facile eundem tolerant, immo ſæpius ita ei adſueſcunt, ut frequentiorem, immo fere continuum uſum in delitiis habeant. Proinde etiam obſervamus, quod natura ſæpiſſime certis quibusdam remediis, inprimis evacuantibus, ob frequentem & diuturnum uſum, ita adſueſcat, ut ordinarias etiam & quotidianas excretiones negligat, niſi iisdem illis remediis excitata fuerit, quemadmodum id exempla eorum, qui vel Pilularum crebriori uſu, vel Clyſterum adplicatione fere continua delectantur, abunde comprobant. Quemadmodum autem vi conſuetudinis diuturnioris nullum etiam a rebus cæteroquin noxiis pertimeſcendum eſt periculum; ita e contrario tales in ſe quidem pravas & ſummopere culpandas conſuetudines nequaquam temere & repente mutare licet, niſi graviſſima ſummeque ſontica invitare velimus confectaria; *Nihil* enim, prout Illuſt. b. m. *HOFFMANNUS*, in *Med. rational. ſyſtem. Tom. I. p. 649.* egregie monet, *magis ſanitati inſidias ſtruit, quam ſubita rerum conſuetarum mutatio.* Confirmat idem hoc *HIPPOCRATES Sect. II. aphor.*

aphor. 50. his verbis: *Ex multo tempore consueta in consuetis molestare non solent, etsi sint deteriora.* Unde etiam perquam salutare est consilium *CELSI*, quod *lib. I. cap. 3.* exhibet: *Cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit adsuescere; quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum est;* adeoque ejus intuitu necesse quoque est, ut pariter consuetudines circa res perniciosas non subito, sed pedetentim abrogentur & immutentur; *quod enim paulatim ac successive fit, illud tuto fit*, teste eodem *HIPPOCRATE l. c. aphor. 51.*

Veritatem ergo hujus adserti & necessitatem adducti consilii duobus jam confirmare & illustrare placet exemplis, quorum prius in sequentibus consistit: Vir sanguineo-melancholici temperamenti, alias strenuus Spiritus vini potator, ac simul a primis juventutis annis suctioni fumi Tabaci nimium deditus, ut hinc non injuste, juxta *Simonem PAULI* in *Comment. de abusu Tabaci & herba Thee*, titulum *Capnophili architabacarii* meruerit, quinquagesimum jam ætatis annum agens, ob quotidianam & copiosam spiritus vini ingurgitationem, tandem Tabaci usum subito abrogare intendit, ac idcirco per aliquod tempus illum plane omittit. Vix autem hoc factum erat, cum vehementes spasticos per dorsum excurrentes dolores, cum insolita musculosarum partium in hac regione intumescentia, perciperet. Putans ergo, quod forsitan neglectus Tabaci usus occasionem huic incommodo præbuerit, moderate illum repetit, indeque & tumorem & dolores evanescere deprehendit. Interim adhuc semel tentat, annon in totum hanc inveteratam tollere possit consuetudinem, atque hinc iterum per aliquot dies hanc fumisuctionem negligit; redeunt hinc statim tumores & dolores pristini, iterumque dein admisso usu fumi Tabaci profligantur, unde eundem parcius tantum continuare constituit, & ab illo tempore nihil amplius incommodi observavit.

Alterum exemplum concernit Clericum quendam, similis fere ætatis & temperamenti ſanguineo-cholerici, qui a multo jamjam tempore frequentius & larga in copia pulverem Tabaci per nares attrahere ſuevit, tandem vero ex tædio quodam ab ejus uſu plane recedit, brevi autem poſt non ſolum Cephalalgia per vices recurrente, ſed & Ophthalmia vera ſanguinea graviter adfligitur, cujus cauſam cum unice in intermiſſum hujus pulveris uſum conjiceret, eundem hinc repetit, & paucorum dierum ſpatio, ſine ullo alio adhibito remedio ab his incommodis liberatur. Conferri ergo huc meretur *Obſervatio 236. Decur. II. Ann. V. Ephemer. Nat. Cur.* de Cœcitate ex intermiſſo Tabaci fumo.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII.

de

Herpete eryſipelatoſo volatico in puerulo.

ADfectus paulo rarius in praxi occurrentes, tanto magis ob infrequentiam merentur adnotari, ut junioribus Practicis non ſolum exactius innoteſcant, ſed etiam convenienti ratione ab iis tractari queant. Præſentis hujus modo indicati morbi hiſtoria jam extat in *Vol. IV. Obſ. 45.* horum Actorum, ubi etiam alia adhuc ejus exempla ab aliis Auctoribus notata, adducuntur, quibus etiam illud adnumerandum eſt, quod in *Satyris Med. Sileſiac. Spec. V. Obſ. 2. p. 11.* extat, unde etiam uberiorem quandam conſiderationem pathologico - practicam ejuſdem jam inſtituere non lubet, ſed ſufficiet mihi, unicum illum caſum communicaſſe,

nicaſſe, qui in Praxi, per ſedecim annorum ſpatium hactenus continuata, a me obſervatus fuit. Quum nimirum Hombergæ ad Ohmam Phyſici munere adhuc fungerer, civis cujusdam unicus filiolus, dimidii anni, efflorefcentiis variis cruſtoſis in facie per aliquot ſeptimanas laborabat; his jungebatur demum eryſipelacea inflammatio, cum inflatione partis adfectæ, quam idcirco ſtatim mitigare intendebam, exhibitis tum infanti, tum præcipue matri lactanti, lenioribus alexipharmacis, pulveribusque præcipitantibus & temperantibus ſub quorum uſu etiam Eryſipelas cum efflorefcentiis in facie diſparere incipiebat, ſtatim tamen pectus & humeros ulterius ſerpendo occupabat, hisque relictis, dorſum & abdomen pervagabatur ſucceſſive, cum inſigni ſcroti intumeſcentia, multumque tunc negotii faceſſebat, ſiquidem etiam veſiculæ pellucidæ hinc inde interſperſæ adparebant, donec ſpatio trium hebdomadum totum corpus derelinqueret priſtinaque ſanitas rediret, poſtquam interne uſus prædictorum alexipharmacorum, temperantium & abſorbentium, una cum decoctis, ex lignoſis & anticatarrhahalibus paratis, ſedulo a matre adhibitis, hucusque continuatus, externe vero leniter exſiccantia & camphorata ſimul in ſubſidium vocata fuerant.

(Battenberga Erfordiam miſſa d. 4. Jun. 1742.)

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Calculo ſub lingua reperto.

Proſtat jam in *Volumine III. Actor. noſtror. Obſerv. LXXXII.* caſus de calculis per alvum a fœmina excretis, & in *Volumine V. Obſerv. XXVIII.* alius a me communicatus

 de

de calculis per tussim rejectis, quibus nunc sequentem de sublinguali calculo subjungere lubet. Nutrix generosissimæ cujusdam personæ ulcere sinuoso sub lingua diu adflicta, curæ & dexteritati Chirurgi, in arte sua probe versati, sese concredidit, qui etiam varia remedia mundificantia, balsamica & consolidantia externe adhibuit, irrito vero cum effectu, & citra ullam spem obtinendæ tandem consolidationis. Interim eodem tempore dilectissimus meus parens Dn. D. *Georg. Christian. Wolff*, Physicus primarius & Scabinus Imperialis Civitatis Suinfurtensis ad generosissimum illum L. Baronem, graviter ac periculose tunc decumbentem, accersitus, etiam in consilium ratione ulceris istius, jam ad sinuosum statum inclinantis, vocatus fuit, qui, sub accuratiori instituta exploratione, intus duritiem quandam, stilo immisso non cedentem, animadvertit, unde non solum interne diaphoretica & sanguinem depurantia, viscidosque humores resolventia, præscripsit, atque diætam congruam adflictæ injunxit, sed & Chirurgum turunda, unguento ægyptiaco illita, ulceris introitum dilatare jussit, quibus ita peractis, altero die, post turundæ adplicationem calculus albus, pisi mediocris magnitudine, porosæ & friabilis substantiæ, ex lamellis quasi concretus, cum extracta turunda prodiit, ulcusque illud antea admodum rebelle, paucorum dierum spatio facile coaluit.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII, De Inflammatione, tumore & elongatione prægrandi Uvulæ.

Circa finem Decembris anni præteriti, acicularius XXXII. annorum, temperamenti biliosi & habitus corporis

ris macilenti, per quinque dies inflammatione & tumore faucium uvulæque elongatione laborans, Chirurgum hucusque in consilium vocaverat, qui quoque vertici non solum varia, cataplasmata nempe & emplastra, adplicavit, quibus uvulam nimirum elongatam attollere & attrahere nitebatur, sed & ægrotum in terra sedentem capillis verticis, manipulatim arreptis, ut uvulam simul in altum tolleret, sursum coegit, nefanda vero hac methodo omnia in dies reddebantur pejora, ita quidem, ut æger nihil plane deglutire, difficillime vero respirare valuerit. Rebus sic stantibus, tandem adstantes, suffocationem illius momentaneam metuentes, meum implorant auxilium. Accedens ergo & deploratum hunc statum considerans, primo cochlear spiritus vini camphorati ægro exhibui, utque hunc per aliquod tempus in ore detineret, imperavi. Dein V. Snem largam in pede commendavi, quae etiam ab alio Chirurgo vocato statim instituebatur; interim ex ore stupenda quantitas muci tenacis, viscidi & seri acrioris unacum spiritu vini camphorato rejiciebatur, eaque propter Chirurgo injunxi, ut gargarisma leniter adstringens, cum vino & nitro paratum, mediante siphone frequentius injiceret, qua ratione ingens adhuc copia muci & seri tenacis educta, ægerque adeo exinde levatus fuit, ut eodem adhuc die liquida iterum sorbillare potuerit, idcirco igitur sequens infusum Theeforme præscripsi: Rec. Rad. Torment. Valerian. Vincetox. Helen. Liquirit. ana. drachm. 2. Fol. Ligustri, Veron. Scabios. ana Manip. dimid. Flor. Prunell. Rosar. r. Chamom. rom. ana pugill. 2 Sem. Anis. Fœnic. Cubebar. ana drachm. 1. Inc. cont. M. & infundantur cum aqua fervente & post extractionem infusum hoc calide sorbilletur.

Sequente die tumorem unacum inflammatione uvulæ valde imminutum deprehendebam, magnaque copia mu-

ci iterum per os excreta erat, unde æger tantum de immobilitate & dolore maxillæ inferioris in apophysi condyloidea, nec non de alvi constipatione, in octavam usque diem nunc durante conquerebatur; præscripsi igitur Sacculos ex speciebus discutientibus, uino - calido immergendos & maxillæ in loco affecto calide imponendos, unacum sequente potiuncula laxante: Rec. Aquæ fl. acac, unc. 1. & dimid. rad. Rhabarb. Mercurii orient. pulverisat. drachm. dimid. dulc. rite parati grana 5. Syr. rosar. solutivi drachm. 2. M. D. pro 1. dosi. Cum vero alvus abinde non aperiretur, hinc post VI. horarum intervallum talem subjunxi potiunculam: Rec. Aquæ Cichorei unc. 1. rad. Jalap. pulveris. Scrup. 1. Syr. folior. Sennæ drachm. 2. M. & D. pro una vice, unde etiam circiter viginti sedes cum euphoria provocatæ fuerunt.

Tertio tandem die ad humores stagnantes discutiendos, mixturam sequentem, Eff. Scord. Pimpinell. alb. ana. drachm. 1. M. D. mane & vesperi guttæ XXX. in vehiculo aquoso. Post hujus usum largior statim prodibat sudor, nec non tumor cum inflammatione ad votum evanescebat, ita quidem, ut maxillam pro lubitu iterum movere, loqui, masticare & deglutire potuerit, ac quinto tandem die plenarie restitutus fuerit.

OBSERVATIO LXIX.

D. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

de

Pedum tumore œdematoso chronico, paucorum dierum spatio sublato.

DEcurio quidam LIV, annorum, satis alias vegetus & robustus, postquam ante biennium febre quartana chronica laboraverat, atque varia tunc a Chirurgo

rurgo caſtrenſi præſcripta medicamenta adſumſerat, iisque tandem febrem profligaverat , ab illo tempore œdematoſos pedum tumores, una cum artuum dolore pruriente vago retinuerat, quæ ipſa ſymptomata procul dubio magis aucta erant, poſtquam in obſidione & expugnatione munimenti Philippoburgenſis aquam cœnoſam pro potu ordinario adhibuerat, variis aëris injuriis expoſitus & inſuper globo ſclopeti prope coſtas ſpurias dextri lateris vulneratus fuerat. Interim ſudores ſpontanei per integrum hoc biennium e toto corpore largiter ſatis promanuerant, & adhuc continuabant; adpetitus erat conſtans adhuc & vegetus, cumque viribus ſufficientibus adhuc polleret æger, hinc ſequens præſcripſi Infuſum: Rec. rad. Bryon. Polypod. Helleb. nigri ana drachm. 2. Fol, Sennæ ſ. ſt. unc. 1. herb. Trifol. fibr. manip. dimid. cortic. rad. Ebuli interior. Sem. Aniſi, Carthami ana drachm. 1. Salis Epſoniens. unc. dimid. Conc. Cont. M. infundantur cum libra dimid. aquæ feruentis & adfundatur dein libra una cum dimid. vini generoſi, hujusque infuſi quotidie, jejuno ventriculo, ſexta pars hauriatur.

Tertius hinc vix elapſus erat dies, cum æger certiorem me redderet, quod infuſum hoc ingentem quantitatem ſeri per alvum eduxerit, aliquoties etiam ſanguis cum fecibus alvinis prodierit, quem a contuſione gravi & ſuperficiali vulneratione per ictum ſclopeti modo memoratum adhuc reſtitaſſe judicaret. Tumor pedum interim plane ceſſavit, quapropter uſum infuſi continuare ſuaſi, præcipue cum in artubus dolorem prurientem vagum adhuc ſentiret, inſimulque ſanguis cum fecibus & poſt illas excretus ſuſpicionem potius de hæmorhoidali fluxu præberet, inprimis, quoniam paulo poſt floridus evadebat, ejusque excretio cum euphoria ægri continuabat.

Quinto die ultimam hujus infuſi purgantis doſin adſumſit, & fluxus hœmorrhoidalis, qui per quatuor dies duravit,

ravit, nunc cessabat, dolor autem pruriens & vagus in artubus, quadantenus quidem mitigatus, adhuc continuabat, quare sequentia præscripsi: Rec. Spermat. Cet. rec. Lapid. Cancror. Antimon. crudi ana drachm. 1. rad. Ireos Florent. semin. Anisi ana drachm. dimid. M. F. Pulvis, de quo mane & vesperi in infuso sequente partem octavam capiat.

Rec. Elixir. pectoral. Wed. Tinctur. Antimon. acris ana drachm, 2. M. D. post meridiem hora quarta capiantur 50. guttulæ in eodem vehiculo. Rec. Rad. Liquirit. Scorzoner. ana drachm. 2. Herb. Veronic. Scabiof. ana manip. dimid. Scordii manip. 1. Flor. Hyssop. Papau. rhead. Pugill. 2. Sem. Fœnicul. Cort. Cinnam. acut. ana drachm. 1. Conc. Cont. M. cum f. q. aquæ feruentis Infusum theeforme, loco vehiculi pro adsumendis medicamentis usurpandum. Tandem decimo die non solum tumor pedum plenarie sublatus erat, sed & dolores artuum in totum cessaverant, ut æger hactenus adflictus absque ullo incommodo iterum officio suo fungi potuerit, atque ab eo tempore perfecta nunc fruatur sanitate.

OBSERVATIO LXX.

D. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Febre continua gravidæ, abortum minitante, hujusque felici præservatione.

FOemina XXXI. annorum, obesioris & sanguinei corporis habitus, antea passioni hystericæ, præcipue post prægressam iram & adsumta alimenta dulcia, sæpius obnoxia, quinto nunc gravida, ultimo die Januarii hujus anni ingenti corripitur æstu, cephalalgia, prostratione adpetitus

titus, siti intensa & artuum lassitudine dolorosa, conjuncto pulsu duro & raro, vehementi tussi sicca, ac difficili respiratione. Quoniam igitur a primo statim initio ingravidationis, ob vegetiorem semper adpetitum, largiorem adsumserat victum V. Snem vero plane omiserat, hinc statim suasi potum tenuem, diluentem, calidum & largum, insimulque sequentia exhibui remedia: Rec. Spir. Flor. Sambuc. vini camphorat. matricalis ana drachm, 2. M. & vertici temporibusque spleniis adplicetur. Rec. Aquæ Cerasor. nigr. Rub. idæi, Galegæ, Scord. ana unc. 2. Pulv. antispasmod. Hallens. Antimon. diaph. ana scrup. 2. Syr. papau. rhead. drachm. 3. M. & D. omni bihorio cochlearia duo. Hoc ipso die post meridiem cephalalgia quidem mitior fuit, de insigni vero artuum lassitudine dolorosa & pressione thoracis satis molesta, reliquisque symptomatibus adhuc continuantibus ægra conquerebatur.

Die 1. Februar. pulsus adhuc durus & rarus fuit, nec non symptomata in eodem gradu adhuc durabant, hinc V. Snem in brachio institui jussi, post cujus administrationem sanguis emissus statim crusta alba tenaci, uti in morbis inflammatoriis, præprimis pleuritide, fieri solet, obductus fuit, omnia autem symptomata mitiora reddita fuerunt. Die 2. Februar. de æstu insigni & gravioribus abominis doloribus conquerebatur, postquam præterita nocte vehementi horrore concussa fuerat; motum quoque fœtus fortiorem, quam antea unquam, percepit, & hinc de abortu facile insecuturo metuebat, ast bono esse animo jussi, quoniam motus iste fœtum adhuc vivum vegetumque esse, indicaret, cumque nunc pulsum mollem quidem, sed simul fortem deprehenderem, ac tussis adhuc continuaret, sequentia hinc ordinavi: Rec. Pulver. contra abortum P. A. R. drachm 1. & dimid. Nitri depur. Cinab. nat. dep. ana drachm. dimid. M, F. Puluis, div. in vj. partes æquales & D.

omni trihorio una dosis cum mucilagine hordei. Rec. Empl. de Tacamah. de Mastiche, ana drachm. 3. Cinnam. acuti, olei nucistæ expr. ana drachm. dimid. Malax. ducatur super alutam & infimo ventri imponatur. Rec. Semin. Papav. alb. Melon. Violar. ana drachm. 3. c. Aquæ Hyssop. s. vino, Veronic. Scabios. ana unc. 2. F. l. a. Emulsio, Colaturæ adde: Nitri depur. scrup. dimid. Pulver. antifebril. Crollii drachm. dimid. Syr. Papav. alb. drachm. 3. M. & sumantur versus noctem aliquot cochlearia.

Die 3. Februar. postquam noctem transegerat quietam, antemeridianis horis quoque melius se habuit, omniaque symptomata mitiora erant, unde ob alvi adstrictionem per quatriduum nunc durantem, globum moschatum, oleo lini illitum, adplicare jussi, unde etiam alvus unica vice reserata fuit; post meridiem vero æstus, cephalalgia & tussis iterum nova capiebant incrementa, dolores autem infimi ventris plane mitigati erant, ideoque sequentem exhibebam pulverem: Rec. Spermat. Ceti recent. drachm. 1. Antimon. diaphor. Corall. rubr. ana drachm. dimid. Nitri anod. Cinnab. nat. depurat. Rad. Ireos Flor. ana scrup. 1. Massæ Pil. de Cynogl. grana VIII. Sacchari hordeati drachm. 3. M. F. Pulvis, de quo quotidie ter octava pars in jusculo calido sumatur. Hujus ergo usu tussis non solum mitior, sed & exscreatio facilior reddita fuit, ægrota sequente nocte placide dormivit, & interdum omnia symptomata tolerabilia fuerunt, immo ad sextum usque diem, absque ulla exacerbatione, ita permanserunt, quo ipso etiam die non nisi de tussi adhuc perseverante conquerebatur, unde, cum nulla amplius indicia æstus superessent, mixturam, ex Elixir. pector. Wed. & Spirit. Salis ammoniaci anisati partibus anaticis compositam, mane & vesperi ad quadraginta guttulas in vehiculo calido exhibebam.

A sexto usque ad nonum diem Februar. optime se habuit, vires quoque redire inceperunt, & tantum amarities

oris

oris cum tuſſi mitiori adhuc reſtitabat, unde ad reliquias impuritatum, in primis viis adhuc occurrentes, debite abſtergendas & plenarie eliminandas, ſequentem laxantem præbui potionem: Rec. Mannæ Calabrinæ drachm. 6. Maſſ. Pilul. Becheri ſcrup. dimid. ſolv. c. Aquæ Hyſſopi unc. 2. Colaturæ add. Rhabarb. orient. ſcrup. 1. Nitri anod. Antimon. diaphor. ana grana 5. Syr. Roſar. ſolutivi drachm. 2. M. & D. craſtino die mane pro una doſi.

Die 11. poſt potionem laxantem heſterno die adſumtam, novem vomitus bilioſos habuit, alvus vero clauſa manſit, nihilominus adpetitus & vires ad votum redierunt. Pro fibris ventriculi & inteſtinorum roborandis, & reſtituendo legitimo tono earum, ſequens mixtura præſcripta fuit: Rec. Eſſ. Centaur. min. Cort. Caſearill. Liquor. anod. mineral. Hoffm. ana drachm. 2. M. D. mane & meridie una vel altera hora ante prandium quadraginta guttæ in vino.

Die 15. Februar. poſtquam per tres dies Eſſentiam, die undecimo præſcriptam, toties vomitibus bilioſis rejecit, quoties eam adſumſerat, nunc, cum evaneſcente oris amaritie eam retinuit, & ſucceſſive magis magisque ad orthoſtadiam rediit, ita, ut poſt vigeſimum diem occupationibus ſuis domeſticis iterum præeſſe potuerit, & integra dein ſanitate, usque ad legitimum partus terminum gaudens, vivam ſanamque adhuc filiolam feliciter enixa fuerit.

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.
de
Epilepſia infantis, a diæta vitioſa matris excitata.

Circa initium menſis Martii fœmina quædam conſilium auxiliumque meum efflagitabat pro filiola ſua quadrimeſtri, quæ, aliquot a prandio horis elapſis, ſubito

 vehe-

vehementioribus paroxysmis epilepticis, ſingulis fere quadrantibus horæ ſeſe exacerbantibus, adflicta fuit. Inquirenti ergo in cauſas antecedentes gravioris hujus adfectus referebat mater, nullam ſibi aliam conſtare, præterquam quod per aliquot dies carnem ſuillam, ſale conditam, & braſſicam capitatam, muria a putredine conſervatam, avide comederit, & cereviſiam forſitan quadantenus feculentam ſuper ingeſſerit, de reliquo autem vitæ generi magis ſedentario adſueta ſit. Commendavi ergo eidem potiſſimum diætam congruam, gelatinoſam nempe & eupeptam, nec non pro potu ordinario, decoctum Hordei cum raſur. C.C. radic. Liquirit. & ſemine Aniſi, ſubjungendo ſimul ſequentem pulverem: Rec. Ungul. Alcis, C. C. philoſ. præpar. Arcan. dupl. ana drachm. dimid. Cinnabar. nativ. depur. Lumbric. terreſtr. ana ſcrup. I. M. F. Pulvis, quem capiat quatuor doſibus in aqua ſimpl. vel decocto commendato. Infanti autem ſequentia præſcripſi: Rec. Aqu. flor. Tiliæ ſcrup. 2. olei Tartar. p. d. ſcrup. I. M. & D. omni trihorio guttæ 15. in decocto allegato. Item: Rec. Theriac. Androm. drachm. 2. bals. Rutæ drachm. dimid. olei deſtillat. Chamom. guttas X. M. ducatur ſuper alutam & regioni ventriculi imponatur.

Horum ergo remediorum uſu non ſolum Epilepſia ſtatim mitigata, ſed etiam tenella hæc ægrota ad placidum ſomnum diſpoſita fuit, ita ut tandem continuatione dicti liquoris plenarie reſtituta fuerit. Ut autem intuitu matris etiam ſaburra cruditatum, in ventriculo & inteſtinis collectarum, blande removeretur, bis eidem pilulas meas balſamicas exhibui, quibus etiam novus forſitan metuendus inſultus optime declinatus fuit. Compoſitio autem dictarum pilularum eſt ſequens: Rec. Raſuræ Saponis Veneti unc. I. Therebinth. coctæ unc. dimid. Aloës ſuccoterin. Extr. Centaur. min. Extr. Gentian. rub. Reſinæ Jalapp. Pineis, vel Amygd.

Amygd. d. subactæ ana drachm. 3. M. F. Pilulæ pondere gr. 1. de quibus vesperi decem, & matutinis horis sequentis diei viginti adsumantur.

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

de

Epilepsia infantis a casu ab alto.

INfans unius & dimidii anni, ob negligentiam ancillæ, cui in custodiam traditus erat, e fenestra primæ contignationis in plateam lapidibus stratam ex improviso decidit, ita quidem, ut in osse frontali & dextro osse bregmatis duplex contusio, cum statim subsequente tumore, inde evenerit, cui insimul gravior paroxysmus epilepticus immediate successit, qui per vices aliquoties recurrebat, cum copiosa ex ore prodeunte spuma, & remanente summa respirandi artusque movendi debilitate. Cum ergo sub his circumstantiis auxilium a me desiderarent parentes, maxime conturbati, primo contusionibus lintea, spiritu vini camphorato & matricali imbuta, itemque temporibus balsamum Rutæ & Succini adplicari jussi, dein pro interno usu sequentia exhibui: Rec. C. C. philos. ppt. Ungul. Alcis, Antimon. diaphoret. ana scrup. 1. rad. Pœon. Cinnab. nativ. depur. ana scrup. dimid. M. F. Pulvis, de quo singulis horis sexta pars in infuso herbæ Thee præbeatur. Item: Rec. Aquæ flor. Primul. veris, Tiliæ, hirundin. c. Castoreo, ana unc. 1. Unicorn. fossil. Ebor. philos. ppt. ana grana XV. Syrup. Pœon. drachm. 3. M. D. sæpius cochlear unum.

His ergo remediis in tantum cessit insultus iste epilepticus, ut altero die binis tantum vicibus, mitiori tamen in

gradu, absque prodeunte spuma rediret, tertio vero die prorsus evanesceret. Disparuerunt etiam tunc quoad maximam partem contusiones in capite, insuperque animus sibi constans & motus artuum liberior adparuit, unico hoc excepto, quod brachium dextrum neque extendere, neque attrahere, multo minus attollere & in elatiori situ servare potuerit, cum tamen in humero neque læsio, neque contusio, vel etiam qualiscunque luxatio deprehenderetur, hinc impotentiam hanc movendi non nisi a relaxatione musculorum & tendinum ipsius brachii dependere existimavi, eique hinc sequentia opposui : Rec. Rad. Bistort. Tormentill. Rubiæ tinctor. ana drachm. 2. Herb. Scord. fol. Ligustri, Rorismarini, Flor. balaustior. Rosar. r. Chamom. Rom. ana manip. dimid. Sem. Anisi, Nigellæ, Cubebar. ana drachm. 1. Conc. Cont. M. & duobus sacculis includantur, qui vino austero calido immersi & fortiter expressi, alternatim humero calide imponantur. Horum adsiduo usu intra quatuor dies huic quoque membro debitum suum restitutum fuit robur, ut pro lubitu illud iterum movere potuerit. Quoniam vero tussis quædam molesta, unacum decubitu materiæ mucidæ circa pectus, adhuc observabatur, hinc sequentem præscripsi potiunculam laxantem : Rec. Mannæ Calabr. drachm. 2. solvantur c. Aquæ Hyssopi uncia 1. Colaturæ add. Rhabarb. or. pulveris. scrup. dimid. Syr. Rosar. solutivi drachm. 1. cum dimid. M. & D. mane jejuno ventriculo pro una dosi. Exinde quater alvum deposuit, & intra paucos posthac dies plenarie convaluit.

(*Rüdenbusa Erfordiam missa*
d. 13. Jan. 1742.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIII.

D. D. VALENTIN. ERN. EUGENII COHAUSEN.

Error pharmacopœo falſo imputatus, unacum nonnullis de ſymptomatibus, uſum Lithargyrii excipientibus.

NOn adeo eximium fautorem Pharmacopœorum fuiſſe *Roſinum LENTILIUM*, liquido adparet ex ejus *Jatromnematum theoret. pract. part. II. cap. 30. pag. 509. §. 38.* ubi ita ſcribit: *Limina pharmacopœorum rarenter calcavi, neve illis ob ullum in me collatum beneficium fierem obnoxius, cautione magna cavi, quod multum ſane facit ad Medici exiſtimationem ſartam tectam ſervandam; ſecus ubi evenerit, poppyſmisque ob vini cyathum, vel ſalutes quas vocant culinarias, iſti muli ſcabuntur, cornua ſibi ſumunt & criſtas erigunt, & ſi unquam, hic ſane familiaritas nimia parit contemtum.* Severe ſatis & vere, cum in artis exercitio quotidiana dentur exempla: Quemadmodum vero Pharmacopœorum ſæpius ſatis naſutulorum & temerariorum familiaritas & munuſcula, (quibus, licet leviſſimis, Medicos ſibi mancipare ſolent,) ſedulo ſunt evitanda; ita tamen & conſcientioſi Medici officium eſt, ſubinde eorum defendere innocentiam, ſi illi, qui a remedio quocunque, e pharmacia petito, forte male ſe habent, indeque argumentantur, commiſſum fuiſſe errorem a Pharmacopœo, cujusmodi caſus paucos ante annos in celebri quadam civitate integræ alicui familiæ contigit. Huic ab Archiatro D. H. præſcribebatur vinum medicatum præſervatorium, pro cura, ut vocant, Majali; adſumunt illud & omnes, ſcilicet tres fratres, mater & ancilla, ſtatim poſt ejus uſum adfliguntur Colica vehementiſſima convulſiva,

cuii

cui urinæ accedit retentio, in aliquibus vomitus, pedum inflatio & complura alia. Statim ergo rumor ſpargitur, errorem a pharmacopœo commiſſum, & pro medicamentis datum fuiſſe venenum. Advocatur celebris illius temporis practicus, qui ſingula hæc cum ſtupore intuetur, cauſam vero, cui prodigioſos hos effectus adſcribere debeat, ſe ignorare fatetur, interim tamen varia præſcribebat remedia carminativa, acria anticolica, aliaque, malum ipſum magis augentia, quam minuentia. Ego quidem ad curationem accerſitus non fui, poſtquam vero circumſtantias omnes ſedulo conſideravi, & ab Electorali Regimine injunctum mihi fuit, ut mentem meam de iis aperirem, judicavi, ſymptomata illa non à veneno quodam, ſpeciebus his admixto, (quamquam aliqui errorem in Calamo aromatico adulterino, cui neſcio quam radicem aliam ſubſtitutam fuiſſe putabant, aut in Helleboro nigro, pro quo Napelli radices interdum erronee ſumtas fuiſſe, Auctores quidam referunt,) originem ſuam duxiſſe, ſed potius a vino lithargyriato eadem adſcribenda eſſe, inprimis quoniam mihi jam conſtabat, vietorem ædium iſtarum ſæpius in magna quantitate Lithargyrium coëmiſſe, inſuper etiam ægri utcunque hoc publice ſuſtinerem & cogitata mea Regimini Electorali aulico humillime aperuiſſem, nequaquam tamen concedere volebant vinorum examen, immo ægre ferebant, hanc a me factam explanationem; (habebant enim cellam vino optimo repletam, hincque de ejus diffamatione timebant,) proinde etjam non urgebatur viſitatio & examen rigoroſius, nec excitabatur Fiſcalis contra Pharmacopolii dominam, tandemque effectus ipſius vini ſe prodebat, illique ſimillimus erat, quem Lithargyrium ordinarie producere ſolet, vix autem alii cuidam noxiæ rei conveniebat, ut hinc certo perſuaſus fuerim, injuſte huic Pharmacopolio detractam fuiſſe famam; unde etiam monebam ejus dominam, ut reſtitutionem honoris

&

& hujus rei examen urgeret; ſed cum eſſet vidua ſedula & piiſſima, potius patienter illatam injuriam ſuſtinere voluit, quam tædioſa litigatione per plures annos frivole vexari. Calva interim & vana Practici, ad hanc curationem vocati, erat explanatio, neque Lithargyrium vina, neque eodem adulterata, accuſanda eſſe, eam ob rationem, quoniam ipſe, iſtis in ædibus prandium capiens, integram menſuram iſtius vini, quod pro quotidiano erat uſu, adſumſerit, & optime exinde habuerit, nullis adflictus ſymptomatibus. Ignorabat autem ille, quod venena ſaturnina de genere venenorum lentorum ſint, nec una doſi facile noceant, ſique vera ſunt, quæ de veneno Gallico, *poudre de Succeſſion* dicto, referuntur, merito cum Illuſtri *HOFFMANNO* credo, illud ex plumbo parari. Dein etiam cum tota ſuperius memorata familia de eodem biberit vino medicato, concludere inde licet, omnes eodem antea laboraſſe morbo, v. g. alvi adſtrictione, mitiori Colica, &c. adeoque idem adſumentes remedium, vinum nempe medicatum purgans (quod quidem tali in caſu perperam a Medico præſcriptum erat, cui tamen cauſa morbi ignota erat, nec ab ægrotis, eandem pariter ignorantibus, declarari poterat,) merito, cum hoſtis hactenus quaſi dormiens tali ratione excitaretur, partes internæ conſtrictæ, per purgans irritarentur, doloresque & ſymptomata prædicta induci debebant, ſicuti etiam nullum ſupereſt dubium, quin ſi priori methodo per carminativa calida inſtitiſſent, aliqui ex iis neci traditi fuiſſent, cum hac mutata omnes ope alterius prudentioris Medici evaſerint.

Quam lugubres alioquin ſaturnina, intra corpus ſumta, ludant tragœdias, Anno 1724. experti ſunt Carthuſiani Trevirenſes, utpote qui omnes, quotquot aderant, ſucceſſive laborare incipiebant Colica ſpasmodica, cum retentione alvi aliisque perquam moleſtis ſymptomatibus: Advocatur Medicus, qui, cauſam morbi ignorans, aut in eam forte non

ſatis ſedulo inquirens, carminativa atque purgantia acria, nec non volatilia ſpirituoſa affatim præſcribit, adeo felici cum ſucceſſu, ut quinque Patres paucos intra dies ad cœmeterium deferrentur. Altioris ergo indaginis morbum hunc eſſe judicans ſumme Reverendus Prior, & juſte timens majorem ſucceſſuram ſuorum ſtragem, alios Medicos accerſere juſſit, & inter illos etiam clariſſ. viri D. *Philippi Caroli Boſſardt*, Profeſſoris & Archiatri Trevirenſis, qui magnam tunc nominis famam, ob ſingularem doctrinam, experientiam & prudentiam adeptus erat, cui & ego multum me debere fateor, auxilium implorant, qui accedens ſtatim cognovit Colicam eſſe ſumme ſpasmodicam, ſeu convulſivam, adeoque non per cathartica & carminativa acria, ſed per demulcentia, blanda oleoſa, enemata ſæpius repetita, eandem coërceri & mitigari debere. Inter alia itaque oleum Amygdalarum dulcium, decoctum quoddam emolliens, unguenta ſimilia, ſerum lactis pro potu ordinario, pulveres anodyno-emollientes præſcripſit, & omnia calefacientia exulare juſſit, ſicque omnes methodum hanc obſervantes priſtinæ reſtituit ſanitati. Interim etiam omnia ſedulo examinabat & ſcrutabatur ſolertiſſimus & maxime circumſpectus hic vir, nec tamen cauſam truculenti hujus morbi procatarcticam indagare poterat, quam communem eſſe ob effectum generalem facile hariolabatur: Prandebat hinc ibidem & a menſa ſurgens ſaporem continuo ſubdulcem in ore obſervabat; viſitabantur omnia utenſilia, culina & panis, vinum, cella & granarium; examinabatur Oeconomus, pincerna, coquus; tandem deveniebat ad vaſa butyrum continentia (ſiquidem, dum ordinis hujus regulæ carnis omnimodum uſum rigoroſe interdicunt, magna hinc quantitate ſingulis annis butyro utuntur,) quæ, ut illud ipſum melius conſervaretur, quoniam in ligneis vaſis faciliusranceſcit, & lapidea, ſeu fictilia, minoris tantum ſunt magnitudinis, ex plumbo confecta

erant.

erant. Ex his ergo deſumtum butyrum dulciſſimum monſtrabat ſaporem, ob extractum Saturni Saccharum, quod continebat, & hinc Colicæ tam atrocis, omnes infeſtantis, origo patebat. Sic etiam aliquot abhinc annis aurifaber hujatis civitatis vinum acidius turbidum per vietorem clarificari curavit, qui Lithargyrio hunc in finem uſus fuit, utpote quod aciditatem eximie corrigit & vino pulcherrimum conciliat colorem, & turbidum omne præcipitat, de cætero vero peſſimum eſt inventum: Quotquot enim de eo biberunt, illi omnes Colica atrociſſima, fere non funeſta, correpti, detecto tamen errore, curati fuere; hinc quamvis per Receſſus Imperii undique Lithargyrii uſus pro hoc ſcopo ſevere jam interdictus ſit, attamen Eminentiſſimus Elector princeps ac Dominus noſter clementiſſimus, iteratis vicibus eundem ſub pœna graviſſima prohibuit.

Colophonem tandem imponat huic tractationi aliud notatu non minus dignum exemplum, quod in ſequentibus conſiſtit: Vir quidam illuſtris laborabat fluxu, quem hepaticum vocant, quod malum blande, ſepoſitis omnibus adſtringentibus, tractandum eſſe monebam: cum vero mea medicatio ægroto nimis tarda & tædioſa videretur, alium famoſum Medicinæ Practicum, a vulgo inprimis magni æſtimatum & deprædicatum, me abſente conſulit, qui *Tincturam antiphthiſicam Gramanni*, quotidie bis vel ter in magnis doſibus ſumendam, præſcribebat. Interim negotia ægroti urgebant, ut Amſtelodamum proficiſceretur, quorſum per publicum curſum Tincturam illam, quoniam Pharmacopœi Batavi negarunt, ſe eandem præparare poſſe, deferri curabat, Hoc tempore ego fortuito pharmacopolium intrans, conſpicio formulam præſcriptam, ſtatimque accedo ægroti iſtius fratrem, ac ab eo ſciſcitor, quid hac Tinctura vellet? Explicat ille mihi & auctorem, & quod per curſum publicum Amſtelodamum eam mittere velit ſuo

Dno fratri; rogo hinc, ut pro singulari suo erga illum amore, frequentem immo omnimodum hujus tincturæ usum serio dissuaderet, omniaque exinde alia eventura mala prædico; sed surdo narratur fabula. Redit prædictus ille Dominus, diligenter continuat usum Tincturæ, fluxus ille sanguinis serosi, ipso plaudente, cessat, superveniente tamen statim alvi constipatione, Colica convulsiva, horrenda cum umbilici retractione & gravissimis aliis symptomatibus, ut ad limina mortis eundem jam accedere omnes crederent adstantes. Advocor ocyus & in tam deplorabili statu ægrotum de prospero hujus tincturæ usu sibi adhuc gratulantem reperio, pessimum autem ejus effectum nunc subsecutum exacte demonstro, & quod contra monitum meum ejus usum continuaverit, severe reprehendo, dein clysterem emollientem oleosum, itemque unguentum emolliens anodynum, cum feculis, ex herbis anodyno discutientibus & emollientibus paratis, ac in lacte coctis, præscribo, interdum etiam oleum Amygdalarum dulcium, cum exigua dosi alicujus anodyni præbeo, eum fere in modum, quem *LENTILIUS Jatromnemat. pag. 63. & seq. cap. 12.* exhibuit. Tandem sequens subjungo: Rec. Conserv. Rosar. rubr. rad. Symphyti major. ana unc. 1. Lactis vaccini unc. 8. M. coquantur per horæ quadrantem, & dein colaturæ pars dimidia matutinis, & altera pomeridianis horis adsumatur. His itaque remediis per plures dies diligenter continuatis, colici dolores tandem sopiti fuere, ægerque sic cum valetudine in gratiam rediit, alia vice cautius mercari discens. Eadem fere methodo quoque fenestrarium a Colica spasmodica aliquoties liberavi, qui, quoties plumbum fundebat, & ad orbes vitreos excipiendos & obfirmandos aptabat, toties inde adfligebatur, quod etiam omnibus istis accidit, qui in fundendo, vel alio modo tractando plumbo, variisque exinde parandis productis, crebrius occupati sunt.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. VALENTINI ERN. EUGEN. COHAUSEN.

Cephalæa lethalis.

EA est corporis animalis harmonia, is membrorum omnium inter se cohærentium consensus, is fibrillarum cunctarum nexus, ut una parte læsa, lædatur & altera, vel propter loci viciniam, vel commune officium aut partium connexionem. Inter cætera vero membra affecta nullum magis reliqua in consensum trahit, quam caput, in quo quasi omnium fiunt actionum disquisitiones, sensus & distinctiones: capite enim dolente aut non bene adfecto, singula fere membra languere abunde constat; quam multiplices autem sint capitis adfectus, & quam innumeras ac diversas causas illi agnoscant, fusius jam practici in speciosis voluminibus demonstrarunt, nostrumque non est heic loci repetere, sed placet tantum singularem quendam adnotatione non prorsus indignum casum, de gravissimo aliquo capitis adfectu, in præsentiarum delineatum sistere.

Maria Angela Hausen, de Berncastello, Priorissa Canonissarum ad St. Barbaram Confluentiæ, jam a multis annis de continuo fere capitis dolore conquesta fuit, diversis usa Medicis & medicamentis, sterili semper cum effectu, aut saltem exiguo, minusque constante. Hæc die 30. Novembris 1739. gravissimam exacerbationem doloris sentiebat, unde advocatus præscribebam laxans ex Pulu. Cornachin. scrup. 2. & dimid. Nitr. antimoniat. Scrup. dimid. olei Anisi gutt. 4. M. D. pro dosi, ex quo cum euphoria purgata fuit; cum vero cephalæa continuaret, atque pulsus ce-

lerior motus febriles ſimul concurrentes monſtraret, hinc ſequentem potiunculam, de qua quolibet trihorio cochlearia duo adſumeret, præſcripſi: Rec. Aqu. flor. Acac. Ceraſor. Cichor. ana unc. 1. Succi Citri recent. drachm. 3. Antimon. diaphor. ſcrup. 2. & dimid. Lap. Cancror. ppt. ſcrup. 5. Nitri cryſtallis. drachm. dimid. Syr. papau. rhoead. q. ſ. M. Bene inde ſe habuit, nullum amplius motum febrilem, neque calorem, neque ſitim ſentiebat, unde, cum ſummopere averſaretur medicamenta, nihil ulterius exhibui. Cum vero poſt tertium diem dolor vehementiſſimus rediret, ſequentia ordinabam: Rec. Pulver. antiſpaſmod. Hallens. Lapid. Cancr. ppt. ana grana XV. Camphor. gran. dimid. Extracti papau. rhoead. grana 2. Theriacæ cæleſt. gran. dimid. M. F. Pulv. D. pro una doſi. Rec. Empl. de Betonica drachm. VI. Olei Succin. deſtill Scrup. dimid. Theriac. Venet. drachm. 2. Camphor. grana V. extendatur ſuper alutam in forma palmæ, D. S. Haupt-Pflaſter auf das Haupt zu legen.

Hæc cum nihil levaminis adferrent, ſed dolor acrius urgeret, ac diu noctuque continuaret, omnemque ſomnum interumperet, pulſus inſuper febrilis, urina rubra & alvus obſtructa eſſet, ſingulis his tum enemate, tum ſuppoſitoriis & ſequenti potiuncula, de qua omni bihorio cochlear unum adſumebat, ſuccurrebatur: Rec. Aquæ Flor. Tiliæ, Acac. Pœoniæ, Ceraſor. nigr. ana unc. 1. Pulver. epilept. March. ſpecif cephal. Mich. ana drachm. 1. bezoard. miner. drachm. dimid. Lapid. Prunellæ ſcrup. 2. Eſſent. Nitr. balſam. gutt. 30. Syr. Flor. Pœon. drachm. 6. M. D. ad Vitr. Haupt Mixtur, alle 2. Stunden einen Eß-Löffel voll zu nehmen.

Nuchæ & utrique brachio adplicabatur veſicatorium acre, & Emplaſtro de Betonica jam præſcripto addebatur Caſtoreum; verum dolores perſeverabant, quos ita contumaciſſimos & per plures annos jam continuantes, inprimis ſero quodam acri circa cerebri meninges ſtagnante, motus-

que

que febriles & agrypniam ſimul inducente, oriri ſuſtinebam. Capiti interim gallinam vivam, per medium diſſectam, imponi curavi, poſt cujus adplicationem per bihorium dormivit; tempora vero inuncta fuere unguento alabaſtrino, a quo cæteroquin ſemper ſolamen percepit. Cum igitur dicta hæc Prioriſſa ſummopere a ſibi ſubdito conventu amaretur & æſtimaretur, (piiſſima enim erat, omnibus bene, nulli male volens,) hinc me abſente advocabatur Clariſſ. Dn. Archiater *Weltz*, qui die 6. Decembr. ſequentia præſcribebat: Rec. Antimon. diaphor. Salis polychreſt. ana drachm. dimid. Tartari vitriol. Sal. centaur. min. ana grana XV. M. F. Pulv. dividatur in 2. partes æqu. Poſt horum uſum aliquoties alvi dejectiones habuit, absque tamen ulla dolorum mitigatione, ſiquidem ſemper a circumſtantibus quibusdam monialibus ut caput ſibi comprimerent, ægrota deſiderabat, pro leniendo tantum interno agitationis ſenſu moleſtiſſimo. Externe ſequentes ſacculi regioni dolenti calide imponebantur: Rec. Herb. Majoran. Puleg. Salv. Thym. Origan. flor. Calend. Anthos, Lil. convall. ana manip. dimid. M. conc. D. ad chart. Porro d. 8. Decembr. ſequens potiuncula quolibet bihorio ad cochlear 1. exhibebatur: Rec. Aqu. Ceras. nigr. flor. Til. ana unc. 1. & dimid. Salis volat. Succin. gutt. XXV. Syr. flor. Pœon. q. ſ. D. ad Vitr. Non minus etiam ulterius, jubente Dn. Archiatro ſumſit ſuccum Naſturtii aquatici cum juſculo & ſequentem Mixturam, quoniam Cephalæam hanc ſcorbuticam eſſe judicabat, quam tamen ego ſemper a ſero acri extravaſato & meninges cerebri ſtimulante, dependere ſuſtinebam: Rec. Aqu. cord. temp. noſtrat. flor. ſambuc. ana drachm. XI. C. C. phil. ppt. Antim. diaph. ana Scrup. 2. Spir. Nitri dulc. drachm. dimid. Eſſent. trifol. fibr. drachm. 1. Pulv. Lumbricor. terreſtr. drachm. 1. & dimid. Succin. alb. ſcrup. 1. Cinnab. nat. ppt. drachm. dimid. Syr. flor. Pœon. q. ſ. M. D. S. alle 3. Stunden 1. Löffel voll zu nehmen.

men. Verum & hæc omnia frustranea erant. Post reditum meum dein sequens iterum præscripsi: Rec. Aqu. flor. Til. Lil. convall. Pœon. Cerasor. nigr. ana unc. I. Sem. Pœon. drachm. 2. Card. ben. drachm. 3. Papav. alb. drachm. I. cum dimid. M. f. l. a. Emulsio, colat. adde Succini alb. ppt. drachm. dimid. Corall. rub. ppt. scrup. I. Antim. diaph. drachm. dimid. Sacchari perlati drachm. 3. M. D. S. öffters ein paar Löffel voll zu nehmen. Quoniam etiam loquela difficilior adparebat, & metuenda videbatur superficialis inflammatio, hinc d. 11. Decembr. Mixtura pro collutione oris exhibebatur: Rec. Aqu. Prunellæ, Plantag. fol. quercus ana unc. I. Syrup. Violar. Moror. ana unc. dimid. Spir. Vitriol. gutt. X. M. D. ad Vitr. Regioni temporum ab utraque parte sequens imponebatur Unguentum: Rec. Olei nucis Mosch. express. drachm. 2. & dimid. resinæ Styracis drachm. I. Extracti Croci, balsam. Peruv. ana scrup. I. Olei ligni Rhod. gutt. VI. M. F. l. a. Unguentum, extendatur super duas alutas in forma Thaleri. Interne quolibet trihorio dosin hujus pulveris sumebat: Rec. Reguli Antim. med. gr. V. Succin. alb. ppt. gran. VII. Nitr. crystallis. gran. iij. Sal. ammoniac. depur. gr. V. Cinnab. nativ. gr. iij. M. F. Pulv. dispensetur in quintuplo.

Die 13. Decembr. Dn. Archiater *Weltz* præscripsit sacculos cum vino decoquendos, & prævia expressione calide adplicandos: Rec. Herb. Betonic. Majoran. Rorismar. Salv. Menth. Matricar. Origan. Basilic. Thymi ana Manip. dimid. flor. Calend. Rosar. rubr. Cheiri, Sem. Badian. Anisi, Fœnic. ana Pugill. 2. M. conc. & cont. includantur duobus sacculis. Post horum adplicationem altera die prorsus aphona deprehendebatur, somnus plane deficiebat, dolorem continuum manibus indicabat, dextrum vero brachium minus movere poterat; ob metum ergo Hemiplexiæ sequentia præscribebat Dn. Archiater: Rec. Essent. Castor. Spirit. C. C. Spir. Sal.

ammon.

ammon. opt. ana drachm. I. M. D. S. Spiritus, mit einem Schwämmgen an die Nase zu halten. Rec. Aqu. epilept. Lang. unc. I. & dimid. Salviæ unc. I. Cerasor nigr. flor. Pœon. ana unc. dimid. specif. cephal. Mich. drachm. I. Sal volat. oleos. Sylv. scrup. 4. Syrup. flor. Pæon. q. s. M. D. S. Haupt-stärkende Schlag-Mixtur, öffters ein paar Löffel voll zu nehmen. Rec. Rad. Cyper. rotund. unc. dimid. Ireos Flor. drachm. 2. herb. Majoran. Salv. Serpill. flor. Calend. Spicæ ana Manip. dimid. M. coquantur in vino, Colat. addantur Spir. formicar. unc. dimid. Sal. volat. oleos. Sylv. drachm 2. M. D. S. Mund-Wasser, damit den Mund öffters auszuspühlen. Rec. Aqu. Anhalt. Cerasor. nigr. ana unc. I. & dimid. Sal. ammon. opt. unc. dimid. Succin. drachm. I. Essent. Castor. scrup. 2. M. D. S. Glieder-Mixtur äuserlich das Haupt und Arm damit zu bestreichen.

Die 15. Decembr. quadantenus redire videbatur loquela, dum ita ad minimum balbutiebat, ut intelligi posset, sed de perseverante enormi capitis dolore continuæ erant querelæ, somnus insuper cum adpetitu semper adhuc deficiebat. Interim tunc desiderabat, immo jubebat, ut mortuæ caput aperiretur, pro detegenda morbi causa, eo fine, ut, si forte, alia ex sororibus simili quodam corriperetur, tanto facilius a Medicis cognosci & curari posset, idque aliquoties repetendo, petendo & jubendo urgebat. En pium & sincerum pro suis amorem, qui se adhuc ultra mortem extendit.

Die 17. Decembr. urina difficilius & parcius prodibat, febris continuabat unaeum doloribus, etiam ad ejulatum ægrotam urgentibus, non sine magna circumstantium commiseratione; nulla adhuc quies, nullus somnus. Medicamenta ergo exhibebantur sequentia: Rec Aqu. Petroselin. Chamomill. Fœnicul. ana drachm. VI. Nitri antimoniat. drachm. dimid. Sal. stipit. fabar. grana XXIV. Specif. cephal.

Mich. ſcrup. 1. Succin. alb. gran. XXV. Syr. rad. 5. aperient. q. s. M. D. S. Alle 2. Stunden ein Löffel voll zu nehmen. Die 18. Dec. Rec. Aqu. flor. Tiliæ, Ceraſor. nigr. ana unc. 1. & dimid. Pulver. antiſpasmod. Hall. drachm. 1. ſpecif. ceph. Mich. ſcrup. 2. Matr. perlar. drachm. dimid. Antim. diaphoret. ſcrup. 1. Extract. Papav. rhœad. gran. VI. ſyr. flor. Pœon. drachm. 3. M. D. S. alle 3. Stunden ein paar Löffel voll zu nehmen. Rec. Olei Scorpion. drachm. 2. & dimid. Juniperi drachm. dimid. Lil. alb. Chamomill. ana coctor. drachm. 2. M. D. in fictili, & adplicetur calide, regioni veſicæ. Manebant autem etiam ſub horum remediorum uſu omnia in priſtino ſtatu, citra ullam mutationem, niſi quod dolores illi intenſiſſimi magis ad latus dextrum declinarent, viresque manifeſto deficerent, unde regioni carpi hæc adplicata fuere epithemata: Rec. Spec. pro Epithemate cordis unc. dimid. Aceti roſac. unc. 1. Aquæ Roſar, unc. 3. Cinnamom. unc. dimid. M. Temporibus vero linteamina quadruplicata, Emulſione hac calefacta frequentius humectata, imponebantur, Rec. Nucleor. perſicor. Sem. Melon. Papav. alb. ana drachm. 2. Aqu. Verben. Roſar. Veronic. ana unc. 2. M. F. l. a Emulſio, cui adde Nitri depur. drachm. 2. & dimid. Croci, Camphor. ana gr. VI. M. D. ad Vitr. Interne exhibebantur matutinis horis gutt. XL. Eſſent. alexiph. Stahl. & dein quolibet trihorio pulvis ex partibus anaticis Nitri depur. Tart. vitriol. Lapid. Cancr. citrat. & Antimon. diaph. paratus. Erant autem & hæc fruſtranea, ſiquidem continuantibus doloribus & febre, vires magis magisque imminuebantur, loquela denuo difficilior evadebat, ac tandem plenaria aphonia ſuperveniebat, conjunctis mitioribus motibus convulſivis, ut nec potulenta, nec medicamenta amplius adſumere valeret, hæcque ita durabant usque ad diem 27. Decemb. quo exoriente placide animam Deo reddidit. Paucis ergo ab obitu horis elapſis, Chirurgus vocatus caput aperiebat, remoto-

que

que cranio deprehendebamus in latere dextro capitis versus occiput, insignem copiam extravasati seri acris, salsi, limpissimi, ut cerebrum ei quasi innatare videretur, in altero autem latere omnia in naturali statu conspiciebantur. Sic ergo, me in sententia mea de causa atrocissimi hujus doloris non errasse, omnes quidem cognoscebant, simul vero mecum dolebant, eam esse artis medicæ imbecillitatem, ut funesto huic malo vel tollendo, vel etiam tantum leniendo, minime suffecerit.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. VALENTINI ERN. EVGEN. COHAUSEN.

Lues venerea per manus obstetricis propagata.

LItem hic non movebo, num Lues venerea antiquis Medicis jam tum cognita fuerit, nec ne, aut, num demum obsidioni Neapolitanæ suos debeat natales, ut exinde denominationem *mali Neapolitani* obtinuerit, siquidem etiam nomen æque, ac forte etiam inventionem Gallis complures concedunt, & hinc illud *Gallicum morbum* vocant. Hoc saltem adstruere jam placet, morbum hunc etiam absque contagio, ex sola interna causa produci posse: Si enim scortatores plures cum uno scorto frequentius & simul coëant, ut varii generis sperma intra luxuriosum uterum recipiat, atque e suis lacunis proprium simul adfundat genitalem liquorem, quid inde oriri potest aliud, quam fermentativa corruptio horum humorum, quæ primo partes genitales dein totam massam sanguineam inquinat, præcipue, si jam aliqua cacochymia & dispositio scorbutica præsto sit, cujus insignem efficaciam ad contagium illud propagandum in iis maxime observamus, qui in Hollandia, aut aliis locis, ubi scorbutus

eſt endemius, unico ſæpe coitu ſat raro pretio acquiſiverunt luem tota vita ſæpe indelebilem, dignum ſcortationis præmium, quo plures proh dolor! e juventute hodierna plectuntur, & familiæ non ignobiles ſæpius ob ſucceſſionis defectum dolent, filios ſuos in Gallia fuiſſe ad generationem prolis nimium aptos, poſt reditum vero in patriam enervatos & impotentes evaſiſſe, unde ſterilitatis culpam ſæpius innocentes ſuſcipere coguntur uxores. Hinc etiam non immerito quidam credunt, Gallorum induſtriam & fortitudinem a Germanis eſſe hæreditariam, ſiquidem teſte *TACITO de moribus Germanorum cap. 28. Treveri & Nervii circa adfectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* Cum vero Germani præ omni fere populo deſiderio peregrinandi laborantes, filios ſuos juvenes & robuſtos in Galliam transmiſerint, furtiva Venere hi fortes ibidem viros generarunt, poſtmodum vero elumbes & venere fracti, luemque hanc pro ſoſtro reportantes, ſæpius redierunt. Digni interim non tantum commiſeratione, ſed majori ope medica ii ſunt, qui absque propria culpa nefandum hunc morbum innocentes contrahunt, licet venereum illud virus per oſcula, compotationes cum infectis. infectæ cloacæ inſeſſum, propagari poſſe neget, & *illorum ratione inventum eſſe credat JUNGKENIUS*, (*) *quibus honorem manere volumus*, cui nimis ſeveræ opinioni tamdiu meum denegabo adſenſum, quam diu contrarium probari poſſe per experientiam invenero. Sic enim fatum tale in vicinia noſtra, & quidem in pago, non procul abhinc ſito, expertæ fuere plures honeſtæ puerperæ, & quidem hac occaſione: Cum anno 1737. Hungarorum levis armaturæ equites, quos *Huſarones* vocant, eodem in loco hibernarent, e proſtibulis ipſorum una, ulceribus gallicis circa genitalia nimium defœdata, fœtum ſuum enixa

(*) in Chymia experimentali Part. II, cap. 12. pag. 595.

enixa fuit, cui adstitit obstetrix ordinaria & jurata illius pagi, quæ postea aliis rusticorum uxoribus similem opem ferens, contaminavit omnes lue ista fœdissima, vix expugnabili, siquidem hæ contagium dein suis quoque maritis ex ignorantia communicarunt, cujusmodi exemplum etiam in *Actorum Academiæ nostræ Volum. III. obs. 4. pag. 14.* extat. Notent hinc Medici, notent sanitatis suæ & prolium studiosæ matres, ne per obstetrices vel infectas, vel ulceribus obsessas manus habentes ad ferendum in partu auxilium temere admittant, sicque innocenter contagium venereum sibi adsciscant, quod facilius adhuc in subjecto disposito & ad receptionem habili propagari posse in aprico est.

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. VALENTINI ERN. EUGEN. COHAUSEN.

Febris tertiana solo Rhabarbari usu curata.

FEbrium indoles tam antiquorum, quam modernorum Medicorum ingenia varie exercuit & defatigavit, inprimis autem earum vera & perfecta curatio plurimis semper stipata fuit difficultatibus, indeque innumeri fere excogitati fuere modi, etiam unicam tantum speciem illarum curandi, ut cui præ reliquis magis insistendum sit, & quænam specifica aliis præferri mereantur, haud ita facile dijudicare queant minus exercitati debitoque judicio nondum instructi Practici, licet de reliquo experientia sæpissime monstret, quod simplicia remedia, causarum indoli magis convenientia, plus omnino præstent, quam omnia alia summis laudibus deprædicata arcana, id quod etiam sequens confirmabit exemplum.

Triennium vix elapſum eſt, cum copioſæ hac in urbe & vicinia graſſarentur febres intermittentes, inprimis vero tertianæ, tam nothæ & anomalæ, quam veræ. Inter complures alios, tunc decumbentes, occurrebat vir quidam ſolertiſſimus, ſatrapæ dignitate ornatus, cui ob plurima, quibus diſtractus erat, negotia, febris iſta perquam moleſta evadebat, unde cito, tuto & jucunde curari optabat, meumque idcirco auxilium implorabat. Graviſſimum, quod eundem maxime adfligebat, ſymptoma, erat vomitus admodum vehemens ſaburræ bilioſæ, ſub initium paroxyſmorum ſemper occurrens, quem, finito horrore, æſtus fere intolerabilis excipiebat. Vomitum hunc compeſcere velle, idem fuiſſet, ac lupum ſtabulo includere, unde conſideratis, omnibus circumſtantiis tertia ante paroxyſum hora Rhabarbarum ad drachm. I, cum granis XV. Nitri antimoniat. exhibebam, quod alvum quater movit notabili cum euphoria. Finito paroxyſmo porrigebam iterum Rhabarbari drachm. dimid. hancque doſin ſingulis diebus, matutinis & veſpertinis horis repetere juſſi, ſic poſt quartum paroxyſmum non amplius rediit febris; adpetitus vero unacum viribus ſtatim reſtitutus fuit, paucorumque dierum ſpatio ita convaluit, ut absque ullius recidivæ metu priſtinam ſuam diætam readſumere, conſuetisque negotiis libere præeſſe valuerit. Obſervato ergo hoc effectu adeo felici & ſecuro, poſtmodum in aliis quoque ſubjectis methodum hanc adhibui, ſimili ſemper cum ſucceſſu, ſiquidem, quotquot tertianarios tractavi, illi omnes brevi tempore convaluere, absque ullo ſubſequente incommodo, ut hinc Rhabarbari virtutem antifebrilem reliquis ejus ordinariis accenſendam eſſe haud dubitem. Dolendum tamen eſt, radicem hanc ſæpius non ſolum nimium pretioſam, ſed & admodum vetuſtam & carioſam eſſe, plurimosque ægrotos illam ob nauſeoſum ſaporem plane averſari. Non minus etiam crediderim, circumſpecto & longo ejus uſu multos

alios

alios morbos feliciter, quamvis in delicatioribus subjectis non admodum jucunde, curari posse; de quo idcirco etiam conqueritur *STORCHIUS* in *Comment. in Colleg. pract. Stahl. Sect. I. memb. 4. pag. 589.* Exhibui autem ordinarie hanc radicem in forma pulveris ad grana XV. cum anatica portione salis polychresti ex Sulph. & Nitro parati, cujus dosin singulis ternis, vel quaternis horis, ægri sumebant, unde lenis subsequebatur diarrhœa, febresque citius utplurimum, quam consueta ordinaria methodo, cum ægrotantium euphoria profligavi.

OBSERVATIO LXXVII.
D. D. VALENTINI ERN. EUGEN. COHAUSEN.
Doloris, pro colico falso habiti, causa vera per anatomen detecta.

NIhil sane magis ægrotos anxios, trepidantes & auxiliorum cupidos reddere valet, quam sensationes tristes, seu acerbi dolores: Hi enim illos cogunt, ut Medicos non solum venerentur, sed & medicamina deglutiant absurdissima, fœdissima & spurcissima. Hos inter autem inprimis eminet ille, quem colicum vocamus, utpote qui multum subinde negotii in curatione, tum Medico, tum inprimis misero ejulanti opemque anxie imploranti ægroto, facessit. Attentam hinc considerationem requirit Colicæ veræ cognitio & curatio, dum ante omnia indagandum est, qualisnam ejusdem ægros affligat species, num biliosa, num pituitosa, flatulenta, aliave? nec non ulterius, an sympathica, vel idiopathica sit? crebrius enim Colica mentitur Nephritidem, vel etiam hypochondriacam aut hystericam passionem. Alia dein Colica est habitualis, raro quidem occurrens,

rens, nullamque perfectam, sed tantum palliativam curationem admittens. Tali laborabat tabellarius quidam Cosfeldiæ in Westphalia, qui in itinere ejusmodi doloribus adflictus, sub dio recubare & noctem insomnem sub iisdem transigere coactus fuit, cui quidem Elixirium uterinum Wed. & Essentia Castorei unacum Tinct. anodyna semper levamen quoddam attulit, nunquam vero ab ea liberare potuit. Leviorem Colicam, a refrigeratione pedum ortam, in subjectis sensibilioribus blanda diaphorerica optime mitigant; ea, quæ a saturninis inducitur, majori indiget cautione, quoniam per incongruam & præposteram medicationem in graviores facile mutatur adfectus, quemadmodum hoc celebri cuidam Organoedo accidit, qui eadem correptus & a Medicis Bruxellensibus Syrupis, Conservis variisque conditis tractatus, primo vehementem spasmum manus inde reportavit, quem universalis dein convulsio excepit, postmodum lunaticus, & dein maniacus evasit, tandem vero luctuosi hi adfectus alternative invasere, sicque aut fuit maniacus, aut epilepticus ad mortem usque.

Cum ante complures annos Berclæ in Westphalia adhuc degerem, in pago quodam Hollandico, *Winterschwvick* dicto, mihi tum temporis vicino, vir quidam, nescio qua ex causa, doloribus vehementissimis, sæpius recurrentibus, quos colicos esse putabat, adflictus erat. His cum variis modis per diversa Medicorum consilia mederi vellet; (quo enim non cogit dolor acerbissimus,) tandem a vetula quadam vicina, quæ omnem scientiam medicam abunde se possidere gloriabatur, id consilium obtinuit, ut silices minores albicantes, quales politi ad fluminum ripas copiose reperiuntur, deglutiret. Dolor summe exacerbatus & continuo auctus facile ad devorandos duros istos silices ægrotum coëgit, nec citra speratum effectum: consopitus enim fuit dolor, cujus causa forsitan acidum quoddam causticum in ventriculo hæ-

rens,

rens, & nunc in filices agens, fuit, vel etiam exinde gravis ista sensatio mitigata fuit, quoniam lapilli hi, in fundo ventriculi hærentes, hunc ita spasmodice contractum pondere suo dilatarunt, & sic cessante nervorum & membranarum contractione cessavit quoque dolor. Interim tamen non constans & durabilis fuit hujus remedii effectus, siquidem dein per periodos malum sæpius recurrebat, unde æger ejus usum semper reiteravit, & quidem nunquam fine solamine. Tandem vero de novo dolor ille recrudescebat, nullumque amplius a toties experto & laudato & avide iterum deglutito remedio admittens levamen; hinc

Mox aderant pariter Podalirius atque Melampus,
Phyllirides Chiron, Pæoniusque Senex,
Multaque præterea comitata Machaone turba,
Quique aliquot medica nomen ab arte gerunt. (*)

Scrutantur doloris sedem, scrutantur quoque ejus causam; hic in intestino colo, alter in ileo, alius in ventriculo eam latere, acriter contendebat. Non deerat proinde remediorum farrago; sedulo adplicabantur & externa & interna, verbo, nil negligebatur, quod dolori summo levamen adferre posse credebatur, ne quidem omissis iis, quæ absque ratione temeraria præbebat vetula; ast irrita erant omnia: Agrypnia enim continua cum dolore acerbissimo perseverabat sine intermissione, vires languescebant, & inter hos cruciatus æger tandem morbi succumbebat. Cum autem adstantes omnes dein optarent, ut in veram atrocissimi hujus, omnem medelam respuentis, doloris, causam inquireretur, hinc cultro anatomico subjiciebatur cadaver. Aperto abdomine, statim prope pylorum sacculus quidam oblongus

 adpare-

(*) *Herman. HUGO* in piis desideriis Lib. I. Ecl. 3.

adparebat, qui, cum accuratius investigaretur, ab ipso ventriculo originem suam ducere deprehendebatur, & intestino cœco non plane dissimilis erat. Facta ejus apertione, inveniuntur aliquot manipuli silicum antea deglutitorum, summaque cum spectatorum admiratione extrahuntur. Quoniam ergo ex anatomiis constat, ventriculum tum villioso-glandulosa, tum fibrosa & musculosa, & tandem externe membranacea gaudere tunica, hinc lapidum pondere internæ tunicæ procul dubio disruptæ fuerunt, exterior autem, utpote firmioris texturæ, tantum successive dilatationem quandam admisit, sicque sacculum istum formavit, dolorem excitavit, qui mortem tandem induxit. Coincidit fere cum hoc casu alius quidam, tragicum tamen eventum non sortitus, qui ex pago *Wettringen*, in Diœcesi Monasteriensi, mihi relatus fuit, ubi opilio febre tertiana laborabat, cujus paroxysmi in primo suo accessu semper stipati erant immensis cruciatibus colicis, ut miser homo ob vehementiam illorum in furorem fere ageretur. Die ergo quodam in agro oves suas pascens, febrili æque, ac torminoso illo obruitur paroxysmo, & ob ejus vehementiam hinc in terra se voluens, tandem nescius fere quid agat, omnique auxilio destitutus, aliquot manipulos arenæ devorat. Mitigatur hinc dolor, cessat febris, citra ullam subsequentem recidivam. Similiter quoque notus mihi est adhuc in vivis degens, Reverendus quidam Clericus, senex venerandus, qui Colica sæpius laborans, promtissimum semper ac certissimum obtinuit levamen a deglutitis aliquot prunorum majorum nucleis, qui præstantissimi ad instar anodyni, dolores omnes statim profligarunt.

Obs.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. VALENTINI ERN. EUGEN. COHAUSEN.

Antipyreton stercoreum.

COgnata ea generi humano esse videtur curiositas, is rerum exoticarum adpetitus, tam grande aliena cognoscendi desiderium, ut ea amet, adfectet, scrutetur & inquirat, quæ longius dissita & remota sunt, ea ut pretiosa judicet, quæ rara hinc cara, & quæ ex alienis terris multo labore, magno periculo, multis sumtibus, ad nos deferuntur: Hinc fere quidquid ex China, India orientali & occidentali, Persia & Turcia ad nos deferre solet mercatorum industria, quidquid ex speluncis ichthyotrophiisque subterraneis eruit auri sacra fames, id omnino primum sibi locum in pharmacopoliis vindicat, id aureis titulis, speciosaque inscriptione superbit, & tamquam remedium summum specificum dilaudatur & commendatur, immo passim, si novum fuerit, in usum trahitur, donec spem ridentem fallax deludat eventus, & novitatis pruritus paulatim evanescat. Quæ enim modo nova sunt, non nova semper erunt. Hac ergo ratione judico, quod lapides pretiosi, variæ terræ, variaque ex iis composita, locum inter medicamenta obtinuerint, quamvis, ut verum fatear, nondum satis mihi perspicuum sit, quomodo crassa illa, ponderosa, fixissima, vix igne & corrosivis resolvenda corpora, virtutem & efficaciam quandam exserere queant. His tamen non obstantibus, semper adhuc raris, pretiosis & exoticis complures inhiant, et tamquam vilia, visui magis, quam usui creata despiciunt & negligunt domestica, non considerantes, quod sæpissime etiam ex rebus abjectis commodum quoddam obtineri queat. Sic nostris hisce

ſce temporibus non ignota eſt ſingularis illa mulieris cujusdam Pariſienſis in pauperum emolumentum directa inventio, utpote quæ, poſt concepta varia conſilia, de inveniendo quodam fundo pro pauperibus, qui nemini foret moleſtus, & ex materia abjecta hactenus, ac extra omnem uſum poſita, proveniret, tandem ex ſigillis in cera Hiſpanica rubra & nigra, pro litterarum obſignatione, expreſſis, ſtudioſe collectis & repurgatis, certa quadam encheireſi Vernicem præparavit & vendidit, lucrum vero inde emergens prædicto iſti ſcopo impendit, jamque aliquot millia librarum Gallicarum, vulgo *Livres*, fœnori dediſſe & elocaſſe dicitur. Fuerunt equidem, qui integros bacillos dictæ illius ceræ eidem obtulerunt, quos tamen acceptare noluit, quoniam quæſtum tantum quærere intenderet ex materia nulli hactenus uſui deſtinata & ab omnibus neglecta, quapropter etiam a nobilibus noſtratibus ſigilla iſta colligi & ipſi transmitti ſæpius non ſine admiratione vidi. Sic quoque nimia quorundam curioſitas, aut plura remedia inveniendi conatus, eo usque ſe extendit, ut ad ipſa diſceſſerint ſterquilinia, variorumque animalium excrementa in uſum medicum trahant, cujusmodi exemplum recentiſſimum de antifebrili remedio ejusdem generis jam communicaturus ſum. Commorabatur apud me, cum Treviris adhuc habitarem, quidam Medicinæ Candidatus, opibus quidem & divitiis, non tamen eruditione deſtitutus, quem ob ſingularem diligentiam & egregium ingenium magni feci. Hic aliquando febre laborabat tertiana, cumque nullius rei nauſeam haberet, idcirco hac occaſione vires remedii cujusdam domeſtici ſibi commendati, experiri voluit. Sumſit nempe fimum bubulum recenter excretum, illumque in duabus aut tribus cereviſiæ menſuris probe decoxit, filtravit, & ante paroxysmum calide dimidiam menſuram adſumſit, idque aliquoties repetiit, deſuper probe ſudando, cum ad eo proſpero & fauſto ſucceſſu, ut

absque

absque ullius cujusdam remedii uſu, a febre liberatus fuerit, ac poſtmodum complures alios febricitantes ſimiliter in priſtinam reſtituerit ſanitatem. De innoxio ergo, immo potius ſalutari hujus empirici remedii effectu dubitare vix licet, dummodo fœtorem, nauſeoſumque ſaporem natura non adeo abhorreret, unde, quam diu gratiora ſuperſunt remedia, ſtercora merito ex praxi exulare debent. Interim forte plures adhuc vires medicamentoſæ in iſto fimo latitant, ut idcirco decocti ejusdem paulo diuturnior uſus etiam in quartana pertinaciſſima, ob ſingularem ſuam aperitivam & abſtergentem qualitatem, proficuus eſſe poſſit: Si enim urina vaccarum in Gallia pro curationibus vernalibus inprimis, immo & autumnalibus, inſervit, & a gente iſta cæteroquin ſumme delicatula in variis chronicis adfectibus frequentius adhibetur (*); ſua omnino etiam non deneganda erit virtus ſtercori, cujus tamen ulteriorem indagationem ægris minus nauſeoſis lubentiſſime concedimus.

(Confluentia Erfordiam miſſa d. 20. Jan. 1742.)

OBSERVATIO. LXXVIII.

D. D. CHRISTOH. CONRADI SICCELII, de Febre lenta in hecticam degenerante, ſimulque verminoſa, ex prægreſſa maligna orta, in ſubjecto, a parentibus lue venerea infectis nato.

OCtodecim annorum adoleſcens, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis gracilis, natus ex pa-

(*) Teſte Un. *LEMERY*, Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, Ann. 1707. p. 41. ſqq.

tre & matre lue venerea infectis, (siquidem pater ex familia similiter inquinata ortus erat, qui deinde præter culpam suam miasma illud transtulit in uxorem, genuitque liberos eadem labe contaminatos,) præterito anno, cum febris maligna heic loci epidemice grassaretur, mense Novembre conquerebatur de compluribus, huic febri alias solennibus, symptomatibus, capitis nempe dolore & temulentia, spasmis in dorso, æstu præternaturali, viriumque defectu, quæ omnia per tres hebdomades ita durarunt, absque tamen ulteriori augmento. Die VIII. Decembr. denuo horrore & subsequente æstu adfligitur. Pater, sicuti plerumque apud nostrates in more positum est, ipse Medicum agit, & dum febrem quandam intermittentem sub hoc schemate latitare autumat, ad eam facilius præoccupandam, dosin pilularum Norimbergensium, quarum compositio adhuc ignota est, exhibuit, eique dein Essentiam Absynthii aliquoties, & quidem largius procul dubio, subjunxit. Ast, loco speratæ sanitatis, morbus majora in dies capiebat incrementa, vires vero ulterius imminuebantur, ita quidem, ut nocte ante d. XI. Decembr. de vita ejus desperarent adstantes, ob insignes, de quibus conquerebatur, præcordiorum anxietates, tormina continua in abdomine & inde subsecutam diarrhœam; tussis, quæ præcedentibus diebus vehementissima fuit, nunc plane cessabat, sanguinis parum e naribus stillabat, ac simul per screatum prodibat, urina vero summe rubicunda erat. Singula hæc ita post mediam noctem mihi nunciabantur, ex quibus tamen genius & conditio febris nondum sufficienter innotescebat, inprimis cum & de ipsius ægri constitutione reliquisque circumstantiis nihil plane constaret. Anxio ergo parentum desiderio satisfacturus, potiunculam, ex aqua flor. Acac. & Sambuc. cum Syr. flor. Papav. rh. & Spir. miner. anod. paratam, & sequentes pulveres interim exhibui: Rec. Nitri depur. gran. VII. Tartar. vitriol. gran. IV. specif. ceph.

Mich.

Mich. Antimon. diaphor. pulv. pector. resolv. Wed. Matr. perl. ppt. ana gr. VIII. M. F. Pulv. divid. in 2. partes. æqu. quarum unam hora IV. matutina, alteram vero octava antemeridiana, de potiuncula autem quolibet bihorio cochlearia duo ægroto præbere jussi. Externe abdomini adplicabatur linimentum paregoricum & carminativum, ex oleo cocto Anethi, Chamomill. vulg. ana drachm. 1. destill. Anethi, Anisi ana gutt. 3. Camphor. gran. VI. Sequente die ad eundem accedens, valde debilem deprehendo, & admodum emaciatum; exscreabat quandoque sanguinem, sed parcius, diarrhœa non amplius continuabat, frequentes autem sentiebat stimulos ad urinæ excretionem, quæ tamen exigua in quantitate prodibat, & intensioris rubicundi coloris erat. Abdomen duriusculum & magis expansum adparebat, quapropter clysterem lenientem adplicare jussi, quod vero omittebatur, quoniam post meum discessum spontanea dejectio aquosa succedebat. Exhibui ergo circa meridiem & post tertiam horam pomeridianam gtt. XXXV. Tinct. Rhabarb. Rolfinc. cujus usum placidus excepit somnus, Circa vesperam adsumsit pulverem ex Nitr. depur. Antim. diaphor. Matr. Perlar. & C. C. s. igne ppt. compositum, indeque per noctem melius se habuit, & urinam facilius reddidit.

Sequente die recurrebant tormina abdominis, absque diarrhœa, hinc priori linimento jungebatur oleum destill. Absynth. simulque imponebantur sacculi paregorici & carminativi, ac injiciebatur clyster ex flor. Chamom. vulg. cum lacte coctis, & oleo Anethi & Chamom. paratus. Interim suspicio oriebatur haud inanis, de vermium, tormina ista abdominis forsitan excitantium, præsentia, quæ etiam facile confirmabatur, cum adsumtum lac tepidum, cum flor. Acac. decoctum, aliquoties vomitum provocaret, sub quo simul vermes quidam majores prodierunt. Hinc ad enecandos reliquos, in intestinis adhuc restitantes, præter decoctum

mercu-

mercuriale cum aquis destillatis paratum, & mixturam ex Eff. Tanaceti & Scordii, exhibebatur successive sequens pulvis singulis ternis horis: Rec. Aethiop. mineral. secundum Harrisii descriptionem simplici modo parati drachm. dimid. Nitri depur. Musci corallin. pulveris. Corn. Cerv. usti ppt. ana scrup. I. M F. pulv. divid. in IV. part. æqu. Proinde etjam æger ipse semen Cynæ desiderabat, cujus etiam exiguam dosin parentes proprio motu cum lacte, ipsi concedebant, ac insuper suppositoria tria, ex melle parata, adplicabant, hacque ratione non solum vermes aliquot vivos, sed & complures mortuos, tam integros, quam in putredinem jam abeuntes, unacum excrementis aquosis fœtidissimis, expellebant, indeque & somnus & adpetitus redibant, ita, ut æger ad diem usque XVII. Decembr. in mitiori statu subsisteret, hoc unico excepto, quod pomeridianis horis majori semper æstu, eoque sicco, adfligeretur, urina summe adhuc rubicunda copiosum sedimentum roseum dimitteret, contabescentia corporis in dies fere major evaderet, sicque febris, quæ non nisi lenta hactenus fuit, nunc in veram hecticam putredinosam degenerare videretur. Proinde etiam ab aliquot jam diebus copiosæ pustulæ, tam in facie & fronte, quam etiam in capillata parte capitis erumpebant, cum inæquali cutis intumescentia, quæ non obscure de concurrente simul fermento venereo, a parentibus (salivatione demum curatis,) congenito, & nunc magis excitato, præbebant indicia, cui vero partim ob febrem hecticam magis magisque invalescentem, partim ob subsequentem ægri nauseam & plenariam aversationem omnium medicamentorum, neque decocta Lignorum, neque alia convenientia opponere licuit præsidia, inprimis cum superveniens tandem diarrhœa mitior quidem, sed fœtidissimam semper materiam exturbans, de interna corruptione magis jam aucta, certissimum præberet indicium, mortemque haud adeo longe abesse præ-

nuncia-

nunciaret, quæ etiam tandem circa finem menſis iſtius & anni tragœdiam hanc finiebat.

SCHOLION.

Dum de ſubjecto hoc defuncto liquido conſtat, quod a labe venerea nequaquam immune illud fuerit, ſiquidem non ſolum parentes utrique ſatis diu torturam illam, ſeu Cephalalgiam nocturnam ſuſtinuerunt, atque inſuper Variola magna in facie & circa genitalia laborarunt, a quibus tandem ope ſalivationis liberati fuerunt; ſed & inſuper avus cum avia, immo & ipſa defuncti amitæ eodem malo laboraverint: hinc exemplum hoc confirmat adſertum Celeberr. Dn. D. *ADOLPHI* in *Actis* Academ. noſtræ, & quidem *Vol. I. obſ. 242.* propoſitum, quod Vermes ordinarie Luem veneream comitentur, quoniam ſanguinis circulus tardius ſuccedit, & tota ejus maſſa laudabilioribus balſamicis particulis deſtituitur, atque tandem in vappidam corruptionem degenerat, quæ dein verminoſam progeniem facile procreare ſolet. Non minus etiam ipſa tabida & hectica conſumtio a communicato miasmate venereo quoad maximam ſui partem inducta fuit, indeque confirmantur ea, quæ doctiſſimus *ASTRUC* in Tract. ſuo egregio de *Morbis venereis Lib. IV. cap. 1. §. IX. num. 4. p. 335.* adducit, quod nimirum in ipſis functionibus univerſalibus ferocia hujus mali intra breve temporis ſpatium ſæpe emineat, dum exinde marcor totius corporis, atrophia, marasmus, virium languor, proſtratio & imbecillitas, vultus decoloratio, pallor, livor, febres continuæ, lentæ, hecticæ, colliquativæ & marasmodes, ſequuntur & turpiſſimo huic morbo junguntur.

OBSERVATIO LXXIX.

D. D. CHRISTOPH. CONRADI SICCELII.

Aſthma ſiccum per hæmorrhagiam uteri mitigatum, in fœmina octogenaria.

FOemina ſanguineo-phlegmatica, honeſtæ conditionis, obeſa, vitam ſedentariam unice fere agens, animi autem commotionibus rarius expoſita, colore ſatis adhuc vivido & ſub-rubro, venis autem anguſtioribus prædita, diætam quidem accuratam, magis tamen nutrientem, obſervans, regularem menſium ceſſationem ante triginta jam annos experta, admodum diu hactenus aſthmate ſicco ſanguineo adflicta fuit, quod V. Sne, bis quolibet anno inſtituta, ſemper quadantenus mitigavit, donec ante quinquennium, vigente licet adhuc adpetitu, ob ſenium magis magisque ingraveſcens, ad illam omittendam perſuaderi ſe, permiſerit. Factum inde eſt, ut die XXV. Febr. anni proxime elapſi, inopinato ſanguinis profluvium copioſum ex utero pateretur, qui fluxus dein fere indeſinenter continuavit, etiam cum fruſtis coagulatis, absque ullis tamen vel in dorſo, vel in abdomine, obſervatis doloribus, cum maxima tamen ægrotæ moleſtia, ſiquidem raro ille per triduum ſubſtitit, ſtatimque dein rediit, ita, ut etiam bis de die induſia mutare coacta fuerit, & hoc ſub ſchemate, alternative nempe evaneſcendo & recurrendo, usque ad diem XVI. Junii duravit, quo ipſo ad eandem prima vice vocatus fui; interim ſub his circumſtantiis bene ſemper ſe habuit, adpetitum inprimis & ſomnum ordinarium retinuit, & color tantum faciei pallidior redditus fuit, cum virium aliquali, non tamen admodum ſenſibili decremento. E contrario autem hoc quoque commodi inde obtinuit, quod durante hoc fluxu aſthma illud chronicum,

nicum, perquam molestum, penitus mitigatum fuerit, & liberius omnino respirare potuerit: Notabile vero istud levamen unice ab hac hæmorrhagia dependere, exinde manifeste adparebat, quoniam toties recrudescebat asthma, quoties spontanea hæc excretio per aliquot dies subsistebat. Tandem molestiæ hujus pertæsa, atque ex ulteriori continuatione istius fluxus pejora metuens consectaria, die jam indicato consilium & auxilium a me petiit, insimulque mihi aperuit, quod per quadrimestre circiter hoc spatium integra certe amphora sanguinis successive ex utero excreta fuerit.

Ortum omnino traxit hæmorrhagia hæc partim ab omissa venæsectione, antea ordinate continuata, partim a vita sedentaria & victu lautiore. In curatione itaque potissimum respiciendum esse duxi ad sanguinis versus uterum congesti derivationem & revulsionem, fluxus ipsius moderationem & vasorum uterinorum, ac ipsius uteri debilitati roborationem, quæ singula etiam, cum nulla plane indicia de notabili aliquo vitio, aut obstructione viscerum præsto fuerint, methodo atque remediis sequentibus quodam modo obtinui. Ad primum scopum obtinendum necessaria equidem videbatur venæsectio revulsoria, in brachio instituenda. Quoniam vero ea, durante tali fluxu, dissuadetur a quamplurimis Practicis, atque ad tempus intermedium potius differtur, nisi summa urgeat necessitas, hinc illam quoque in hac ægra consulto omisi, ejusque in locum substitui maniluvium, ex aqua calida & vino paratum, in quod ab initio bis de die, deinde semel & tandem alternis vel ternis tantum diebus manus & brachia immisit, cavendo semper, ne nimis calidum illud sit, & sanguis hinc magis exagitetur. Huic jungebam sequentes species pro fotu uterino roborante ac tonico: Rec. Radic. Caryophyllat. drachm. VI. Ulmar. unc. dimid. Herb. Serpill. Origan. Polygon. Meliss. Agrimon. Polii mont. Flor. rosar. rubr. ana

Manip. dimid. Balaustior. Cort. Cascarill. ana unc. dimid. Concisa & contusa grosso modo includantur duobus sacculis, qui dein vino rubro, vel in ejus defectu, albo, fervido immittantur, factaque expressione, regioni uteri calide adplicentur. Interne vero sequentia exhibebantur: Rec. Nitri depur. drachm. 1. Corall. rubr. ppt. scrup. 2. Cinnab. factit. rite ppt. scrup. I. M. F. Pulvis, divid. in VI. p. aequ. quarum unam hora X. antemeridiana, alteram circa nonam vespertinam adsumsit. Item, Rec. Tinctur. Papav. rh. drachm. 2. Tinct. Corall. cum succo Citri parat. drachm. I. Spirit. mineral. anod. gutt. XL. M. D. ad vitr. & exhibeantur guttae XXXVI. matutinis & pomeridianis horis. Proinde etiam usum tenuioris potulenti aegrotae commendabam, quoniam cerevisiam illam Goslariensem, *Gose* dictam, pro ordinario potu jam dudum elegerat; sed hoc obtinere non potui, ideoque ad minimum injunxi, ut eadem haec statim post coctionem, cum aqua moderate diluta, dein fermentationi exponatur, & ita in usum trahatur. De reliquo vires ejusdem sufficientes equidem adhuc erant, ut erectae fere semper mensae adsidere potuerit; nihilo tamen minus auctor fui, ut interdum decumbendo corpus recreare studeret, inprimis sub usu fomentationis.

Hac ergo ratione intra quatriduum, circa diem nempe XXI. Junii ita mitigatus fuit hic fluxus, ut vix quidquam de eo sentiret aegra, caeteroquin quoad omnia bene se habens, unde quotidie unicam tantum dosin praedictorum pulverum vespertinis horis, adsumsit, interponendo simul bis de die usum Elixirii cujusdam visceralis & tonici, ac matutinis horis infusum theeforme capiendo, quod ex sequentibus speciebus constabat: Rec. summitat. Millefol. Herb. Urticae minor ana Manip. I. Meliss. Salviae, Beton. Flor. Hyperic. Chamomill. vulg. ana Manip. dimid. Sem. Foenicul. drachm. I. & dimid. Conc. Cont. grosso modo D. ad chart.

Die

Die XXV. Junii fluxum plenarie subsistere indicavit, continuante simul euphoria, unde ad primas vias ab impuritatibus seroso - mucosis liberandas, lenissimum laxans præscripsi: Rec. Rhabarb. veri elect. & pulveris. drachm. I. Nitri depur. Cremor. Tartar. ana scrup. I. Olei de Cedro gutt 2. M. F. Pulv. divid. in iij. p. æqu. Hujus pulveris primam dosin pomeridie, alteram circa noctem, & tertiam hora octava matutina sequentis diei adsumebat, indeque sexies alvum deponebat, optimo cum effectu. Serio dein commendavi, ut quamprimum sanguinis fluxus per octo ad minimum dies subsisteret, statim venæsectio revulsoria in brachio sinistro ad aliquot tantum uncias institueretur; sed noluit hactenus ægra illam admittere, senium suum, itemque singularem conceptum metum, omnibus meis rationibus opponens, quare abinde desistere coactus fui. Gestavit vero interim ex meo consilio quandoque Polygonum recens sub axillis. Tandem sub initium mensis Julii denuo quidem, sed admodum moderate, prodeuntem sensit hunc fluxum, quem tamen cohibere noluit, ob eximium, quod inde sentiebat, levamen intuitu respirationis, atque simul reliqua hactenus adservata medicamenta successive absumsit. Commendavi ergo diætam moderatam, non nimium nutrientem, sub cujus observatione jam adhuc bene vivit, parcius subinde recurrente hoc fluxu.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. CHRISTOPH CONRADI SIECELII.

Notabilia quædam circa mensium fluxum & fœcunditatem fœminarum annosiorum.

VAriæ quidem, non tamen admodum frequentes hinc inde occurunt observationes, de hæmorrhagiis uteri nimium excedentibus; ast multo adhuc rariora sunt

exempla de mensium fluxu in seram usque senectutem regulariter prodeunte, nec non de ejusmodi fœminarum annosiorum fœcunditate continuante, ut idcirco ea, quæ in propria Praxi mihi circa utrumque hoc negotium plane extraordinaria visa fuerunt, hac occasione communicare voluerim: Degit apud nos mulier peregrina, vilioris conditionis, laboribus durioribus & gestationibus onerum in itineribus, ad acquirendum necessarium victum cum marito institutis, adsueta, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus corporis mediocris, plus tamen nunc macilenti, venis amplioribus prædita, plethorica, ex parentibus talibus prognata, qui partim ipsi, partim majores eorum vel grandævi evaserunt, vel etiam seram nimis fœcunditatem monstrarunt. Avia enim ejusdem centesimum & secundum vivendo exsuperavit annum, mensiumque fluxum satis regularem experta fuit ad nonagesimum annum. Matertera ipsius ad annum usque sexagesimum menstruam istam excretionem retinuit, immo etiam dicto illo anno ultima vice gravida reddita, filium adhuc in lucem edidit. Maritum habuit tunc temporis tertium, & in triplici matrimonio quindecim liberorum mater facta fuit. Similiter quoque filia sororis avi quinquagesimo sexto ætatis anno ultimum suum exclusit foetum.

Mater quidem hujus fœminæ, ob vitam dissolutam, dum potui nimio, præsertim vini adusti dedita fuit, atque hac ex causa infelici vixit matrimonio, inprimis quoniam propria æque, ac mariti bona dilapidavit, accedentibus tunc sine dubio gravioribus animi pathematibus, ad illam non pervenit senectutem, sed elapso vix quinquagesimo octavo anno mortua fuit. Hoc tamen non obstante quindecim liberos genuit, & menstruata mansit ad finem usque vitæ, ulterius forsitan prolongatæ, nisi mala diæta eam abbreviasset. Ipsa vero hæc nostra fœmina in juniori ætate ab

equo

equo calcitrante gravissime in abdomine fuit vulnerata, ut etiam eandem vix evasuram esse crediderint Medici & Chirurgi. Menses demum inito conjugio, post conjugalem congressum, prima vice prodierunt, anno ætatis XXXI. vel XXXII. unde excretionem hanc sexui suo ita familiarem esse ignorans, putavit, maritum se vulnerasse. Successive dein in lucem edidit XX. liberos, de quibus tamen unica tantum adhuc superstes est filia. Bis in itinere constituta fœtum excludere coacta fuit sub nudo cœlo, inprimis autem semel hiberno tempore stans in nive usque ad suras, adsistente tunc marito, qui fœtum suscepit, a funiculo umbilicali liberavit, & usque ad locum proximum deportavit, quem puerpera, lentis quidem gressibus, constanter tamen, secuta est, licet sub adscensu loci cujusdam montosi lochialis sanguis constanter profluxerit. Interim tamen hæc omnia nullum plane sanitati attulerunt detrimentum, eratque tunc annorum XLVIII. Non minus etiam notari meretur, quod, durante graviditate, menses semper continuaverint, parcius tamen, usque ad ultimum fere terminum gestationis fœtus. Cum vero anno quinquagesimo secundo iterum gravida esset reddita, menses per XIII. hebdomades substiterunt, eorumque in locum quotidie per integros fere sex menses narium hæmorrhagia successit, qua tandem cessante male sese habuit, & de continuo languore & gravitate artuum conquesta fuit. Ultimum demum fœtum enixa fuit anno quinquagesimo quarto ætatis, qui vero brevi post partum iterum obiit. Cum ad sexagesimum accederet annum, menses adhuc ordinate continuarunt, immo ad excessum inclinarunt, siquidem semper intra spatium quatuordecim dierum redierunt, & per decem ad minimum dies durarunt, absque ullo tamen incommodo. Cæterum siccioris semper fuit alvi, & vix unquam citius, quam quarto die, naturalem habuit excretionem. Anno tandem sexagesimo tertio iterum

credi-

credidit se esse gravidam, ast falsa hæc fuit graviditas, siquidem dein magnam carneam oblongam molam, postquam menses, more solito, præcesserant, exclusit, subsequente dein hæmorrhagia uteri satis larga, quæ tertio demum mense substitit, & cui dein regularis & ordinatus menstruus fluxus successit, qui hoc ipso adhuc tempore, quo sexagesimum quartum ætatis annum agit, absque interruptione continuat, raro omnino exemplo.

(Nordhusa Erfordiam missa d. 10. August. 1742.)

OBSERVATIO LXXXI.
Dn. D. LAURENTII HEISTERI, de Piperodendro, arbore rarissima.

IN horto medico Helmstadiensi arbuscula alitur exotica, quæ viri altitudinem nunc superat, *cujus foliorum odor & sapor cum Pipere vulgari perfecte conveniunt*; sed figura aliisque rebus a Piperibus reliquis quam maxime differt. Folia enim hujus non sunt simplicia, ut in cæteris piperaceis plantis, neque ovata, aut subrotunda, ut in illis, verum pennata, sive pinnata, ac leviter serrata, uno in extremo plerumque longiori, eadem fere ratione, uti in arbore, quæ *Molle* Americanis, teste *MONARDO*, (*a*) adpellatur, quod nomen & *CLUSIUS* (*b*) *RAIUS, TOURNEFORTIUS, BOERHAAVIUS*, aliique egregii Botanici retinent; *LINNAEO* autem, Botanico recenti, nomen hoc, ubique adeo receptum mutare placuit.

(*a*) Libr. simplicium Medicament. ex novo orbe delator. ubi etiam icon ejus pag. 360. exhibetur.

(*b*) Qui quoque inconem ejus Lib. Exotic. pag. 322. ex *MONARDO* sistit.

cuit, nescio an satis apte & utiliter, eique in *Horto Cliffortiano* pag. 483. *Schinus* folio serrato impari longissimo, dicitur, sed *SEBÆ* in *Thesauro suo rerum naturalium, Lentiscus Africana* Tom. I. pag. 4. 5. & 7. Fig. 5. Verum quod notandum, nostræ arbusculæ folia, quamvis sint pinnata, foliola tamen lateralia non semper sunt conjugata, sive e diametro sibi invicem opposita, sicuti ex *Tab. VI.* qua Piperodendron non florens exhibetur, luculenter adparet. Verum in foliis quibusdam illa accurate sunt opposita, sive conjugata; in aliis vero alterna, atque simul extremum claudit foliolum impar, ceteris quoque, ut in *Molle* arbore plerumque, sed non semper longius, omniaque hæc foliola leviter insuper sunt serrata & grate virentia, quæ digitis trita, odorem piperis quam exactissime referunt, quo ab arbore *Molle*, cujus folia, *MONARDO* aliisque testibus, *fœniculi odorem* habent, maxime differt, & si manducantur, *Piperis* etiam *saporem*, quem quoque, licet siccata sint, non deponunt, ad instar foliorum Piperis vulgaris, retinent. Truncus arboris hujus nostræ crassitiem duorum, & quod excedit, jam habet pollicum, & cortice tali fere cinctus est, qualis in arboribus mali punici conspicitur, radices vero habet fibrosas. Hæc arbor ante triennium, una cum multis aliis plantis rarioribus, in hortum medicum Helmstadiensem ex liberali donatione, ab Illustri atque Juris consultiss. viro, Domino *de SPREKELSEN* facta, translatus fuit, sub nomine, *Arbor foliis Molle Clusii, odore piperis*; flores vero ad ann. usque 1740. non tulit, adeoque nec fructus, licet alias non valde tenera videatur, sed a medio fere Maji cum aurantiis ad finem usque Septembris in aëre libero extra hypocausta vitrea lacte vigeat & crescat, neque hieme magnum calorem desiderat. Piperatam hanc arborem paulo prolixius hic describere volui, quia eam a recentioribus Botanicis non descriptam,

 immo

immo ne mentionem quidem ejus factam esse deprehendi, eique nomen *Piperodendron* imponere consultum duxi, donec forte flos & fructus aliud ejus genus jam notum manifestabunt.

Explicatio figurarum Tab. VI.

A. indicat caulem alicujus ramuli, foliis hinc inde ornati.

B B. monstrat foliola pinnata, quæ unum folium majus constituunt, naturali in magnitudine & figura: ubi tamen in foliis B.B. foliola accurate sibi invicem opposita; in ramulo vero

C.C. e diametro opposita non sunt. In cujus vis ramuli apicem foliolum impar, quod apicem terminat, conspicitur, BB.D. quod in quibusdam folia reliqua vicina longitudine non multum exsuperat; verum in quibusdam, sicuti in arbore *Molle MONARDI* & *CLUSII*, duplo aut triplo reliquis majus est, sicuti figura litt. E.F. ostendit.

SCHOLION.

Ratione nominis *Schini*, quod *LINNAEUS* illi arbusculæ, quæ *MONARDO*, *CLUSIO*, *RAIO*, *TOURNEFORTIO*, *BOERHAAVIO*, aliisque recentioribus Botanicis, *Molle*, unanimi consensu dicta est, (dum hi nomina usu jam recepta præter necessitatem mutare noluerunt,) imponere vult, monemus, quod σχῖνος, sive *Schinus* Græcis idem sit, quod *Lentiscus* Latinis, adeoque incongruum videtur, ac si quis vocabulis ἄνθρωπος & *homo*, &c. pro denotandis duobus distinctis generibus in regno animali uti velit, cum revera

vera unum idemque iisdem indicetur. Similia vero nova plantarum genera quamplurima fecit & introducere conatur, quorum nomina haud aliter differunt, quam quod alterum vocabulum sit græcum, alterum latinum, unam vero eandemque rem, sive plantam, denotantia. Ut enim exemplo adhuc uno alterove hoc argumentum illustremus, arbusculam, quæ *Azederach* recentioribus Botanicis vocatur, *Meliam* adpellandam esse vult; cum tamen, ut doctiss. *BREYNIUS* in *Prodr. Plant.* Edit. II. & *LUDWIGIUS* in *Definit. plantar.* jam recte monuerunt, *Melia* Græcis idem sit, quod Latinis *Fraxinus*. Hinc *Meliæ* nomen minus recte alii cuidam plantæ, quam *fraxino*, imponitur, eodem modo ut vocabulum ἄνθρωπος nullum aliud animal, quam *hominem*, designare potest. Idem notandum quoque est circa *Apium* & *Selinum*, *Cicutam* & *Conium*, *Rutam* & *Peganum*, aliaque quam plurima ejusmodi nomina, a *LINNÆO* introducta, quorum vocabulorum alterum latinum, alterum græcum, unam eandemque plantam, sicut ἄνθρωπος & homo idem animal significant, adeo nulla ratione pro distinctis generibus haberi possunt. Eundem ob errorem jam dudum *RAIUS TOURNEFORTIUM* castigavit, quia vocabulum græcum *Xiphium*, quod *Gladiolum* denotat, alii plantæ generi, quam *Gladiolo*, imposuerat. Ex his ergo patere potest, *hujusmodi nomina* idem significantia, tamquam distincta genera *in rem herbariam non nisi male & inepte introduci*; ut Synonyma vero ejusdem plantæ admitti posse.

OBSERVATIO LXXXII.
D. D. LAURENTII HEISTERI.
de
Piperodendri arbore florente.

IN præcedenti observatione tantum raræ hujus arboris sine floribus descriptionem dedi. Quoniam vero superiori anno flores quoque protulit, hinc eosdem in gratiam Botanophilorum nunc describam, quem in finem etiam illos cum ramulo foliis obsito, cui insidebant, delineari & æri incidi curavi.

Mense nimirum Julio anni 1741. in hac arbore, libero in aëre collocata, in summo cujusdam ramuli *flosculos*, eosque in forma racemi prodituros esse, observabam, qui *racemus* cum futuris flosculis sensim, at tarde, increscebat, donec tandem mense Augusto ad eam, quæ *Tab. VII. Fig. 1.* exhibetur, magnitudinem pervenerat, ubi noduli exigui, *a. a. a. a.* fere, ut in racemo vitis, mox post florem decidentem, sexaginta circiter, adparebant, coloris herbacei, ex viridi albescentis, quorum unus vel alter die 17. Augusti, in summo leviter in quinque segmenta dehiscebant, *b. b. b. b.* apicibus adhuc conniventibus & introrsum inflexis, atque in interstitiis segmentorum color ex flavo croceus, quasi segmentorum internus color esset, armato oculo videri, verum quid sit, nondum cognosci, neque calix floris tunc adhuc perspicue discerni poterat; sed tantum color flosculi juxta petiolum magis virescebat, quam reliqua pars, atque sic flos quasi nudus, hoc est, sine calice, adparebat.

Die XX. Augusti calix ope microscopii paulo magis distincte conspiciebatur, isque quinquifidus, sed cum flore tam arcte concretus, ut unum quasi corpus cum eo constituere vide-

videretur, flosculorum quorundam segmentis paulo magis hiantibus, ut ad lit. C. nondum tamen prorsus apertis, inter quæ color croceus adhuc magis sese manifestabat, & in medio fundo *sphærula* quædam nigricans, minutissima, sic tamen, ut, quid sit, ob exiguitatem distincte nondum perspiceretur.

Ab hoc die ad 26. & 27. *flosculus* quidam die aliquo sereno, *plenarie se aperiebat*, in modum floris rosacei, minutissimi, sicuti in planta ipsa, lit. d. attamen perspicuitatis gratia in magnitudine paulo auctiori, quam revera erat, indicatur, & segmenta ejus ad unguem divisa, deprehendebantur, ita, ut *pentapetalus* videretur; sed utrum monopetalus ad unguem quinquifidus, an pentapetalus sit, ob parvitatem conspici certe non potuit.

Stamina quando curiosissime, intensissima oculorum acie, examinabantur, ea quidem una cum antheris coloris crocei erant, sed ob exilitatem difficillime cognoscebantur; verum quot illorum fuerint, non exacte sine microscopii auxilio patebat. Hoc ergo demonstrabat *decem distincta* ejusmodi stamina, & quidem ut in figura 2. quæ anticam floris partem monstrat, *quinque filamenta* eorum juxta pistillum, sive germen, in *segmentorum interstitiis* prodeuntia, eaque longiora, reliqua quinque filamenta ex *medio ungue segmentorum*, proveniebant, cæteris dimidio breviora, & germini *stigma*, quod sphærula illa nigricans erat, insidebat. *Antheræ* autem in singulis erant sphæricæ, coloris ex croceo flavescentis, erantque illud, quod flore nondum satis aperto, sub hoc colore se absconderat. *Calix*, sive perianthium, tum etiam microscopii ope distinctius, *quando flosculi a tergo inspiciebantur*, se ostendebat, qui ad dimidiam partem quinquepartitus erat, sicut in figura 3. (ubi duæ corollæ, sive flosculi aperti, sistuntur:) per microscopium ita auctus sistitur, cujus segmentorum apices interstitiis segmentorum corollæ respondebant.

Fructus vero non ſunt ſecuti, ſed floſculi ſenſim ſenſimque & fere ad finem usque Septembris floruerunt, atque pedetentim tandem integri, non per petala, aut fruſta, deciderunt; unde monopetâlos ipſos fuiſſe veriſimile eſt. Idem hoc etiam contigit præſente anno 1742. ubi denuo flores prodibant, ſed ob tempeſtatem præmaturam frigidiusculam itidem omnes citius adhuc deciderunt. Forte alio tempore & fructus dabit, quos tunc etiam, Deo volente deſcribam, præſertim, quia arbor hæc adeo rara eſt, ut nusquam alibi in Europa, quantum hucusque comperire licuit, quam Helmſtadii, inveniatur.

OBSERVATIO LXXXIII.

D. D. LAURENTII HEISTERI.

De Corticis Peruviani fruſtraneo uſu in ſphacelo.

IN Actorum Academiæ noſtræ Volumine quinto Obſerv. 156. egregios effectus & utilitatem Corticis Peruviani, quos jam in Inſtitut. meis Chirurg. in Gangræna & Sphacelo commendaveram, fuſius deſcripſi & laudavi; verum cum remediorum quam plurimorum vires non ſemper ſint perpetuæ & in omnibus eædem, ita in principio hujus anni illum effectum, quem Cortex Peruvianus in Sphacelo alias ſæpe præſtitit, producere noluit. Caſus erat ſequens: Vir honeſtæ conditionis in vicina urbe *Goslaria* degens, annumque ſexageſimum agens, boni corporis habitus, & cæterum ſanus, niſi quod pluribus abhinc annis ex tibiæ alliſione utrinque eſchara quædam, ſed indolens & ſine omni incommodo in illa tibia remanſerit, & ante aliquot annos levem quandam paralyſin in pede eodem ſenſerit, quæ vero adhibitis remediis rurſus ſublata fuit. Menſe autem Decembri ſupe-

superioris anni 1741. illæ escharæ dolere & ichorem postea aliquem fundere cœperunt. Aeger Chirurgum propterea accersere curavit, ejusque consilium contra hæc mala sibi expetiit. Hic emplastrum ponit, atque post unum alterumve diem escharæ illæ decidunt, locaque ab eschara liberata rubent & aliquid ichoris plorant. Chirurgus continuat deligationem cum emplastro quodam, quod idoneum esse existimavit, ea sperans fore, ut leves hæ exulcerationes factæ sic ad exsiccationem disponantur. Verum cum post aliquot dies emplastrum mane detraheret, loca ulcerata nigra adparent, unde maxime perterritus, ægro statim periculum indicat & suadet, ut Medici in consilium advocentur; id quod etiam observatur. Medici optima quæque tam externe, quam interne, quæ alias hic laudantur, præscribunt; sed malum in dies augetur, & nigricans ille color intra aliquot dierum spatium longe lateque per utrumque tibiæ latus serpit, atque cutis nigra sine omni sensu, adeoque sphacelo jamjam corrupta deprehenditur, qui se a malleolis utrinque fere ad supremam usque tibiæ partem extendebat.

Hoc in statu & ego in consilium vocor, cumque intellexerim, Medicos & Chirurgos optima quæque jam adhibuisse, unico Cortice Peruviano excepto, statim idcirco usum ejus frequentem suadeo. Cutis emortua, in qua jam antea scarificationes institutæ erant, ulterius scarificatur, unguento digestivo escharæ sphacelosæ tractantur, & earum separatio tentatur, nec non fomentationes efficacissimæ contra Sphacelum adplicantur. Horum usu etiam Sphaceli progressus quadantenus sisti videtur, immo revera sub initium hujus anni 1742. per octiduum circiter omnino sistitur, crustæ sphacelatæ cutis corruptæ a subjectis partibus quoad maximam partem sensim recedunt, vulneris fundus fit rubicundus, & æger satis bene se habet, ita, ut spes salutis satis magna adfulgeret. Continuatur interea diligenter usus *Corti-*

cis

cis Peruviani ut antea, ita ut libram unam intra XV. circiter dies conſumſerit, inſimulque interim conveniens obſervatur diæta & medicamentis externis efficaciſſimis pergitur. His tamen non obſtantibus pes extremus frigidiſſimus ſemper erat, ac tandem lividus adparebat, licet bene ſemper fotus tectusque eſſet, atque tandem ſphacelus non ſolum ulterius & ſurſum & deorſum pergebat, verum etiam tendines ipſosque muſculos adgrediebatur, unde ſub peſſimis his circumſtantiis vires ſenſim ita decreſcebant, ut circa finem menſis Januarii, licet optima quæque adhibita fuerint, diem obiret ſupremum, qui nulla ratione hic impediri potuit. Patet ergo exinde, quod *neque Cortex Peruvianus, neque alia remedia ſemper Sphacelum ſuperare poſſint.*

Similiter etiam hoc ipſo anno 1742. contingebat, ut vir ille illuſtriſſimus, qui anno 1739. uſu corticis Peruviani a Sphacelo pedis liberatus erat, & ab illo tempore, per tres ſcilicet annos, pancratice vixerat & florido ſemper faciei colore præditus fuerat, ineunte vere iterum ſphacelo, qui in pollice alterius pedis inceperat, corriperetur, a quo ad reliquos hujus pedis digitos ſenſim tranſiit; aſt, quamquam illuſtriſſimus hic rurſus copioſiſſime hunc corticem devoraſſet, hic tamen ſiſti minime potuit, ægerque inde, poſtquam in quartum usque menſem hoc cortice potiſſimum a celeri progreſſu præſervatus & in vivis conſervatus fuerat, tamen, accedente pertinaciſſimo cibi faſtidio, digitisque omnibus amiſſis, ex languore tandem periit: ubi vero notatu adhuc dignum eſt, quod pes ille, qui ante triennium ſphacelo correptus erat, jam haud quidquam vitii monſtraverit, cum tamen probabile ſit, malum hoc ex corrupta totius ſanguinis maſſa ortum duxiſſe, adeoque facilius ad pedem jam antea hoc modo correptum, quam ad hactenus ſanum, rurſus deſcendiſſe, id quod tamen non ita evenit.

(Helmſtadio Erfordiam miſſa d. 8. Septembr. 1742.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. JOAN. GODOFREDI BUCHNERI
De
Lapidibus figuratis in Voigtlandia occurrentibus.

Lapidum figuratorum varia dantur genera, quorum plurima recenset Dn. LESSER in *Lithotheol.* §. 304. Ex his autem permulti mihi obvenerunt in Voigtlandia, attentione quadam, ut credo, non indigni. (*) Sic enim inprimis huc referre licet. 1.) Lapidem ex Elistro fluvio, *linguæ humanæ* figuram ita accurate referentem, ut vix ovum ovo reperiri queat similius; item etiam alios 2.) *aurem humanam*, 3.) *formam calcei*, 4.) *ocreae*, 5.) *pedis humani*, 6.) *cordis*, 7.) *hepatis*, 8.) ac *faciei caninæ* ad vivum expressam monstrantes. Adnumerandi his etiam sunt 9.) *silices sphærici*, 10.) *ovales*, & 11.) *quadrati*, a circumrotatione & allisione erga alia corpora forsan in hanc formam redacti, ut ita fere crederes, Naturam imitari artem, sicut e contrario alias ordinarie ars imitatur Naturam. Porro 12.) *amygdala* ex lapidicina Planitiensi, ad visum quidem petrefacta, sed ex medulla saxorum præcipue concreta, de quibus *MYLIUS in memorabil. saxon. subterran. P.* 1. *p.* 36. plura tradit, inprimis vero curiosissime notat, quod, quo magis terræ attigerint superficiem, eo maiora quoque evadant, postquam vero ad ordinariam excreverint magnitudinem, tunc iterum quo-

* Ex superioribus, in *Volum. V. horum Actor. Observ.* 27. adductis, ordinis ergo quædam hic repetere oportuit, quo nimirum lapides figurati nostrates in una adparerent serie.

que vegetabilium amygdalarum inſtar conſumantur. Conf. etiam Dn. *BRUCKMANN in Theſaur. Brunſvig. ſubterran. p.* 32. Dantur proinde *Carpolithi*, ſeu aliorum fructuum characteres repræſentantes lapides, veluti 13.) *Piſolithi*, Erbſen- und Wicken-Steine hinc dicti, nec non 14.) *fungi*, 15.) *citra*, 16.) *pruna ſilveſtria*, 17.) *caſtaneæ*, ac 18.) *fabæ* lapideæ, quorſum pariter referendi ſunt 19.) lapides ex variis, uti videtur, ſeminibus concreti, aut, ſi mavis, qui pilulis medicinalibus quoad magnitudinem & colorem non abſimiles offerunt particulas, ex matrice facile deſumendas, & idcirco Pillen-Steine vocantur, quos Lapidicina Planitienſis pariter porrigit. Ad horum vero generationem mihi ſimiliter ſingularis quædam terra ibidem ſuccique lapidifici qualitas ac diſpoſitio, ceu id exempla, in caſibus ſimilibus aliunde petita, confirmare quoque videntur. His addi porro meretur. 20.) *Hammonites* Gerana, ſive ſaxi iſtud genus, ex variis granulis rotundis compoſitum, hincque communiter ob aliquam ſimilitudinem der Roggen-Stein dictum, cujusque hiſtoriam naturalem optime ſuppeditavit Dn. *BRUCKMANN. l. c. p.* 127.

Sic etiam variis in locis notabilis ſæpe obſervata eſt *petrefactio*, vel potius *incruſtatio*, ubi nimirum aqua, terram tranſiens tophaceam, ad inſtar ſalis mitiſſimi particulas ſaxeo-margaceas in momento diſſolvit, cuius terræ particulæ minimæ, ab hac aqua poſtea per præcipitationem ſpontaneam ſeparatæ, vegetabilia tandem ambiunt, & tophacea ſua materia quaſi cooperiunt. Hucque maxime pertinent. 21.) *Muſcus*, aliaque ligna minoris longitudinis, figuram propterea 22.) cauliculorum ſaccharo

obdu-

obductorum referentia, ad quam fere rationem integra quoque 23.) *placenta* videtur esse composita. Tandem reperiuntur ultimo loco 24.) *Lapides casei-* ac 25.) *ovi-formes*, ut & alii 26.) coloris carnei, admixtis ubique spatiolis albis, quare vulgo Blatter-Steine audiunt. Sic ergo cum prædictis lapidibus facili negotio mensam cibis ac fructibus variisque bellariis iocose instruere, & membra hominis præcipua simul anatomice quasi demonstrare possemus.

Non desunt nobis etiam 27.) *Zoolitho-Dendroides* sive lapides, qui animalium terrestrium, aëreorum & aquaticorum simulacra, itemque arbuscularum & fruticetorum nitide omnino, in summam adspicientium admirationem & oculorum oblectamentum, monstrant, de quorum generatione quidam statuunt, nonnullos ab aquis formari vitriolicis, per fissuras lapidum successive penetrantibus, vid. *PAULINI* in der Zeitkürzenden erbaulichen Lust *p.* I. *n.* 112. ut ita exinde clare satis pateat, providam Naturam nunquam non maxime esse laboriosam, cumque lapidibus vitam quidem concedere non libuerit, signis tamen atque symbolis ut eos exornet atque condecoret, absque tamen manibus nihil plane omittere. Pariter quoque his accensendi sunt 28.) *Aetites* varii generis. Ex omnibus autem lapidibus a Natura, ut vulgo loquimur, figuratis, summe mihi adrident isti, 29.) *qui integram humanam referunt faciem*, quorum nonnulli apud me prostant, tam nitide formati, ut crederes fere sculptoris omnino accessisse manum; inprimis vero unus Democritum, Tab. VIII. Fig. 1. & alter Heraclitum, ibid Fig. 2. repræsentare videtur, quare carminis quidam po-

situs artifex, Poetarum more iocose quidem, sed non sine doctrina, ita in istos lusit:

Weil GOttes Willen, warnen, lehren,
Die meisten Menschen nicht mehr hören,
So möchten bey dem fühl loß seyn,
Wohl endlich gar die Steine schreyn.
Ein unverhoffter Fund stellt hier von ohngefähr
Zwey solcher kleiner Pred'ger her;
Die Kiesel führen solche Zeichen,
Daß sie zwey alten Weisen gleichen.
Der eine stützt den Kopff auf seine kleine Hand
Und scheint mit vollem Halß zu lachen,
Der Thorheit aller eitlen Sachen,
Womit erfüllet ist das Land.
Und jener hat die beyden Hände
Mit gleichsam seufzendem Gesicht
Auf seine Brust gelegt und Himmelwärts gericht,
Als wenn er weinend sich befände,
Daß leider! Menschen sehend blind,
Und härter als die Steine sind,
Der erste lacht auch wohl, daß er vom Koth der Erden
Gereiniget, nunmehr hier zur Bewundrung steht.
Der weint, daß Menschen sich bemühn vertieft zu werden.
Im Schlamm, da mancher untergeht.

Certum igitur, immo certissimum est, ubivis terrarum in macrocosmo tot eximia Naturæ existere miracula, omnibus manu paratis artificiis, quibuscum in Technophylaciis alias superbire solemus, longe anteferenda. Ast

Aſt dolendum quoque eſt, tam paucos horum omnino tangi cura, multosque regionis cujusdam incolas in patria ſæpe eſſe peregrinos, cum tamen benigniſſimum Numen munera iſta cuivis largiter ac ſine pretio non ſolum offerat, ſed & per periculares in lapidibus occurrentes repræſentationes, ceu linguæ uſitatum idiotiſmum, nos ad eorum contemplationem, & inde derivandam inviſibilis Dei per opera ejus agnitionem quaſi invitare atque alloqui videatur; ſiquidem ex mente illuſtr. Dn. WOLFFII in Hor. ſubceſiv. Trim. brum. p. 467. *nullum datur corpus naturale, quod non ita pendeat a Deo, ut ex contemplatione ejus ſingula Dei attributa colligere liceat*; cum quo pariter S. conſentit *PROSPER*, *Pinacotheca*, inquiens, *eſt hæc rerum univerſitas, in qua ſummus Rex atque Opifex Deus ſuas collocavit ſtatuas, quibus publicatur*. Unde S. AUGUSTINUS recte etiam in *Pſ. XVI.* de ſingulis adfirmat creaturis: *Habent linguam ſuam & undique omnia tibi reſonant Conditorem, & ipſæ ſpecies creaturarum voces quædam laudantium ſunt.*

Cave autem L. B. ne luſum naturæ, quæ vulgi nempe eſt ſententia, hic in cauſa præcipue eſſe putes, proindeque agens aliquod Tibi concipias, à Deo in hoc univerſo diſtinctum, creaturas corporeas ita modificans. Natura enim cum nihil aliud ſit, quam vis illa ac potentia, quam Deus omnium rerum Creator creaturis juxta leges motus ſe movendi atque conſervandi indidit, exinde clare ſatis patet, in ſenſu ſtrictiori, nullum plane naturæ dari luſum. Etenim vis iſta eſt reſiſtibilis, & in actu ad leges mechanicas adligata, finita, & adeo contingens. Ecquis ergo

ſibi perſuadeat, infantum aut ſimiarum inſtar eam otioſe ludere, vel pictorem, aut ſculptorem, immo Mathematicum & condimentarium aliquando agere? hinc igitur de luſu naturæ, voce nimirum ita ſemel recepta hoc in caſu nihil aliud dicere reſtat, niſi delineationem iſtam ex cauſis accidentalibus ortam eſſe ac productam, & per imaginationem hominum deinde ad varias figuras relatam, adeoque luſum potius Phantaſiæ vocandam. Quare recte omnino ait SENECA: *Tu Naturæ Deo nomen mutas. Quanto pulchrius, ſi dixeris: Deus hoc aut illud fecit;* (per leges nempe motus creaturis inditas,) ſiquidem in tota Scriptura ſacra iſtud naturæ non extat vocabulum, ſed ubique dicitur, hoc effecit Deus, hoc fecit Deus, ut illud fieret, &c.

Quæ ergo tandem ſummi Numinis bonitas atque ſapientia, qui tot jucunda creando, omnia tam eximie ſimul exornavit, ut oculos hominum iisdem ſemper oblectet atque invitet? quare minime ſunt culpandi, qui eadem ſollicite non modo colligunt, ſed id Creatoris omnium Dei admirationem adſervant. Conf. *Dn. LESSER in Lithotheol. cap. ult. in Allocutione finali.* Cæterum iſtud Poëtæ gentilis huc quadrat omnino effatum:

Ludit in humanis divina patentia rebus.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. JOAN. GODOFREDO BUCHNERI.

de

Reliquis in metalli generibus in Voigtlandia.

CUm in ſuperioribus quædam de Auro attulerim fluviatili, metallorum nempe rege in Voigtlandia, juvabit

bit huic alias quoque mineras jungere metallicas, quo nimirum certius omnino constet, varias divitias ac opes subterraneas istam in sinu quasi fovere atque concludere, maximo studio a metallifossoribus, licet non semper aptis in locis, hactenus conquisitas. Certum enim est, immo certissimum, prius adhuc, quam Schneeberga coli cœpit, laborem jam tum susceptum fuisse metallicum prope urbem *Weida*, in monte, cui nomen der hohe Forst inditum est, siquidem anno jamjam 1337. litem inde inter Fridericum, Marchionem Misniæ, & advocatos de Weida, Plauen & Gera natam, Imperator Ludovicus Bavarus composuit. Vid. BOECKLER Reüß. Stamm-Tafel *pag.* 45. it. Erläut. Vogtland. *P. II. pag.* 144. Immo ante Aureæ Bullæ tempora, in quibus Electoribus Jus metallifodinarum maxime confirmatum est, prædictis Advocatis jam dum aurum & argentum aliaque metalla fodiendi potestatem fuisse concessam litteræ nos docent Imperatoris Friderici II. gratiosissime iisdem concessæ. Vid. *GOLDASTI Constitut. Imper. Tom. I. pag.* 299.

Præ cæteris autem argenti meatibus inprimis notari meretur der Silber-Berg bey Klein-Reinsdorff, in Dynastia Greiz, ubi fodina conspicitur, quam vocant Seegen und Gabe GOttes. Mons enim iste expresse a metallo, quod alit & gignit, ad aliorum quoque exemplum, nomen accepit, siquidem PLANERUS *in Histor. Varisc. p.* 59. de isto sequentia habet: *ad Greizam in Silva Reinsdorfiensi fodina plumbi argento permixti.* Uberior autem eius traditur descriptio in Erläut. Voigtland *p.* 218.

pag. 280. ubi integra ejus ab antiquis temporibus habetur conditio.

Plaviæ ulterius ſunt fodinæ argentl; cupri, ferri, nec non Eliſtrobergæ & Salburgi, ubi ante aliquot annos fodinam argenti, ſed non durabilem in ſpato albo videre licuit. Vid. Dn. D. BRUCKMANNI *Epiſt. itin.* 81. *Nullum autem ſolum totius Voigtlandiæ*, teſte *PLANERO l. c. omni metallorum genere ditius Weidenſi creditur. Hic enim frequens aes auri, argenti, cupri, ferri, adhæc multum lapidis fiſſilis nigri, in hoc argentum perinde ac vitriolum ineſt.* Conf. etiam citati Dn. D. BRUCKMANNI *Magnalia Dei in locis ſubterran.*

Gera, Schleiz ac Lobenſtein ob ditiores olim pariter claruerunt cuprifodinas, hincque ALBINUS Meißn. Chron. *p.* 102, refert, Berolinenſes ac Marchicos maxime has exædificaſſe mercatores, quæ vero hodie utplurimum incultæ jacent, & quæ ante bellum tricennale fuerunt circa Weidam, quoque corruerunr. Sunt tamen adhuc Aurobaci fodinæ cupri & orichalci, ut & ad Gœſſitium vicum, nec non Reizengesvendam, Plauen, Greiz, Olsniz, Sparneck ac Blanckenbergam cuprifodinæ ex parte haud parum reddentes lucri. Vid. Dn. D. BRUCKMANN. *Magnal. Dei in locis ſubterran.* it. *Epiſt. itiner.* 40.

Olsnitii complures ſtannariæ conſpiciuntur fodinæ. Fuerunt & olim apud Gottesberg, & Falckenſtein, quæ hodie deſierunt. Dantur vero adhuc plumbariæ Schleizæ, Geræ, ac Greizæ, cum adſperſæ aëris mineris in ſaxo talcoideo-cinereo. Conf. Dn. D. BRUCKMANNI *Epiſt. itin.* 82. & 84,

& 84. Tandem etiam ferri, quod in ſacris litteris primæ denominationis inter reliqua metalla honorem habet, tot in Voigtlandia, Geræ, Schleizæ, Lobenſteinii, Greizæ, Burgi, Aurobaci, alibique reperiuntur mineræ, fueruntque & olim adeo frequentes, ut merito fere dixeris, nullam ejus eſſe partem ubi non conſpiciantur. Inprimis autem Aurobacum aliquas offert colore brunno, quaſi cryſtallimontanas, & Lobenſteinium ſchwartz-braunen Glaß-Kopff mit lauter kurtzen häuffigen Zacken, wie Hechel-Zähne. Vid. DN. D. BRÜCKMANN. *l. c. Epiſt.* 41. 64. Ecquis ergo dubitaret, facili negotio muſeum ſic inſtrui poſſe metallicum ex Voigtlandia, mineris multi coloris egregie pictis &, quoad mirabilem creſcendi modum, maxime diverſis non ſine animi delectamine probe refertum.

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. JOAN. GODOFREDI BÜCHNERI.

de

Equo cornuto & Hippolitho.

LEguntur nonnullæ obſervationes de cornibus ex fronte equorum enatis. His adnumeramus & illud, quod ante paucos dies ab amico Geræ degente nobis transmiſſum eſt. Cornu hocce equinum, quod nobis verruca cornea videtur, ſingulis menſibus ex fronte ejusdem equi Geræ excreſcit, & ſponte decidit. Pyramis ab a. ad b. ſolidum & nigrum exhibet cornu, a b. ad c. vero corium, ſed paulo durius, refert. Num equus maſculini an fœminini ſit generis, & quamnam indolem cæterum ſequatur, nunc ſaltem amico ſilente indicare nequeo. Vid. *Commerc. litter. Phyſ. med. techn. Norimb.*

Ann. 1739. *p.* 212. ex quo hæcce â celeberrimo Dn. D. BRÜCKMANNO communicata excepta sunt.

Scholion.

STRABONI equidem *Lib. XV. Geogr.* apud MAJOLUM *colloqu. canicul.* 7. *p.* 299. ridiculum plane videbatur, equos dari cornutos; sed citatur tamen ejusmodi exemplum in *Ephemeridibus Academ. nostræ Dec. I. Ann. I. Obs.* 30. *Schol. p.* 103. Conf. etiam KIRCHMAYER *de Unicornu Cap. I.* §. 10. it. PLINIUS & ÆLIANUS. Nonnulla pariter huc pertinentia collegit PAULINI *in Lagograph. Sect. I. C.* 3. §. 3. ac in der Zeit-kürtzenden erbaulichen Lust refert, Fridericum III. Daniæ Regem equum aluisse nobilem ac generosum cum duobus cornibus curvis atque acutis ex auribus crassitie pennæ Cygni propendentibus, singulis quoque, ut nostrum, mensibus, aut si morbo laboraret, tribus saltem, decidentibus. Vid. *Ol. WORMII Mus. Lib. III. cap.* 25. *p.* 341. ubi descriptio & icon adparet, ut & in *Museo regio* ab *Olig. JACOBÆO* edito *p.* 4. *Tab. II.* it. apud *Thom. BARTHOLINUM Hist. rarior. Cent. II. ZENNERUS* autem in den Novellen aus der gelehrten Welt. *Ann.* 1695. *pag.* 315. tradit, Electori Saxoniæ Joanni Georgio I. talem fuisse oblatum singulis annis cornu abjicientem. Et *Euseb. NIEREMBERGIUS*, Madritensis, ex Societate Jesu, in *Hist. nat. Lib. VII. cap. II. p.* 111. tandem recenset, se in aula regia Philippica equum cum cornu pariter vidisse. Cæterum differre ab hisce ex causis accidentibus & præter naturæ ordinem natis, isti videntur equi cornuti ac natura feroces in Provincia Quivira & Canada, quorum meminit

minit SEYFRIED in *medull. mirab. Nat.* p. 603. hi enim peculiare quoddam & permanens animalium ſic figuratorum conſtituunt genus.

Jamque in mentem mihi ſimul lapis in Equo venit natus, cujus veritatem amicus quidam litteris, Gera ad me datis, nuper teſtatus eſt. A ruſtico autem iſtum ſe accepiſſe nuntiavit, qui, mortem inde equo etiam fuiſſe illatam, adfirmavit. Pondus referebat libræ cum ſemuncia, & figuram exhibebat rotundam. Colore inſuper eminebat puniceo & in ſuperficie maxime erat lævis. Ad geneſin ejus quod attinet, ea in diverſis animalium vivorum partibus multis jam Eruditorum comprobata proſtat ſuffragiis atque exemplis. Probabiliter nempe ab aquis oritur lapideis, ochram ſecum vehentibus, quas equi ſæpe pro potu capiunt. Hæ enim ciborum impediunt digeſtionem ac reſolutionem, & per calorem præternaturalem partem eorum coagulant, dumque maſſam ſic conſtituunt craſſam, lamellatim deinde compoſiti tandem lapideſcunt. Conf. *Index generalis Ephemeridum Academiæ noſtræ*, a celeberrimo atque doctiſſ. Dn. D. KELLNERO editus, & in eo vocabulo *Hippolithus* & *Equus*, ubi plura notatu digna de hiſtoria & viribus Hippolithi indicantur.

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. JOH. GODOFREDI BUCHNERI.

De Frumenti ſpicis proliferis, ſeu multoties auctis & multiplicatis.

EXperientia ſæpe confirmatum eſt, etiamſi hiems admodum fuerit rigida, fœcundiſſimum tamen, ob copio-

ſas forte pluvias nivoſas aëreo ſale impraegnatas, nonnunquam ſeſe præſtitiſſe autumnum, unde uberem deinde anni ſubſequentis terræ frugum meſſem animo omnes ſæpe decantarunt læto. Immo plurimis tunc temporis ſponte contigit in locis, quod ſagaces naturæ artificio alias producere tentarunt ſcrutatores. Pluras nempe frumenti non modo reperiebantur ſcapi, ex multis ad unam radicem unitis conſtantes culmis; ſed & non defuerunt etiam hic illic ſpicæ multoties auctæ & multiplicatæ, quorum catalogus quidam paſſim in Actis hiſce Academiæ noſtræ proſtat. Conf. etiam PAULLINI Zeit-kürtzende erbauliche Luſt *T. III.*


Liceat hiſce ſequentia, ex Voigtlandia noſtra depromta, nunc addere exempla. Sic Ann. 1739. ex agro quodam vici *Zſchirma* frumenti quidam oblatus mihi eſt culmus, præter ſpicam primariam XV. adhuc aliis donatus minoribus. Subſequente autem anno *Kraftsdorfii*, prope Geram, viſus eſt alius, tribus quidem ſpicis tantum præditus, in quo autem per negligentiam quædam erant detruſæ, & circa hunc iſtud inprimis ſingulare prorſus mihi videbatur, quod culmus admodum contortus natus atque fiſſus, inſuperque ſpicæ forſan per impedimentum aliquod â nodi latere prodierint inferiori, cum tamen alias ordinarie culmi pars ſupra nodum ſoleat adſcendere. Aſt longe ſuperat hæcce exempla culmus, qui hieme procedente aſperrima Ann. 1741. in campis ad vicum *Hohenœlſen* ſpectantibus, meſſe jamdum finita, ê grano forte fortuna deperdito eſt prognatus. Floruit is jam dum menſe Octobris, multosque ad ſe traxit ſpectatores & admiratores; poſthac vero, licet contra aëris injurias ſatis

fue-

fuerit munitus, neſcio quo caſu tandem amputatus eſt. Longitudo culmi ulnas duas cum quadrante & ſpica primaria quadrantem ulnæ æquabant, cui adhuc XVII. ſpicæ ſecundariæ una cum tribus culmis minoribus ſeſe junxerant. Craſſities vero culmi infra circumferentiam digito æqualis erat. Proinde etiam eodem hoc anno *Geilsdorfii*, prope Plaviam, culmum XIV. ſpicis præditum progerminaſſe, novellæ publicæ indicarunt.

Cæterum non defuere nonnulli, qui, ut in rebus ſæpe fieri ſolet extraordinariis, & bona & mala exinde fingerent omnia. Aſt alia longe animo mihi ſedet ſententia, nec a priori nempe, nec a poſteriori certi quidquam inde concludi poſſe, donec nimirum liquido aliquis probaverit, Deum per res naturales, juxta leges ordinarias naturæ contingentes, futura quædam fauſta, an infauſta, revelare nobis voluiſſe. Id vero ex ſacris nunquam probabitur paginis, quippe ubi iſtud potius edocemur: *Probis atque piis, quidquid calcaverint, roſa fiet.*

(*Greiza Variſcorum Erfordiam miſſæ*
d. 20. *Sept.* 1742.)



OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. IOANN. ELIAE KIRCH.
de
Sarcomate prægrandi ex genitalibus mulieris prognato, feliciter demum ablato.

Fœmina XXVI. annorum, cæteroquin perfecte ſana, ab incunabulis jamiam in vuluæ labio exteriori ſiniſtro verruculam ſe habuiſſe refert, quam ipſa, cum nullam ſibi creaverit moleſtiam, plane neglexerit. Ad adultiorem perveniens ætatem, viroque nupta, tres felici partu in lucem edidit liberos, absque ulteriori dictæ verruculæ incremento, utpote quæ in uno eodemque ſtatu ſemper perſeverabat. Cum autem ann. 1732. uti ferme in tota Europa, ita etiam in Franconia & ſpeciatim in civitate noſtra, catarrhi epidemii, multifariis ſymptomatibus ſtipatis, graſſarentur, dicta quoque mulier, ſexto nunc menſe gravida, ſimili catarrho adfligebatur, nullo tamen calore p. n. nullo dolore lancinante conjuncto, (qui multis, quin plurimis ſemper fere familiaris fuit,) ſola ſaltem tuſſi cum coryza ſeſe exſerentibus. Catarrhus hic d. XI. Decembr. d. a. eandem inuadebat, tuſſis dein per quatuordecim dies indeſinenter continuabat, intra quod tempus dicta illa verrucula eo usque augebatur, ut poſt decimum quartum diem ovum gallinaceum magnitudine ſuperans, gravia admodum inter deambulandum produceret incommoda. In dies dein ſucceſſive majora capiens incrementa, ægram tandem coëgit, ut mihi

mihi pariter ac Chirurgo cuidam artis ſuæ ſatis perito, hæc candide non ſolum aperiret, atque originem primam & inde ſubſecutum augmentum exponeret, ſed & ipſum illud peregrinum corpus exactius luſtrare permitteret, quod ejus tunc erat magnitudinis & formæ, quam *Tab. VIII. Fig.* 4. monſtrat. Ob ſubitaneum ergo hactenus obſervatum & ulterius pertimeſcendum incrementum, quantocyus illud auferendum eſſe judicavi, id quod etiam Chirurgus probe ligato prius ligamento illo quaſi carneo, quo mediante annexum erat labio externo vulvæ, promtiſſime & feliciſſime præſtitit, quo facto, mitigata prius exigua hinc inſecuta hæmorrhagia, cataplaſmatibus & ſacculis convenientibus fovebatur pars vulnerata, ipſaque læſio ſic facta intra breve temporis ſpatium ad plenariam deducebatur conſolidationem.

Diſſectum poſtea carnoſum hocce corpus, ſeu ſarcoma, varias cellulas, aquoſo humore repletas, monſtrabat. Catarrhum ergo iſtum materiam pro ulteriori augmento ſuppeditaſſe huic ſarcomati, nemo dubitabit, quod dein oborta tuſſi eo magis extendebatur, quo minus labium vulvæ reſiſtere valebat, inprimis ſub continua depreſſione diaphragmatis & viſcerum in abdomine contentorum, verſus regionem pubis facta, & a tuſſi continua excitata. Conuenit de reliquo hoc Sarcoma quadantenus cum tumore illo prodigioſæ magnitudinis & figuræ cucurbitinæ, circa os uteri internum enato, feliciterque manu chirurgica extirpato, quem celeberrimus *RUYSCHIUS* in *Theſauro Anatom. VIII. num.* 102. deſcripſit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. JOANN. ELIAE KIRCH,

Asthma periodicum, a nimia distensione flatulenta intestinorum, tandem lethale.

Litteratus quidam, sanguinei temperamenti, hactenus semper sanissimus, in iuventute autem aliquoties angina adflictus, d. 5. Aug. 1734. infusum calidum Thee mane pro more solito sorbillans, prodeuntem e pulmonibus aërem sub exspiratione, ore potu Thee repleto, vi deprimit, hincque statim suffocationis metu obruitur. Desiderato ergo â me auxilio, plethorico & evacuationibus sanguinis artificialibus adsueto, venam in utroque brachio aperiri jubeo, exhibens dein dosin Spirit. salis ammon. anisat. unde quidem suffocatio remittit, sed post breve intervallum etiam redit. Subjunxi igitur evacuantia, antispasmodica & carminativa, præcipue vero Essent. Castor. quibus etiam egregie obtemperavit & mitigatus fuit paroxysmus; periculo autem nonnihil evanescente, neglexit æger regularem medicamentorum usum, ob singularem quandam aversationem, & molestissimum hunc adfectum, crebrius recurrente insultu suffocativo, per integrum quadriennium sustinuit, & paucissima tantum alimenta adsumere potuit. Ingesturus enim cibum vel potum, prius frictione regionem scrobiculi cordis totamque epigastricam tam diu fovere & exagitare debuit, donec ructus quidam prodirent, quibus emissis illico aliquid

quid adſumere potuit. A clyſteribus crebrius injectis & commotione corporis, in primis per vecturam, notabile ſemper levamen ſenſit. Corpus interim modo intumuit, modo contabuit, donec, augeſcente magis magisque inedia, anno 1738. viribus omnibus exhauſtus, ad cœlites migraret.

Aperto dein cadavere, & quidem primo thorace, nullum vitium ibidem deprehendebatur, niſi quod pulmones ſurſum verſus fauces nimis eſſent adacti, ipſumque diaphragma magis elevatum, id quod aperto abdomine, ab inteſtinis per flatus incarceratos mirum in modum diſtentis, ventriculumque valde contractum comprimentibus eveniſſe deprehendebatur, unde ſimul ratio patebat, cur nil ingerere potuerit æger absque prævia inſtituta frictione ſcrobiculi cordis & regionis epigaſtricæ, hacque mediante provocatis ructibus, quoniam nimirum aër tali ratione quadantenus rarefactus, facilius prodibat, atque ſic diſtenſio inteſtinorum non nihil remittebat, ut ſic apertum orificium ventriculi ſiniſtrum alimentis, aut potulentis ingreſſum concederet. Sic quoque a corporis commotione, præcipue quando rheda vehebatur, melius ſemper ſe habuit ante & poſt paſtum, dum nimirum flatuum expulſio tali modo promovebatur, ingeſtaque per orificium dextrum iuſto tempore facilius ad inteſtina deſcendere poterant. Interim licet frictio illa ſcrobiculi, cordis & regionis epigaſtricæ a multis vitio verteretur ægro, & idcirco inhibita fuerit, inſignis tamen illa poſt mortem detecta inflatio inteſtinorum monſtravit omnino proficuam & neceſſariam fuiſſe. De reliquo eximia illa contractio ventriculi dubio procul orta fuit a diuturna

inedia, ſiquidem etiam celeberr. *RVYSCHIVS Obs.* 68. eandem ab cauſam ſtomachum cum adnexis inteſtinis ita contractum fuiſſe refert, ut nil minus, quam ſtomachum & inteſtina repræſentarent. Caſum autem huic ſimillimum & quoad potiora cum eo convenientem deſcribit clariſſ. *BONNETVS* in *Sepulchreto anatom. obs.* 147. *p. m.* 545.

(*Svevofurtho Erfordiam miſſæ d.* 27. *Septembr.* 1742.)

OBSERVATIO XC.

Dn. D. IOANN. CONRADI TRVMPHII. de Hydrope univerſali, cum tuſſi pulmonali & Epilepſia complicato, in lethalem tandem Apoplexiam degenerante.

In *Volumine V. Actorum Academiæ noſtræ obs.* 3. a doctiſſ. Dn. MOEHRINGIO communicatus proſtat caſus de Hydrope univerſali, cum apoplexia, epilepſia, pleuritide & vermibus conjuncto, tandemque feliciter curato. Liceat ergo jam huic fere ſimilem, non æque tamen feliciter terminatum, in medium proferre. Vir quidam ſatis alias robuſtæ conſtitutionis, quinquaginta circiter annorum, operam ſuam in fundendis & examinandis metallis potiſſimum collocans, & potui ſpiritus frumenti, matutino inprimis tempore, ad modum deditus, quamquam hic ipſi minus conveniret, quoniam multum etiam negotii

negotii habebat cum Lithargyrio collibrando, menſe Augusti a. p. poſt prægreſſam tuſſim, qua diu jam laboraverat, incidit in Hydropem anaſarcam, cui hæc ipſa non ſolum tuſſis jugiter adhuc continuando, ſed & dolores capitis, ſingultus, urina aquea, hæmoptyſis, non tamen admodum vehemens, itemque notabilis adpetitus & virium proſtratio, ſimul junguntur. Deſiderato a me conſilio, remedia alias mihi uſitata & probata exhibeo, inprimis autem radicem Squillæ in pulvere pariter ac infuſo absque tamen ſubſequente deſiderato plenario effectu, & quidem eam maxime ob rationem, quoniam æger uſum remediorum, poſtquam aliquod levamen ſenſit, ſtatim iterum neglexerat. Augebantur dehinc magis dolores capitis jamjam præſentes; an autem vermes quoque excreti fuerint, uti in ſupra citato caſu, non amplius memoriæ ſuccurrit. Suadente dein muliere quadam generoſa, petit â me, ut ipſi præſcriberem lapides cancrorum, vinum quoddam amarum abſinthiacum & trochiſcos bechicos in noſtro pharmacopolio uſitatos. Annui petitis, ita tamen, ut lapidibus cancrorum ſimul admiſcuerim tartarum vitriolatum. Satis magnam jam conſumſerat horum remediorum quantitatem, cum tandem aliquale hydropis obſervaret decrementum: Acriora enim ob pulmonum ſimul conjunctum vitium exhibere non licuit. Interim ſub hoc ſtatu quaternis vicibus epilepticis adfligebatur inſultibus, hisque ceſſantibus, aut emanentibus, dolores capitis gravius ſemper urgebant, unde conſueto hactenus pulveri ex Lapid. Cancror. & Tart. vitriol. parato, Cinnabarim nat. & pulv. epilept. Machion. tandemque erumpente aliquali ſudore ſpontaneo, etiam Antimon. dia-

phor. & Succin, ppt. addebam, quorum uſu quoque Epilepſia & ſudores capitis evaneſcebant.

Sub his ergo circumſtantiis in publicum iterum prodibat, ad operas conſuetas rediturus, quando vires eſſent permiſſuræ, ſiquidem etiam hydropicus tumor omnis fere ſublatus erat. Solus tantum dolor capitis nondum penitus ceſſaverat, ſed ſæpius hoc in ſtatu reconvaleſcentiæ nova iterum capiebat incrementa, ut id circo etiam reiterandus fuerit uſus conſuetorum remediorum. Dum vero ſub his circumſtantiis cognati ex improviſo aliquando redituram metuunt Epilepſiam, ecce! inveniunt noſtrum antea ſanum, inclinato in menſam capite apoplexia extinctum. An hydrops univerſalis, qui faciem inprimis occupaverat, regurgitatione ſeri verſus cerebrum facta, graviſſimum hunc acceleraverit morbum, per ſectionem anatomicam indagare non licuit. Abſumſit interim defunctus hic intra ſemeſtre circiter ſpatium vini abſinthiati aut heleniati libras XLVIII. Lapidum cancrorum cum Tartatro vitriol. & antim. diaphor. aliisque uncias XXIV. & Trochiſc. bechic. uncias XXX.

Abſinthii uſum forſitan Epilepſiam induxiſſe, hariolari quiſpiam poſſet; quoniam vero dolor capitis cum epilepſia alternans prius jam aderat, quam vinum illud amarum in uſum vocaret, merito hinc in illud unice non rejicienda eſt culpa, quamquam de reliquo negare non poſſum, me nunquam auſum fuiſſe hanc plantam ſolitarie, ſed ſemper cum aliis remixtam, adhibere.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

DN. D. JOANN. CONRADI TRUMPHII.

De

Orthopnœa cum tussi quasi perpetua conjuncta.

IN proxime præcedente Volumine VI. horum Actorum p. 276. occurrit observatio clariss. Dn. D. WOLFII, de Orthopnoea cum irritatione bronchiorum fere perpetua, quod ipsum symptoma in illo casu notatu omnino maxime dignum est. In adultis enim rarius observavi talem tussim, quæ nunquam inducias concedit; in infantibus autem emaciatis, inprimis quando morbus a cerebro, quod sine dubio in tali statu infantum sensim adficitur sideratione, ortum ducit, frequentius adnotatur. Irritatio in illis est perpetua, tam œsophagi & ventriculi, quam pulmonum, hinc levis, sed inanis exsurgit conatus vomendi & indesinenter fere continuans tussis & hæ irritationes ejusmodi ægros absque dolore non esse sinunt, ut idcirco tanto magis dolendus sit horum infantum status plerumque non nisi morte terminandus. In adultis vero, quantum mihi observare licuit, frequens quidem, non tamen perpetua talis irritatio adest. Orthopnoeam autem non raro deprehendimus in adultis, etiam talem, quae a muco crasso, a frigore inspissato, originem ducit, utpote quæ minus rara inprimis est in locis montosis, ob frigoris tam gravitatem majorem, quam durationem diuturniorem, & hanc ob causam illa etiam nostris in regionibus, ad radices nempe sylvæ Hercyniæ sitis, crebro satis adultos infestare solet, quos inter præcipue metalli fossores & exa-

minatores eidem obnoxii evadunt. Sic poſtquam ſub initium anni præſentis, menſe nimirum Januario, frigus intenſiſſimum quadantenus remiſerat, ineunte autem Februario nova incrementa ſumſerat, tuſſes hinc copioſæ cum aſthmate obortæ ſunt, ſub quibus, quoniam irritatio fere continua erat, ægri plerumque ſedendo in lectis noctes inſomnes tranſigere coacti fuerant, donec poſt materiæ ſpiſſioris attenuationem & reſolutionem, aliqualis ſubſequeretur expectoratio, hacque ipſa tuſſis tandem quadantenus mitigaretur. Graviſſime tunc inprimis decumbebat quidam ex metallifoſſoribus, viginti circiter annorum, temperamenti phlegmatico - melancholici, utpote qui primo adfligebatur tuſſi vehementiori, cum dolore pectoris & horrore intercurrente, unde, quoniam proprio motu venæſectionem jam inſtitui curaverat, nec ex relatione ſuſpicio qualiscunque de Pleuritide aut Peripneumonia forſitan metuenda oboriebatur; hinc ſequentia, quibus ſimiles alii jamjam levati erant ægroti, præſcripſi medicamenta: Rec. Elix. pector. Wed. drach. 2. Eſſ. alexiph. Eſſ. Scord. ana drachm. 1. Eſſ. Gummi ammon. drachm. dimid. Spir. Salis ammon. anis. drachm. dimid. Olei deſtill. Fœnic. gutt. VI. M.D. ter vel quater de die XL. guttæ. Item Rec. Looch ſan & expert. uncias 2. oxym. ſquillit. vnc. 1. M. Cum vero altero die ad eundem accederem, utique Pleuro - pneumonia eundem laborare deprehendebam: Tuſſis enim erat ſicca & perpetua, qua nihil rejiciebatur, pulſus autem celer & debilis, conjuncto ſummo dolore capitis. Decumbere in lecto haud poterat æger, ob reſpirationem valde difficilem, neque etiam tuſſis illa perpetua ſicca ſomnum qualemcunque

que capere permittebat, utpote quem ex medio pectoris subter sternum, secundum longitudinem provenire adserebat. Proinde etiam in brachiis & pedibus adparebant phymata, ad instar erysipelatis rubentia, tumentia, valdeque dolentia, immo quandoque cœruleo colore obducta, magnitudinem floreni referentia, immo quandoque etiam majora, unde non immerito maligni quidquam simul metuendum esse conjiciebam, inprimis, quoniam graviora simul præcesserant animi pathemata, tam terrifica, quam iracunda, a quibus crasis sanguinis naturalis eximie turbatur, & resolutis magis particulis subtilioribus orgasticis, facile fermentum, seu miasma quoddam malignum generatur, cujus præsentiam quoque in hoc ægro ex pulsu debili hariolari licuit. Interim, quoniam nullum adhuc aderat delirium, neque etiam respiratio citatior evadebat, unice hinc materiam peccantem, tum viscidam, tum halituoso-fermentativam e pulmonibus pariter, ac peripheria corporis removere intendebam, exhibendo idcirco sequentem potionem: Rec. Decoct. hordei cum rasur. C.C. & rad. Scorzon. uncias 8. Aqu. flor. Samb. Fœnic. ana unc. 5. flor. Paralys. unc. 2. pulver. antipleurit. drachm. 1. Antimon. diaphor. Dent. apri, Nitri depur. ana drachm. 1. & dimid. Succin. ppt. scrup. 1. Cinnab. nat. Scrup. semis, Syrup. heder. terrestr. Oxym. squillit. ana drachm. 2. & dimid. M. D. ad Vitr. & quolibet bihorio tria cochlearia exhibeantur. Huic simul jungebatur usus Decocti pectoralis alvum leniter aperientis, ex sequentibus compositi: Rec. Spec. decoct. pector. uncias 2. Herb. Scord. Flor. Arnic. ana manip. dimid rasur. C. C. drachm. 2. Rhabarb. monach. fol. Senn. s. s. ana drachm.

1. &

1. & dimid. Passul. min. unc. dimid. M. conc. & cont. cum suffic. quant. aquæ fervidæ infundantur, a cujus usu etiam alvus blande aperiebatur. Quoniam autem pleraque enumeratorum symptomatum post octavum diem adhuc continuabant, nisi quod dolor capitis in totum fere cessaverit, & prædictæ maculæ sensim evanuerint, hinc insimul cum superius descripta mixtura pectorali & diapnoica ulterius insistebatur, cumque die duodecimo tussis sicca gravius urgeret, adpetitus prostratio continuaret, atque insuper etiam lancinatorius dolor in dorso accederet, insimulque ex omnibus hactenus enumeratis liquido adpareret, quod a prægresso tam terrore, quam mœrore, lymphatici inprimis humores magis ad spissitudinem & varias subeundas stases dispositi fuerint; hinc non solum prædictorum resolventium, inprimis Potionis & Decocti, cui radix squillæ adhuc addita erat, usum continuavi, sed & lenia diuretica iisdem subjunxi, hacque ratione tandem obtinui, ut post vigesimum quartum diem tussis, quæ hactenus interdum quoque humida fuerat, successive remitteret atque redeunte demum, per Dei gratiam, adpetitu & somno viribusque sensim restitutis, æger consuetos suos iterum readsumere desideraret labores, id quod etiam post trigesimum diem ipsi concessi, exhibito prius pro coronide totius curationis sequente remedio purgante: Rec. Resin. Jalapp. gr. VIII. solvantur cum Spir. Anisi drachm. 2. addatur Syrup. de Cichoreo cum Rhabarb. drachm. semis, M. D. pro una dosi. Cæterum hoc in primis eximie felicem successum curationis promovebat, quod æger ipse summa cum patientia auxilium a medicamentis expectaret, non vero cum indignatione urgeret, & tam circa adsumtio-

ſumtionem illorum, quam etiam neceſſarium obſervandum regimen, exacte præſcriptioni meæ morem gereret cum alias multos in hoc paſſu graviſſime delinquere, & hinc morbos vel turbare, vel diutius protrahere, majoremque ſic & ſibi, & Medico moleſtiam creare deprehendamus.

(*Goslariæ Erfordiam miſſæ, d.* 19 *Octobr.* 1712.)

OBSERVATIO XCII.

DN. M. BONIF. HENR. EHRENBERGERI.

de

Speculo cauſtico ex Meniſco ad quemcunque focum deſideratum aptando.

DE Speculis cauſticis majori foco præditis, iisque ex meniſco paratis, cum in præcedente *Volumine VI. horum Actorum Obſerv. XXXIV.* ſpecialius ageremus, nec ſpatium daretur, filum tunc ducendi longius, ſubjungebamus Scholion, quo ſignificabamus: futurum forte, ut ad longe majores focos habendos concavitatis terminatæ ad convexitatem daremus rationem uberiorem, & inveniendæ ejus modum reddituri eſſemus clariorem.

Hujus promiſſi, utut imperfecti, memores, jam præſenti occaſione ea de re plura adferre propoſuimus, ut via adpareat modusve ad focum quemcunque deſideratum concavitatis terminatæ ſemidiametrum & ejus ad convexitatem inveniendi rationem.

Quod ut facilius intelligi queat, in mentem revocabimus modum demonſtrandi in illa Obſervatione circa Tab. IV. fig. 1. Volum. præcedentis adhibitum; hincque

illis tribus propositionibus totidem hic loci addemus, quibus & demonstrandi processus reddatur familiarior, & major corollariorum ac problematum tabularumque subjunctarum adpareat evidentia.

Propositio IV.

Speculum ex tali menisco confectum, cujus terminatæ cavitatis semidiameter ad convexitatis pellucidæ semidiametrum habeat rationem triplam sesqui octavam; hoc est, sit ut $3\frac{1}{8}$ ad 1, sive ut 25. ad 8: radios parallelos unit in distantia circiter semidiametri convexitatis vicesies quinquies sumtæ.

Demonstratio.

Habeatur G T, *Tab. VIII Fig.* 3. vel in hujus locum GX pro parte octava semidiametri CD, aut pro 1. & sic DT (vel DX) nanciscetur partes 25, quarum CD concipitur habere 8, Demus angulo acuto C (cui convenit angulus oppositus QDH) partes 75: & erit ang. CDG (quem radius QD superficiem semel fractus transiens anteriorem cum perpendiculo facit & cui æqualis est verticalis KDH) 50, CGD vero cum ejus opposito QDK, 25. Porro angulus GDT, (nimirum ex D. mente concipitur linea ad T ducta, loco lineæ DX, ut GT adhuc sit pars octava lineæ GX) cui verticalis IDK æquatur, tanquam angulus incidentiæ = angulo reflexionis JDN; etiam habeat 1, sicque NDQ, 23, & NDH, 52, cujus dimidium, sive angulus reflexionis in egressu, 26: a quo si ang. QDH (23) subtrahatur, relinquet pro QDF, aut hujus alterno DFC, 3. Jam inferatur: Ut in △o hocce

circa

circa F&C valde acuto, angulus F, (3) ad angulum C (75): ita CD ad DF; sed 3. est ad 75. ut 1. ad 25: erit igitur CD pars vicesima quinta lineæ DF, Q.E.D.

Propositio V.

Quod si concavitatis terminatæ semidiameter ad semidiametrum convexitatis pellucidæ rationem habeat triplam sesqui sedecimam, sive ut 49. ad 16; focus speculi ejusmodi erit fere quadragecuplus noncuplus semidiametri minoris.

Demonstratio.

In eodem Schemate GT supponatur esse pars sedecima semidiametri CD, tumque DG erit partium 48. circiter & CG 32, DT vero 49. Demus igitur angulo acuto & e regione posito G, etiam partes 49, huicque opposito QDK similiter, angulus autem GDX (supposito latere GX unius partis) etiam habebit 1 & hujus quoque verticalis IDK, qui simul est ang. incidentiæ, cui convenit angulus reflexionis, IDN: ut igitur QDN adhuc sit 47. Quoniam vero in triangulo CDG angulo G (49) opponitur semidiameter minor: triplo hujus, DG, etiam triplum partium anguli G, nimirum 147. (ex fundamento sæpius supposito) angulo ECD, huicque opposito QDH, competent. Itaque angulus inclinationis in ingressu NDH (si QDN, 47, subtrahatur a QDH, 147,) erit 100. cujus dimidium, hoc est, angulus refractionis in egressu, NDF habebit 50, & ita pro angulo QDF ejusque alterno EFD, (detractis nimirum 47. ex 50.) relinquentur 3. Liceat igitur inferre: Ut ang. F ad ang. C (in triangulo FCD) ita CD ad DF. Sed ang. F. ad an-

gulum acutum C eſt ut 3. ad 147. ſive 1. ad 49; ergo DF erit quadragecuplum lateris ſ. ſemidiametri CD, Q. E. D.

Propoſitio VI.

Semidiameter concavitatis terminatæ ad ſemidiametrum convexitatis triplam ſeſqui tertiam habens rationem, ſive quæ ſit ut 10. *ad* 3. *focum dabit circiter decem ſemidiametrorum convexitatis.*

Demonſtratio.

Sit GX pars tertia ſemidiametri CD, vel CE, habeatque CD tres partes ejusmodi, ac talium GD erit 9, DX vero 10. Habeat etiam angulus acutus CGD & huic oppoſitus QDK, 10. partes; GDX vero habebit 1. quemadmodum verticalis ac angulus incidentiæ IDK, ejusque vicinus reflexionis IDN, totidem acquiret. ECD autem lineæ DG obverſus una cum huic oppoſito QDH, 30. obtinebit, quemadmodum CDG, cui duæ ſemidiametri CG, (6. partium) opponuntur, ejusque verticalis KDH, 20. iſtiusmodi acquiret; & ſic angulus inclinationis in egreſſu NDH, habebit 22. quæ ex QDH detractæ pro QDN relinquunt 8. Sed angulo inclinationis 22. bifariam ſumto & ſic dimidia parte a perpendiculo refractionis angulo formato, habebitur angulus NDF, 11. & QDF, cui = eſt CFD, 3. Ut autem ang. F, (3) ad CD (1) ita ang. C, (30) ad DF, (10) Q. E. D.

Corollarium 1.

Ex noſtra demonſtrandi ratione intellectu facile eſt, in tot partes commode diviſam concipi ſemidiametrum minorem, quota pars a G verſus T, aut X, adſumta conci-

cipi-

cipitur. Tunc enim angulorum acutorum in triangulis laterumque oppositorum ad se invicem habitudo inventu difficilis haud erit.

Corollarium 2.

Quodsi etiam hactenus demonstrata secundum suos focos ac semidiametrorum rationes expressa, juxtaque posita consideramus, adparet: Longitudinem foci speculi caustici ex menisco parati tot semidiametros convexitatis conficere, quot unitates prodeunt reductione fractionis mixtæ ad puram, sive ex multiplicatione trium semidiametrorum minorum cum denominatione adjectæ particulæ, & additione illius particulæ: e.g. Si $3\frac{1}{8}$. reducitur ad meras octavas partes, habentur 25: igitur ad focum, qui 25. semidiametros minores contineat, requiritur semidiameter cavitatis, quæ triplum semidiametri minoris superet una parte octava. Aut, si $3\frac{1}{16}$. reducimus ad partes sedecimas, prodibunt 49: focus itaque huic speculo conveniens toties continebit semidiametrum minorem. Atque ex hoc fundamento sequentem construximus tabulam, facile augendam, vbi semidiameter minor, sive convexitatis pellucidæ pro mensura, aut unitate ubique adsumta supponitur.

Tabula, rationem ſemidiametrorum concavitatis, terminatæ ad ſemidiametrum convexitatis, una cum foco reſpondente, exhibens.

Semidiam. concavitat.	Focus reſpondens.	Semidiam. concavit.	Focus reſpondens.	Semidiam. concavit.	Focus reſpondens.	Semidiam. concavit.	Focus reſpondens.
4	4	$3\frac{1}{15}$	46	$3\frac{1}{29}$	88	$3\frac{3}{599}$	600
$3\frac{1}{2}$	7	$3\frac{1}{16}$	49	$3\frac{1}{30}$	91	$3\frac{3}{649}$	650
$3\frac{1}{3}$	10	$3\frac{1}{17}$	52	$3\frac{1}{31}$	94	$3\frac{1}{233}$	700
$3\frac{1}{4}$	13	$3\frac{1}{18}$	55	$3\frac{1}{32}$	97	$3\frac{3}{749}$	750
$3\frac{1}{5}$	16	$3\frac{1}{19}$	58	$3\frac{3}{133}$	100	$3\frac{3}{799}$	800
3^{1}	19	$3\frac{1}{20}$	61	$3\frac{3}{149}$	150	$3\frac{3}{849}$	850
$3\frac{8}{1}$	22	$3\frac{1}{21}$	64	$3\frac{3}{99}$	200	$3\frac{3}{899}$	900
$3\frac{7}{1}$	25	$3\frac{1}{22}$	67	$3\frac{3}{249}$	250	$3\frac{1}{333}$	1000
$3\frac{8}{1}$	28	$3\frac{1}{23}$	70	$3\frac{3}{299}$	300	$3\frac{}{1999}$	2000
$3\frac{9}{10}$	31	$3\frac{1}{24}$	73	$3\frac{3}{349}$	350	$3\frac{3}{2999}$	3000
$3\frac{1}{11}$	34	$3\frac{1}{25}$	76	$3\frac{1}{133}$	400	$3\frac{1}{1333}$	4000
$3\frac{1}{12}$	37	$3\frac{1}{26}$	79	$3\frac{3}{449}$	450	$3\frac{3}{4999}$	5000
$3\frac{1}{13}$	40	$3\frac{1}{27}$	82	$3\frac{3}{499}$	500		
$3\frac{1}{14}$	43	$3\frac{1}{28}$	85	$3\frac{3}{549}$	550		

Corollarium 3.

Quoniam focorum numeri oriuntur ex reductione fractionum mixtarum, h. e. talium, quorum ſingulæ tribus integris cum adnexa particula conſtant; harum autem particularum denominatores in progreſſione ſimplici procedunt: obſcurum non eſt, cur iſti numeri focorum, interrupta ſerie ſibi invicem in tabula ſuccedentes, progreſſionem

nem arithmeticam ternario crescentem servent. Nimirum ubique denominatores, unitate crescentes, per ternarium sunt multiplicati.

Corollarium 4.

Sic autem non habentur in tabula speculorum foci omnibus numeris expressi, sed illi tantum, qui in jam dicta progressione a quaternario incipiente attinguntur. Quod si quis tamen etiam ad alium numerum hic non expressum focum & simul semidiametrum cavitatis respondentem desideraret: observet, inter annexarum tribus integris fractionum proximarum denominatores non dari numerum integrum medium; ast, si tam numerator, quam denominator multiplicetur ternario, productæ novæ denominationes prioribus æquales etiam, ut focorum numeri, ternario differre. Hincque sequens observandum.

Problema I.

Dato quocunque foci numero invenire semidiametri concavitatis terminatæ ad semidiametrum convexitatis rationem.

Solutio.

Si numerus sub tit. focus extat, habetur quoque ad latus sinistrum semidiameter desiderata, sin exsulat a tabula, excerpe proximum minorem una cum semidiametro ad hunc pertinente; fractionis ejus adjectæ tam numeratorem quam denominatorem multiplica per ternarium, & novum denominatorem prodeuntem auge tot unitatibus, quot superat numerus foci desiderati numerum istum proxime minorem, & habetur fractio tribus integris adponen-

ponenda. v. g. Quæritur ad focum 50 pedum (supposita speculi convexitate unius pedis) semidiameter cavitatis terminandæ: hic autem in tabula non invenitur; sumatur ergo proxime minor, 49, cui respondet $3\frac{1}{16}$: hæc fractio adnexa $\frac{1}{16}$ ducatur in ternarium, sic habetur $\frac{3}{48}$, isti æqualis. Quia vero 50. superant unitate numerum 49, igitur denominator 48. etiam augetur unitate, ut itaque semidiameter respondens desiderata sit $3\frac{3}{49}$.

Problema II.

Ad numerum foci quemcunque (convexitate speculi pro unitate adsumta) semidiametrum concavitatis invenire, sine tabula adhibita.

Divide illum numerum per terminarium; si unitas remanet, sume illam pro numeratore fractionis adhærendæ & quotum pro denominatore. (E. g. Quæritur semidiameter cavitatis ad focum 430. *quotus erit* 143. *remanente unitate, adeoque semidiameter est* $3\frac{1}{143}$) *Quod si vero vel nihil, vel binarius remanserit; numeratorem adsume ternarium & numerum ipsa unitate minutum adhibe in locum denominatoris. V. C. ad focum* 431. *aut* 432. *semidiameter cavitatis esset* $3\frac{3}{430}$, aut $3\frac{3}{431}$.

Scholion I.

Cum aliunde jam constet, lentes vitreas ad rotunditatem sphæricam formatas, quo longiore sunt foco, eo majus quoque urendi spatium habere: igitur & in speculis observandum, ut, ne foci longitudine urendi vis debilitetur, eo latior speculi orbis qui majorem radiorum capiat copiam, eligatur.

Scho-

Scholion 2.

Quoniam etiam, quo major focus est, eo minor particula, majori denominatione expressa, terminatæ cavitatis semidiametro ultra semidiametri convexitatis triplum adhæret: in demonstrationibus autem dioptricis, ob variam vitri crassitiem, aut etiam pro diversa radiorum illabentium ab axe distantia, tanta non possit dari acribia: non equidem vadimonium præstiterim, focos ubique suis adpositis aut inventis semidiametris, in praxi absque omni aberratione convenire. Hinc e. g. vtrum $3\frac{1}{18}$. focum 49, an 50. semidiametrorum minorum accuratius conciliet, an vero $3\frac{3}{50}$ huic foco 50 respondeant magis (prout in Scholio citato indicavimns;) propriæ cuique experientiæ relinquimus. Siquidem etiam ex demonstrationibus de lentibus constat, radios parallelos, quo remotiores ab axe sunt, eo propius cum hoc uniri, quo autem propiores axi illabuntur, eo remotius concurrere. Quanquam in ipsa horum speculorum elaboratione occupatus multo adhuc majorem deprehenderit difficultatem, cum mensuram ad desideratum focum majorem pertinentem adsumere, & juxta eam scutellæ formam accuratam adcommodare voluerit. Idque vel maxime, quod modulus particularum toties variat, quoties alia Scutellæ forma requiritur in tabula. Quodsi quis tamen scalam constantem, sed in minutissimas partes, ut: 1000, distributam, ubique adhibere vellet: tum per regulam auream fractionem, adhærentem in suam communem denominationem & ad hanc alium numeratorem invenire poterit neglectis tamen minutiis. V. c. Si quis focum desideret 40, in tabula invenit

nit $3\frac{1}{13}$; sed fractio $\frac{1}{13}$, quæ est incommoda, immutari sic potest, si inferamus, ut 13 ad 1, ita 1000 ad numeratorem novum $\frac{77}{1000}$ quam proxime.

OBSERVATIO XCIII.

Du. M BONIF. HENR. EHRENBERGERI.

De

Deceptionibus opticis.

QUemadmodum animi cum verbis & signis convenientia, quam *veritatem* adpellamus *moralem*, palmarium hominis ad societatem nati ornamentum haud immerito habetur, ejusque studium, tamquam viri boni, cæterarum virtutum princeps est judicandum: ita e contrario sermonis, orationis, dicti & gestuum vanitas ac disconvenientia cum animi sententia conscientiaque, si qua illi homini est, h.e. *mendacium*, *impostura* ac *deceptio*, a sana mente præditis, nedum Christi nomen ore ferentibus, tamquam summum dedecus rejicitur ac damnatur. Quodsi enim hoc negari haud potest, hominis nomine dignum sapientiæ ac virtutum studio teneri, id quod in cognitione veri & boni atque conformitate mentis cum voluntate divina consistit; hæc autem a fraude, deceptione, impostura ac mendacio prorsus abhorret: sequitur, ut ingenia ejusmodi deceptionum studiosa ex numero hominis titulo dignorum, maxime vero eorum, qui Christi doctrinam profitentur, omnino exulent. Quid? quod etiam ethnici hoc genus hominum tamquam turpe agnoscunt atque a natura humana longe remotum esse volunt. Ita enim CICERO Offic. L. 1. c. 6. *Ex quatuor*, inquit, *locis*, *in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in ve-*

ri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam: Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere, pulcrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, & malum & turpe ducimus. Quodsi vero *decipi* & malum & turpe, ducendum, quando magis illud malum ac turpe immo turpissimum erit habendum, decipere? Cum illud contra voluntatem accidat, hoc cum voluntate ac proposito maxime sit conjunctum. Ex quibus intelligitur, deceptionem duplicis esse generis, nimirum vel ejus, cui imponitur aut verba dantur, vel istius, qui alteri fucum facit: hæc est agentium, illa patientium, hæc ex se emittit fallacias, illa recipit easdem, adeoque utrumque genus in diversis deprehenditur mentibus, quarum una imprudens ac sufficienti notitia destituta, altera dolo malo plena est. Attamen utrumque sæpissime genus in eodem animo eodemque temporis momento invenitur, atque exinde tertium deceptionis genus resultat, quo quis semet ipsum decipit, quamvis non intentione directa, ut loquuntur. Atque hæc per omnes fere disciplinas, tam superiorum, quas vocant, facultatum, quam inferiorum deambulat, & natales suos utplurimum debet neglectui litterarum, ex quo nil nisi turpis existit ignorantia, qua quis maxime semet ipsum solet decipere. Nobis hic loci potissimum adducere liceat *theologicam* & *philosophicam*, hancque vel *ethicam*, vel *politicam*, vel *logicam*, vel *naturalem*. *Theologicam* adpellamus eam, qua quis philautia inordinata ductus sibi persuadet, in via se salutis recte incedere, a qua tamen multis parasangis aberrans ad æternum sui exitium ferri se patitur. Estque hæc vel in sola doctrina salutis, vel in vita doctrinæ veræ haud respondente, vel in utraque simul.

 Tali

Tali modo semetipsum decipiebat angelus ille Ecclesiæ Laodicensis, divitem se, nec ullius rei indigentem dicens, neque sciens, se esse ærumnosum, & miserum, & pauperem, & coecum, & nudum. *Moralem* nominamus eam *sui deceptionem*, ubi homo ex defectu cognitionis sui ipsius, virtutibus se excellentiorem existimat, sicque in sapientiæ studio virtutumque non progreditur, sed retrograditur. Quod stultum genus hominum ubique deprehendas; & qui hac persuasione ducuntur juvenes, nihil proficiunt neque in litteris, neque in bonis moribus. *Politica sui ipsius deceptio* est frustratio consiliorum suorum, ex intermissione debitæ comparationis virium, circumstantiarum & causarum orta: ita vel intentioni ac spei haud respondeat eventus. Cujus deceptionis exemplum satis illustre dabat Absalon, Husæi, Aragitæ, consilium sequens, Ahitophelis sententia repudiata, II. Sam. XVII. Atque historia tam sacra, quam profana eorum similium exemplorum est refertissima. *Deceptio logica* est hallucinatio in argumentando, quam *Paralogismum* adpellant. *Naturalis* denique *deceptio*, quæ omnia humanorum sensuum organa adficit, quin immo per hæc ad sensum internum, in cerebro residentem, defertur, est ea, qua homo sibi videtur aliquid sentire sub hac vel illa ratione, quod tamen se non habet sic, idque vel propter corporis, potissimum organi, aut mentis morbum, vel ob im pressionem vehementiorem antea factam, vel aliarum extrinsecus accedentium circumstantiarū causa. Tametsi vero hæc deceptio naturalis per omnes sensus se diffundit: nulla tamen frequentior ac notior est *deceptione optica*, utpote cujus in opticis frequens fit mentio, quamque tam multi, tamque varii casus & exempla exhibent.

bent. Atque hæc eadem eſt, quam dignam habemus, de qua fuſius nunc agamus; non ea de cauſa, ut nobiliſſimæ huic diſciplinæ maculam adſpergamus ignominiæ, eamque deceptionum eſſe plenam demonſtremus, ſed ut ex ea pateat facilius, eas in rerum opticarum ignaro exiſtere: hincque mentem inſtruamus, quo tales evitare poſſint facilius. Tantum enim abeſt, ut optica deceptionum ſit plena, ut potius, quia viſus ſolus & ſibi relictus facile a vero aberrat, hæc viam monſtret ejusmodi erroribus occurrendi, mentemque a falſis opinionibus ex viſu ortis, purgandi. Sibi vero habeant opticarum rerum oſores, aut hujus ſcientiæ negligentes, ſi innumeris erroribus implicati, nunquam, aut aliquamdiu detenti, ſero ſapiunt, ut Phryges.

Cæterum inficias ire haud poſſumus, tantum harum deceptionum eſſe numerum, ut eum hic inire exacte, aut penitus exhaurire velle, plus audaciæ foret, quam facultatis. Sufficiat ergo nobis potiora genera, & quoad ſpatium chartæ concedet, adducere.

Deceptionem opticam, ſi ſtricte loqui velimus, adpellamus *operationem ſanæ alias mentis per viſum ſanum factam.* Hincque non omnes mentis aberrationes in rebus opticis, hic intelligi, facile adparet, ſed eas ſolum, quæ ſoli viſui ſano occurrunt: & tales quoque deceptiones non niſi latiori ſenſu opticas adpellari, quæ vel ex tubi optici nævo, vel ex aciei oculorum defectu, vel non ſufficienti induſtria adhibita contingunt, Qualis v. c. deceptio erat illa SCHYRLÆI præter Galilæanos alios quinque Jovis ſatellites exteriores, ac multo majores, novo teleſcopio obſervatos adſerentis, & in honorem Pontificis maximi, *ſidera Urban-Octaviana* nuncupantis; qui fixæ poſtea ſtel-

læ ſunt deprehenſi. Vid. *RICCIOLI Almag. nov.p.*489. & ex hoc *STURMII Phyſ.*Elect. *Tom. II.p.* 540. *ſq.* Excluduntur hic quoque illæ viſiones ſpectrorum, quæ vel imaginationi depravatæ, vel corruptis oculorum humoribus, aqueo præſertim, quales illuſtris olim THOMASIUS depinxit, tribui poſſent. Nec quoque nobis res erit cum ea deceptione, cujus meminit *SENECA*, *epiſtolarum quinquageſima*, de uxoris ſuæ ancilla, Harpaſte, quæ cum viſum inopinato amiſiſſet, quæſta eſſet de conclavium obſcuritate.

Propius autem ut ad ſcopum accedamus: liceat has a nobis indicandas deceptiones, per omnes quippe Opticæ partes ſeſe diffundentes, ſecundum easdem partes ordine conſiderare, Atque ita, quæ ad partem primam de viſione directa ſpectant, præmittere: Hæque ſunt varii generis, & vel ad *numerum*, vel *diſtantiam*, vel *motum*, vel *magnitudinem*, vel *figuram*, vel *ſitum*, vel *lucem*, *colorem*, ac *umbram* referri poſſunt.

De *numero* initium facientes hoc primo loco notamus: haud raro uſu venire, ut homines unam ordinarie rem binis oculis videntes, eandem cernant geminam, ita, ut niſi mens bene advertat, aut experientia aliunde conſtet, res in duplo vere adeſſe videatur. Atque hoc varia accidere poteſt ratione. Quodſi enim oculos uterque non ad idem objecti punctum dirigitur, tum radii medii & perpendiculares, qui *axes oculorum* audiunt, retro acti, mentem non ad eundem ducunt locum, adeoque alteruter oculos ejusdem rei imaginem non in medio oculi, ſive retinæ excipiens, etiam non ad idem punctum extra oculum refert, quo refertur ab altero. Cujus rei variæ exiſtere poſſunt cauſæ quæ tamen omnes in hoc congruunt, quod oculorum muſculi

ſculi ejusdem nominis ſuo non ſatisfaciant æqualiter officio in dirigendis iis ad idem objectum. Id quod fit vel oculi alterutrius ſuppreſſione, conf. *AGUJLONIUS Opt. p.* 346. vel terrore aliquo panico, vel ira vehementiori, vel ebrietate, vel tumore quodam. Hincque non ſtatim incantamento, aut artibus illicitis eſt adſcribendum, cum duplex aut triplex etiam damnati caput videt carnifex. Nimirum inconſtans muſculorum oculos trahentium operatio ex terrore orta, modo unum & verum quidem, modo duo ſimul falſa exhibet capita, inter quæ itaque medius locus electus carnificem non facile fallet. Vel, ſi oculis obverſantur duo objecta æque clara, alterum quidem propius, alterum remotius; axes autem oculorum, ſive lineæ rectæ ex oculorum centris ad objectum ductæ, ad propius collineant: tunc remotius geminum adparet, ita, ut oculo dextro dextram, ſiniſtro ſiniſtram videas imaginem. Contra, utroque oculo directo ad remotius, videbis objecti propioris geminatam quidem imaginem, ſed dextro oculo ſiniſtram & ſiniſtro dextram. Cujus phænomeni curioſi cauſa in Optica ſchematiſmo declaratur uberius, & diſputatione quoque publica ab illuſtri *Joh. Adolph. WEDELIO*, Conſiliario aulico & Jenenſium Hippocrate eſt expoſita.

E contrario autem plura objecta, præſertim remotiora, attamen a ſe disjuncta, magno etiam intervallo, ſed ita poſita, ut eorum extremitatum radii coincidant, ſicque in oculis connexas imagines gignant, videntur conjuncta. Atque ita lunæ ac ſtellarum concipiendæ ſunt conjunctiones, in oculis nimirum hominum ſolum contingentium, quas Aſtronomi in bonum, Aſtrologi vero in malum obſervare

ſolent

ſolent finem. Similiter lunam & ſtellas orientes aut occidentes cum montium cacuminibus aut extremitatibus horizontis noſtri connectimus, niſi aliunde melius edocti. Et ſol quoque, ut & ſtellæ omnes orientes ex mari adſurgere, & occidentes eidem immergi videntur mare præſertim adcolentibus. Ad quod deceptionis genus Poëtæ ſe accommodantes de ſolis occaſu dicere amant: *Solem occiduas ſubire aquas*, & de oriente: *qua alto ſe gurgite tollere ſolis equi ſolent*; ut & de plaga utraque:

Qua patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Et de Veneris ortu.

Qua vigil eois Lucifer exit aquis.

Atque ex hac connexione optica orta eſt praxis illa circa tabulas ſtriatas, ut vocant, occupata, qua in planis interciſis, ſtriatis, ſive ſcalaribus, plures imaginis alicujus partes ſeparatas, ſed e certo puncto oculi ſpectatoris conjunctas, ſicque redintegratam exhibentes imaginem videmus. Quod lepidum ſpectaculum ita poteſt adornari ac perfici, ut tres ſpectatorum eodem tempore in eademque tabula, ut adparet, ex locis tamen diverſis diverſas cernere picturas poſſint, id quod in opticis demonſtratur ad oculum. Sunt autem ejusmodi tabulæ vel *immobiles* inter ſe, vel *verſatiles*, quarum illæ vel unam ſolum, vel ſimul ex diverſis locis binas, vel tres, vel etiam 4. 5. aut 6. imagines exhibent; ſed verſatiles, etſi pauciores quoque imagines ſiſtere poſſint, tamen in eum componuntur finem, ut vel tres ex uno loco, vel 4, 6, 8, 10, vel plures etiam imagines ex duobus locis oppoſitis ſucceſſive repræſentent; de quibus, ut & de prioris generis ſpeciebus ultimis, nemo adhuc Opticorum,

quod

quod ſciam, neque litteris aliquid commendavit, neque inter curioſa optica ſpectandum exhibuit; uberius autem & ex inſtituto aliquando, Deo volente, & cum otium mihi fuerit, explicabitur. Quod vero ad priores ſpecies attinet; unam ſolum picturæ tabulam aut imaginem uno tempore atque ex uno loco ſiſtunt conſpiciendam priſmata triangularia lignea, maxime illa, quibus imago aëre compreſſa ita adglutinata eſt, ut unam ſingulorum ſuperficiem omnem imaginis unius pars occupet. Talia enim in plana aliqua ſuperficie diſponi aliter non poſſunt, niſi ut oculo ſpectatoris propiora propius, & remotiora remotius a ſe diſtent: Adeoque a regione ſpectator alius aliam ita adglutinatam imaginem recte connexam conſpicere haud poteſt: cum aliam requirat prismatum diſtantiam; niſi alia ratione ac majori diligentia pictura vel imago ſuperficiebus adverſis ſit inducta. Quod idem etiam de laminis erectis & earum utrisque ſuperficiebus eſt dicendum. Atque huc referri meretur ciſta illa artificialis oblonga, in qua imagunculæ, arte perſpectiva depictæ & chartæ ſpiſſiori adglutinatæ atque diligenter cultro exciſæ, poſt ſe invicem locantur ac firmantur, ut per foramen perſpicillo inſtructum & ſpeculum planum oblique ad 45 gradus oppoſitum introſpicientibus regio longiſſime extenſa & variis effigiebus plena repræſentetur. Quod ſi vero eadem ubique laminarum erectarum eſt intercapedo, & ſuperiores earum partes ex uno puncto viſibiles debitis inducuntur imaginis unius partibus: ex altera quoque parte ſuperficies alia pictura, eademque partium ejus ratione infici poſſunt. Imo tertia quoque accedere poteſt imago in fundo, aut intercapedine inter laminas ex tertio loco conſpicienda, ita ut ex tribus locis tres ſimul imagines diverſæ videantur. Quale artificium cernitur in æde primaria Suenofurtenſi, in una tabula, e regio-

ne suggestus suspensa, ubi tribus ex diversis locis singulæ divinitatis personæ ita adparent depictæ, ut inter suggestum & altare, sive ad dextram, intuentibus patris cœlestis super nube cyanea sedentis sola objiciatur imago, progredientibus autem hæc evanescat, & columbæ forma prodeat inter suggestum & tabulam hancce unice conspicua, quæ similiter ac patris imago oculis sensim subducitur pedem sinistrorsum promoventibus, donec in eadem tabula Salvatoris nostri super eadem nube sedentis ac dextra manu crucem tenentis compareat figura.

Unum adhuc experimentum ad numerum spectans hic liceat proferre, quo videlicet unius & simul illustris ac minuti objecti duplicem speciem nostris sistere oculis valemus. Instruamus chartam spissiorem, aut laminam quamdam binis foraminulis non longius a se distantibus, quam binorum hominis oculorum pupillæ; ponatur ista lamina vel charta inter oculos & objectum illustre & parum remotum, ut quilibet oculus per foramen sibi proximum prospiciat; & adparebit illud objectum ita geminatum, ut oculo dextro sinistra & sinistro dextra exhibeatur imago. Cujus rei caussa non alia esse videtur, quam, quod hæc duo foramina illustres excipientia & reddentia radios splendore suo ad se oculos faciunt intentos & dirigunt, cum tamen tantum distent, ut radii ex oculis per illa ducti in linea recta, post objectum illud lucidum demum concurrant. Itaque idem accidit oculis, ac si longius etiam distans objectum illis cum propiori simul objiceretur. Hincque eadem ratio quam in proxime præcedentibus paginis attulimus, hic obtinebit.

Missis deceptionibus numeri ad fallacias progredimur *distantiæ:* Ubi quidem evitare haud poterimus, quin simul magnitudinis & figuræ quædam occurrant considerandæ; quare

quare easdem ut conjungamus ipſa rei ratio ſuadet. Nimirum prout diſtantia eſt vel major, vel minor, res viſibilis quoque major vel minor adparet: ut difficile ſit, abſolutam rerum magnitudinem, ſive quantæ in ſe ſint, dijudicare. De corporibus quidem lucidis conſtat experientia, ea ê longinquo noctu nudis videri oculis majora, quam per chartæ aut laminæ exiguum foramen viſa. Quia radii lucidi, longiori aëris illuminati columnæ circumſperſi, ob reflexionem leviſſimam in particulis aëris, aut aqueis, in aëre volitantibus, factam, ad oculum ſimul pertingunt: hoc autem foraminulo radii ſpurii, objectum alias majus juſto repræſentantes, arcentur. Idem autem medium non ſufficit ad veram Veneris radiantis, vel Mercurii, figuram cognoſcendam, mentisque circa illam errorem per viſum ſeductæ corrigendum. Cum enim duo hi Phœbi ſatellites intimi dimidia ſui parte luminoſos ad nos repellunt radios, (ceu aſtrorum ſcrutatores per tubos vident) ſi in maxima fere a ſole abſunt elongatione, quin &, cum cornua monſtrant teleſcopia introſpicientibus: rotunda adparent viſui inermi, aut nudo foramine inſtructo, perinde ut ſtellæ fixæ & faces nocturnæ eminus conſpectæ. Cujus cauſa non oculi pupillæ rotunditas, ut STURMIO & ei ſuccinentibus aliis viſum eſt; ſic enim objecta omnia rotunda ut adparerent, eſſet neceſſe: Sed potius nimia ab oculo diſtantia, qua figuras haud amplius diſtincte dignoſcere valemus. Neque tamen Venerem omnesque ſive fixas, ſive erraticas ſtellas ut prorſus rotundas nudis utentes oculis cognoſcimus, ſed radiis circumcirca e medio excurrentibus, rotularum inſtar dentibus longioribus aut ſcytalis cuſpidatis inſtructarum, cinctas. Quæ figura adparens & nata exinde opinio tam altas in hominum animis radices egit, ut,

aſtra absque radioſa illa figura ne pingi quidem unquam ſciamus. Cum tamen, ſi per tubos cognoſcantur, nulli radii tales, quaquaverſum diſperſi adpareant, qui alioquin, ſi illis competerent, multo magis oculis conſpicerentur armatis. Unde haud difficulter intelligitur, illam radiorum adparentiam ex deceptione quadam provenire: id quod inde firmatur, quod etiam alia fortia lumina, aſt exigua, v. g. gemmæ probe politæ, oculo in obſcuris locato, aut etiam faces eminus noctu conſpectæ, ejusmodi radios ſpargunt, de quarum tamen figura ſatis nobis conſtat. Cauſa igitur hujus deceptionis in oculo eſt quærenda, & recte a SCHEINERO ac STURMIO tribuitur proceſſui ciliari ac pupillæ amplitudini, cujus quippe dilatatione fit, ut radii per proceſſum ciliarem lapſi imagini in retina ejusmodi quaſi ſcytalas acuminatas adnectant.

Faces tamen ex remoto loco viſæ etiam hac de cauſa noctu ſimul majores ſiſtuntur oculis, ſuamque figuram pyramidalem, qua in vicinia præditæ cognoſcuntur, deponunt: quod aër illas proxime ambiens nimium illuminatus radios itidem de ſe ſpargit, ut e longinquo ab ipſa luce diſcerni haud queat. Alias vero eædem res in propinquis adparent & majores & clariores, quam in remotis, & quo ſunt remotiores, eo minores pariter & obſcuriores ſe exhibent. Et idcirco luna plena vulgi opinione, aut errore potius, orbiculo plano, quo in menſa utuntur, aut ad ſummum aratri rotæ habetur æqualis, cujus tamen latitudo transverſa a 494 milliaribus germanicis non multum diſcrepet: utpote quæ menſura Aſtronomorum regulis convenire, demonſtrari Aſtrophilis facile poteſt, ac in Aſtronomia ex principiis geometricis ſolet.

Exinde quoque eſt, quod ob nimiam ab oculo diſtan-

tiam

tiam objectum in se opacum, ut ut radiis solaribus satis collustratum, vel quoad figuram suam, vel quoad colorum diversitatem haud satis distincte cognoscamus. Hinc ex luna rotunda maculis tam antiquis, quam novis consperfa, ab imperita multitudine formatur discus planus cui insedit, nescio, quis virunculus fasciculum tenens farmentorum. Nec arcem e longinquo in unius vel plurium milliarium distantia visam discernere recte valemus, anguloso an rotundo circumdata sit muro. Hancque deceptionem boni imitantur pictores, res tamquam e longinquo spectandas non minori solum forma, sed obscurioribus etiam coloribus depingentes. Atque ex eo erat, quod Gaal a Sebulo, Judic. IV. 36. persuaderi sibi patiebatur, ut milites cum Abimelecho contra se adventantes initio aliquamdiu opinatus sit, montium esse umbras. Cujus phœnomeni uberiorem dedit explicationem celeberr. *Jo. Bernh. WIDEBURGIUS in Mathes. bibl. Specim. III. p. 22. sqq.*

Aliud ad *distantiæ fallacias* spectans phænomenon, hic omittendum haud est: ex diversis scilicet observantium locis idem objectum ad longe dissita relatum non cernitur eodem loco, sed ad diversa refertur a diversis, & quo propius est objectum, eo major erit istorum locorum, quo refertur, differentia. Atque huc referenda est scala illa præclara Astronomorum, *parallaxis* dicta, qua cœlum adscendunt, h. e. planetarum â terra & inter se distantias inveniunt, ex quibus eorumque diametris adparentibus veram porro eorum eliciunt magnitudinem.

Ad eandem classem & hoc pertinet, quod longissime remota compluria, quamquam æqualem a nobis distantiam non habeant, tamen æqualiter abesse videantur. Quia oculus in eis videndis singulis non aliam sui requirit dispositionem

tionem, ſed ſingulorum objectorum æque clara in retina datur imago. Inde eſt, quod ſtellæ cum planetis in eadem cœli ſuperficie hærere vulgo creduntur, & ſoli in eclipſibus ab imperitis tribuitur obſcuratio, cum luna eum nobis abripiens ac intercipiens longe ſatis ab eo ſit remota.

Plura de hoc deceptionis genere non adderemus, niſi & hunc mentis errorem hic recordaremur, quo lunæ & ſolis diſcum orientem aut occidentem multo eſſe majorem, arbitramur, quam cum eadem luminaria ſupra horizontem adſcenderunt altius. Idemque de integris etiam aſteriſmis eſt obſervandum. Sic adſcendens vel deſcendens pulcrum Leonis vel Orionis ſitus non procul a finitore multo diſtractius adparet, quam circa meridianum ſpectatum. Quod quidem Opticorum doctrinæ ê diametro adverſari videtur, qua res eædem minores viſæ remotiores eſſe cenſentur & majores contra judicantur propiores. Stellas enim in horizontis margine viſas revera a nobis abeſſe longius ſecundum rigorem geometricum, quam cum in medio cœlo ſunt conſpicandæ, extra omne eſt dubium. Accedit quod propter refractionem horizontalem majorem ac ſucceſſive, quo altiores fiunt, decreſcentem, quoad elevationes ſaltem propiores potius ſibi adparenter reddantur. Unde etiam ellipticam figuram referentia hæc luminaria oriuntur & occidunt. Quæ igitur hujus phœnomeni cauſa ſit, præ cæteris omnium proxime videtur attigiſſe *STURMIUS in Phyſ. elect. Tom. II. p.* 817. rationem ex eo petens: *Quod ſphæræ valde humilis non niſi parvum ſegmentum in hac terræ ſuperficie conſpicuum habeamus, & ſpecies cœleſtium per illud in oculos noſtros transmiſſas recipiamus, quæ cum circa horizontem majorem multo ſegmenti illius partem, quam circa verticem occupent, (id quod ſchematiſmo reddit magis perſpicu-*

ſpicuum) cum ipſæ in cælis eandem habeant magnitudinem, ſimiliterque eædem (ad ſenſum) diſtantiæ ſtellarum circa horizontem arcum multo majorem, quam prope verticem comprehendant. Quo eodem nititur fundamento hujus paradoxi veritas: *Quo ſtella eſt a nobis remotior, hoc adparet major.* Conf. *DEYLINGII* Diſſ. *de mente viſu errante.* §. *X.*

Denique longe a nobis diſtans & potiſſimum majoris molis objectum, v.g. luna, adparet nobiscum in eandem plagam progredi, cum illud præterire ac a latere relinquere nitamur: qui motus adpellatur *translationis.* Sic longe quoque a nobis diſſitæ arbores, (maxime, ſi plures adfuerint intermediæ nobis multo propiores,) aliquamdiu nobiscum via parallela progredi videntur. Quod lineæ rectæ a nobis ad objecta remota ductæ pro parallelis ad ſenſum habentur. Sed hoc idem phænomenon pari jure ad deceptiones *motus* referri quoque poſſet: de quibus ut nunc etiam porro agamus, ſtrictim tamen, inſtituti ratio poſtulat. Hæ, quo frequentius obſervatu ſunt proclives, eo majorem, detecta earum ratione, progignunt utilitatem maxime in Aſtronomia longius progreſſuris.

Caſus autem potiores ſint ſequentes: Si quis navi, traha, curru fertur, & magis ad littora vel viæ marginem aliasve res adſtantes, quam ad ſe ipſum attendit; multo autem potius, ſi vel placide, vel inſcius movetur: is tribuet motum littori, viæ, aut rebus occurrentibus, quibus obviam provehitur, plane adverſum, ita, ut etiamſi longe aliter mente ſit perſuaſus, ſermone certe plerumque utatur ad iſtam adparentiam adcommodato. Sicuti nautæ de urbibus, promontoriis, aliisve rebus, quibus in occurſum ferun-

feruntur, aut quas prætervehentur, loqui communiter amant: istas sibi venire obviam. Cujus phænomeni ratio non nisi in mutatione imaginis in oculi fundo successive facta, cui mens non debita diligentia attendit, consistit. Qua ex ratione motus cœli diurnus, sive communis a Copernicanis & Cartesianis telluri tributus intelligitur quam facillime. Vulgus quippe motum terræ vorticosum & æquabilem, intra viginti quatuor horas primi mobilis circa centrum suum ab occasu in ortum peractum, non advertens, attribuit stellis, ut sibi ab ortu versus occasum moveri videantur.

Nec raro accidit, ut lunæ per nubes transparenti motus nubibus contrarius ac velocissimus quidem adsignetur, si quis magis ad nubes oculos dirigit, quam ad lunam, videtque hanc successive alium atque alium in nubibus locum occupare: quod tamen attendens animum penitius corrigit facillime.

Alius circa motum casus esto hic: Si quis immotus attendit ad motum duorum inæqualiter distantium objectorum, at æqualiter tamen motorum: tum propiori celeriorem tribuet progressum, remotiori tardiorem. Id quod ex distantiarum fallacia, qua remotiora spatia adparent minora, facile intelligitur. Quodsi quis vero plura simul objecta prætervehitur, v. c. arbores in eadem linea, at inæqualiter a se distantes, & attendit ad longissime distantem.

Omnes præter hanc adparebunt retroire ab hac & eo quidem minora retrogradationis spatia conficere, quo sunt aspectatore remotiores. Idem fere, ast minori gradu, obtinebitur, si

si quis res etiam ad eandem plagam, ſed tardius motas, prætervehitur: tunc enim illæ ad extremum quoddam punctum relatæ retroire videntur, niſi motorum objectorum ſpatia ad ſingulorum ab extremo diſtantiam eandem habeant rationem. Nam hoc in caſu objecta illa intermedia ſtetiſſe judicabuntur a mente non ſatis attendente, ſicuti & ſtare adparent ea, quæ ex loco valde remoto directe ad nos propius adcedunt, ita, ut nihil aliud viſibile intercedat, quod præterire videatur, & tunc talia magnitudine ſua adparente augentur, quemadmodum ea, quæ recta linea circiter a nobis magis magisque recedunt, minui videntur, niſi ſimul creſcente magnitudine, lumine ad nos converſo decreſcant, aut decreſcente illa, hoc augeantur. Id quod ad planetarum motum facilius probandum & ad magnitudinis adparentis varietatem felicius explicandam multum præſtabit utilitatis. Siquidem & hæc ad præcedentia phœnomena ad cœli & planetarum ſyſtemata adplicata multum luminis conferunt & argumenta ſubminiſtrabunt inquiſituris, a quorum hypotheſium aſtronomicarum partibus magis ſtet veritas ac evidentia. Maxime autem Copernicano ſyſtemati addicti planetarum motum inæqualem, *directionis* nimirum, *ſtationis* & *retrogradationis*, (quem Tychonici haud quidem inficiari, neque tamen ex principiis naturalibus deducere ac ſolvere valent,) adeo feliciter ac ſumma cum evidentia ex iſtis motus phænomenis expediunt, tamque apte ac congruenter ad oculum monſtrant, ut ſummum probabilitatis gradum obtinuerit hæc hypotheſis, quam inviſis etiam oculis eam adſpiciant adverſarii.

Ad *motus* quoque *fallacias ſtellarum cadentium*, ut vocantur, phœnomena liceat referre. Quamquam enim verum hic adeſſe motum non negamus: talis tamen non eſt, qualis adparet, nec ibi locorum, quo vulgus eum exoriri credit. Etenim hæ ita dictæ ſtellæ cadentes, aut potius fu-

mus oblongus in superiori parte motu vel calore accensus etiamsi ad inferiora, oblique quidem, vergat, tamen in cœlo promoveri, & longissima spatia uno temporis momento & oculi ictu emetiri videtur. Atque ejusmodi trajectionem, aut motum, oblique a spectatoribus visam oculus stellis tribuit, cum sit in aëre nostro ejusque regione fere infima. Sed quia ab oculis nostris satis longe adhuc remotus, nec illum inter & stellas aliud visibile intercedit, discernere sensu a stellarum fixarum loco haud valemus.

Eodem loco reponendum & hoc (quod classi quoque *fallaciarum situs* adcommodari posset) si quis, per exiguum chartæ aut laminæ, oculo proxime admotæ, foramen prospiciens, aliam, oculum inter & foramen, laminam sursum, deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum lento motu obducat: videbuntur objecta per foramen visa motu contrario tegi. Quodsi vero laminam illam extrinsecus foramen præterire facias, eodem motu eandem videbis promoveri, quo fertur. Cujus rei ratio est hæc: Quod radii ab objectorum extremitatibus illapsi in foramine se mutuo secantes invertuntur, sicque illi, qui ante laminam perforatam erant superiores, post transitum fiunt inferiores, quique a dextris venerunt partibus, nunc sinistri evadunt, & vice versa: adeoque inter foramen & oculum inversi isti radii primum ac sensim subsequentes a lamina intrinsecus promota intercipiuntur, & oculus ad objectum extrorsum directus, non potest non, inverso modo objectum successive tegi, deprehendere: Id quod vero extra laminam perforatam ideo non obtinebit, quod ibi radii nondum sunt inversi.

Quoniam autem præcedens phænomenon ad situs quoque fallacias referri posse dixi, cum laminæ interioris & motum & situm inversum exhibeat: igitur ad *situs fallacias* jam adpulsi de iis uberius inquirere haud pigrabimur; ubi

ubi tamen figurarum ſimul fallaces repræſentationes non excludemus. Atque huc ſpectat ſequens experientia conſtans: quod oblique ante oculos poſita ſiſtantur oculis abbreviata, & eo quidem magis, quo maior eſt obliquitas; idque ob minorem angulum viſorium, minoremque in oculi fundo natam imaginem. Exinde igitur eſt, quod circulus, aut annulus oblique ad oculos poſitus adpareat ellipticus, & ellipſis oblique juxta longitudinem ſpectata exhibere poſſit figuram circuli; Quadratam figuram dabit trapezii, & trapezium, certo ſitu debitaque longitudine præditum, figuram refert quadrati; & quæ ſunt hujus generis figurarum commutationes aliæ quamplurimæ. Ex quibus facile intelligitur ratio, cur annulus Saturni nunc magis, nunc minus ellipticus cernatur, & tamen habeatur perfecte circularis: quia ſitus ejus ad ſpectatoris oculum, ob orbitarum Saturni ac Telluris ad ſe invicem obliquitatem eſt diverſus. Quod autem nonnunquam ſine annulo adparet, exinde eſt: quia viſui noſtro annuli margo, radiis ſolaribus haud ſatis diſtinctus, obvertitur. Corpora tamen cœleſtia omnia lumine plena ideo ſemper rotundam exhibent figuram, quia non diſci plani forma prædita, ſed ſphærica, h. e. talia corpora ſunt, quæ, quacunque parte adſpicias, circularem objiciunt ambitum.

Sed ut ad obliquum ſuperficierum planarum adſpectum redeamus: imagines rerum vehementer, attamen ſecundum proportionem debitam, diſtractæ e certo puncto, oblique ad picturam adſumto, conſueta figura adparent. Cui fundamento anamorphoſes opticæ, ſive in plano, ſive in conorum, ſive in pyramidum, vel interna, vel externa ſuperficie diſtractæ & ê certo oculi puncto reſtituendæ, nituntur.

Ad eandem fallaciarum claſſem referri & hoc poteſt: quod plana horizontalia, oculo altiora, quo longius ſunt

extenſa, quoque magis a nobis recedunt, eo depreſſiore ſitu incurrunt in oculos. Contra, quæ infra nos horizonti parallela, & quo longiora, eo altius adſurgere videntur. Conſimili quoque ratione parietes erecti & æqualiter ubique a ſe diſtantes, ſed oblique oculis oppoſiti, quo magis elongantur, eo propius ad ſe accedere adparent oculis circa medium introſpicientibus, & ita quidem, ut in infinitum continuati e regione oculi ſpectatoris ſint concurſuri. Quæ & ſimilia boni pictores in arte perſpectiva probe obſervare & imitari didicerunt, qua in ſuperficiebus non ſolum planis, ſed quacunque etiam forma præditis, res ita delineent ac adumbrent, ut mentem non advertentes vere adeſſe credant. Nimirum, quæ tamquam magis remota ſunt exhibenda ſimulque altiora, iſta inferiore quidem loco, at ſupra oculi punctum locata delineant, ac, pro diſtantia, forma etiam minore: quæ vero infra oculum & in horizontali ſuperficie longius a nobis abeſſe credenda ſunt, altiore paulo, attamen infra oculi punctum, ſimulque minore & contractiore forma, depingunt, ſuisque coloribus ac umbris, pro luminis ratione locoque diſtinguunt.

Quemadmodum vero circa rerum ſitum dijudicandum viſus noſter multipliciter hallucinatur: ita hoc idem obſervari meretur in adparentia *iridis*, utpote quæ cum ad nubes referatur, non tamen in nubibus ipſis & qua talibus, ſed in nube quadam rorante guttulasque per aërem lente demittente, vel potius in aëre roſcido, multisque guttulis repleto excipi & intuentibus oſtendi, ſatis inde videtur, immo evidenter evincitur, quod vel alterutro, vel utroque etiam ſæpius crure in terræ planitiem usque extendatur, & ante montes, turres, arbores, in aëre ſpectetur. Nec leviter impingit imperita multitudo, quæ putat, unam eandemque iridem ab omnibus ſpectari obſervatoribus: cum dextrorſum vel ſiniſtrorſum progredientes, alio plane a priori loco

loco iridem conſpiciant. Plura hac de re hic proferre nihil attinet; cum in hoc meteoro emphatico conſiderando eruditorum complurium, *Sturmiorum* ſcilicet, *Hambergerorum*, *Schmidiorum* aliorumque ſtudia in promtu ſint, & infra quoque circa fallacias dioptricas uberior ſit occurſura mentio.

Nobis properandum potius eſt ad deceptionis genus aliud, quod in *coloribus* ſe exerit, quodque ægerrime omnium evitatur, idque vel ideo, quia mens ſibi non facile videtur decipi, ſed iſtud pro vere exiſtente agnoſcit. Nimirum nigrum colorem videre nobis videmur, cum nihil prorſus adeſt neque ob oculos, neque in oculis poſitum. Sicuti enim maxima radiorum lucidorum copia ſummam gignit albedinem, ita e contrario omnis radiorum defectus non niſi tenebras denſiſſimas, nigredinem repræſentantes, tamquam oppoſitum albedinis, producit. Color quoque cœli cœruleus, interdiu, cum ſudum eſt, ab omnibus ſanis conſpicitur oculis. Quid vero eſt, quod hoc colore ſapphirino tingitur? non cœlum ſupra aërem expanſum; cujus ſubtiliſſima ac pellucidiſſima aura nullos excipiens, nec repellens radios ad oculos noſtros, nigrum nobis ſiſtat colorem, neceſſe eſt: non aër ipſe, qui quantum radiorum ſolis recipit, in tantum nanciſcitur alborem, ſed tamen pellucidum. Adeoque hocce lumen debile cum transparente cœli nigredine viſum in oculis cœruleum gignit colorem, per ſe quidem minime exiſtentem. Atque eodem referri omnis meretur reliquus in nubibus color adparens, quem *emphaticum* adpellant a materiali vulgo diverſum habitum, ſive rubens iſte ſit, ſive flavus, ſive quem iridis quoque arcus elegantiſſimus exhibet diverſim. Quos ſingulos ex diverſa lucis & tenebrarum mixtura majorique vel minori radiorum lucidorum in oculos noſtros miſſorum fortitudine aut debilitate oriri, Mathematicorum pariter ac

Phyſicorum probabilior, & experimentis non veterum ſolum, ſed & recentiorum, horumque quam maxime nobilium, quos inter *Robertum BOYLEUM* præſertim nominare liceat, comprobata eſt ſententia.

Neque etiam colores materiales & corporei, quibus corpora naturalia & vegetabilia induuntur, omni ſemper deceptione vacant, ſed juxta ſe invicem poſiti alius alium ſæpe vincit, ut ê longinquo ſpectati non omnes ac ſinguli ſimul, ſed unus ſolum ac potior adpareat, aut miſtura colorum fere æqualiter facta, tertius ac intermedius quidam gignatur. Nimirum, quemadmodum lumen majus officit minori, ut hoc vel plane non, vel non ſatis diſtincte cernatur: color quoque potior, magis quippe movens retinam, majori radiorum copia diſtinctiorem gignit imaginem, ad quam ſenſus internus maxime ſit intentus. Hinc pratorum non nimium floribus ornatorum, ê longinquo ſpectatorum, color, niſi nimius ſolis ſplendor albedinem monſtret, viridis cernitur, & ager rapicio ſemine frequens, dum floret, flavum induit colorem. Atque exinde regio Alſtadienſis in palatinatu Saxonico *aurei tractus* nomen (*der güldnen Aue*) obtinuiſſe creditur, quod campus ibidem floribus ejus ſeminis quotannis inprimis videtur ornatus.

Quo ſpectat etiam omne circa umbram, quo ignari falluntur, ludicrum, dum ei figuram pariter ac motum corporis ſui, cui adhærere, quodque comitari creditur, tribuunt. Cum tamen umbra nihil ſit aliud, quam abſentia, ſeu *privatio* luminis. Quis vero rei abſenti præſentes adfectiones veras tribuat? Umbra certe vere non habet figuram, ſed circumſtans lumen in umbræ termino illam efficit. Nec etiam movetur, ſed aliud atque aliud ſucceſſive ſpatium, a tergo corporis luci oppoſito, ad planitiem, aut terram, in qua umbra terminatur, extenſum, lumine privatur.

Umbræ

Umbræ opponitur *lumen* & *lux*, circa quæ non raro oritur unum alterumve phœnomenon, quod opticarum rerum, & oculi potissimum fabricæ ignaros detinet suspensos, cui maxime causæ istud attribuant. V. c. obvium est iis quotidie, qui luce diurna cellas intrant, & initio crassas subire tenebras sibi videntur, aliquantulum vero temporis in cella commorati, omnia discretim cognoscere occipiunt. At vero ex eo loco, præsertim subito, se conferentes, tanto lumine se circumfusos vident, ut ipsorum oculi ferendo non sint, sed nisi manibus tegantur, aut subinde claudantur, dolorem sentiant non levem. Cujus rei causam *ZAHNIUS* (x) adfert satis obscuram, retinæ spiritus, nescio quos, supponens, qui imbuti dicuntur lucis specie, dum quis cellam ingreditur. At, ut sine ambage veram adducamus causam, ea in nostra pupilla est quærenda, quæ fortiori lumine sensim in minorem contrahitur aperturam circularem, debiliori autem dilatatur. Oculus igitur ex lumine diurno, quo is pupillam habet contractam, translatus in locum minus illuminatum, initio non capit radios sufficientes, in retina sensum ac nervum opticum, ut antea factum, afficientes, donec dilatetur successive. Ubi tunc per majorem radiorum illabentium copiam omnia, quæ circumstant, in retina pinguntur distinctius, ut a se invicem discerni possint quam facillime. At vero eadem pupilla nunc distracta, & ex tenebris in diem translata, nimis magnam jam recipit radiorum luminis copiam, quæ subtilia retinæ filamenta nimium collustrat ac vehementius movet, pari ratione, qua lumen fortius solet: hincque aër, etsi a sole directe non illustratus, magis tamen habetur luminosus, donec pupilla rursus sensim contracta lumen denuo immittat moderatum.

Aliud

(x) Ocul. artif. Fund. I. Syntagm. II. qu. 12. pag. 144.

Aliud vero quosdam vexat phaenomenon, qui a candela, aut lampade, vel alio puncto fortiter radiante longius absunt, & oculis conniventibus dimidiumque clausis, vel somno plenis, flammam intuentur: his videntur aliquot radii luminosi sursum & deorsum in magnam longitudinem se extendentes ex luce erumpere, & vel ad ipsos usque pervenire: oculis autem omnino apertis hi radii plane cessant, ut nihil amplius adpareat. Atque hoc maxime simul attendendum est in hac experientia: quod si palpebras superiores removeas sursum, radii evanescunt deorsum extensi, si inferiores palpebras deprimas, sursum protracti abeunt in nihilum. Cujus phoenomini causa unde derivari commodissime possit, ex *DECHALIO* & *ZAHNIO* addiscere licebit. Et si *BRIGGIUS* in *Ophthalmographia cap.* 3. aliam, sed non tam congruam, adferat rationem, quam & *ZAHNIUS* adducit, neque tamen suam facit. Vera autem causa huc redeat: Dum, pupilla existente ampliore, palpebrae tantisper connivent, cilia, praesertim somno magis madida, pupillae adplicantur, ut per reflexionem in ciliis factam videatur fax, aut punctum radians, radios ad oculum projicere, quae reflexio cum fiat in pilis, nullam fere latitudinem obtinentibus, necessarium est, ut fiat tantum in longitudinem. Quod autem radii sursum extensi evanescunt, palpebra inferiore depressa, & deorsum propagati longius, cessant, elevata palpebra superiore, inde est: Quod cilia superiora deorsum inclinata radios reflexos sursum projiciunt in oculos, & cilia inferiora adducta reflectunt radios deorsum, ut sic lucida pilorum imago, aut potius radii lucidi inverso modo in oculi fundo pingantur, quos radios inversos mens prosequi solet extrorsum, & sic faculae aut puncto lucenti perverso modo tribuit.

Aliud adhuc, quamvis in vulgus quoque notum, phaenomenon intactum heic relinquere haud possum, dum lucis commemoro deceptiones. Experientia nimirum testatur,

tur, oculum concussum sibi videri scintillas emittere. Cui addere liceat, quod *CLAUBERGIUS, Operum philosoph. Part. II. Exercit. LXXXVI.* de oculo vulnerato, *pag.* 740. scribit: *Cujus oculus*, inquiens, *vulnere læditur, is videtur sibi infinitas ignium & fulgurum vibrationes cernere, licet oculos clausos habeat, aut in obscuro conclavi commoretur.* Hujus autem experientiæ causam non celat, sed statim, quæ sentiat cum *CARTESIO* suo, subnectit: *Sensum illum non alii rei, quam agitationis vehementiæ, capillamenta nervi optici*, (addere nobis liceat, tunicæ tenuissimæ, retinæ,) *violenti luminis instar, moventis, esse imputandum.* Adhæc addit etiam *CLAUBERGIUS: si solem aliudve lumen valde fulgidum obstinati contuemur, illa impressio etiam aliquando post in oculis perdurat, adeo, ut licet postea claudantur; varios tamen colores nobis videamur videre: quod non aliunde est, quam quod capillamenta nervi optici*, (quæ vero in retinæ fibris subtilissimis jam radices egerunt, ibique diffusa sunt,) *solito magis concussa, non tam subito recidant, quam alias, verum post oculos clausos adhuc palpitent & quasi contremiscant.*

Attamen, quod ad illud, de scintillis in oculo percussione excitatis, experimentum attinet: de ratione, *CARTESIO* & ejus defensori *CLAUBERGIO* probata, quæ *PLEMBIO* in *Ophthalmogr.* ridiculo est, etiam *ZAHNIUS* contentus haud est, adeoque aliam, & eam suo judicio meliorem, adfert: Ejusmodi lucularum ignearum adparitionem ex spirituum, potissimum qui ad iridem tunicam, per ciliares processus devehuntur, excitato per violentam percussionem disturbio, originem trahere. Cujus rationis explicationem uberius prosequitur in suo *Oculo artif.* (*) Quam equidem non improbo, cum priori tamen stare posse, facile concedo: Tametsi genuinum scintillationes istas excitandi modum,

(*) Fundamenti I. Syntagm. II. Cap. XV. Quæst. IV. pag. 139. seq.

quem *Jo. KEPPLERUS* (**) describit, iridis tamquam tunicæ lævis & rigidæ, attritu illas excitari, plene ut felium hirsuta terga atque etiam hominum capilli recens secti attritu scintillare soleant, non æque omnes mente satis concipere possint; cum oculorum scintillationes sint internæ ac in humoribus, præsertim aqueo, ut *KEPPLERUS* sentit, contingentes, hæ autem externæ & in aliorum visum incurrentes.

Ex hac tamen quæstione in aliam incidimus de scintillatione stellarum tam fixarum, quam erraticarum, quæ licet omnes, præter lunam, utut non uno modo, scintillent, tamen scintillationes fixarum esse vivaciores, ex ipsa experientia constat. Quemadmodum & hic ad experientiam provocare liceat, quod etiam inter stellas fixas scintillationis differentia observabilis sit. Rationem ab *ARISTOTELE* adductam non moramur, cum ob debilitatem visus in remotis, non dari caussa posset, cur non omnes stellæ fixæ æque cernerentur titubare. Neque etiam *CARDANO* in totum subscribimus, *de subtilit. lib. 3. p.* 129. Qui sicut lapilli in imo fontis tremere videntur, ob motum fluentis aquæ, ita illæ titubare videantur, ob id cum aër moveatur. Aura nimirum illa subtilis non efficiet ullam scintillationem, cum nullos excipiat radios, sed liberrimum sinat transitum: aërem autem nostrum aliquam, sed non omnem, efficere posse, vel ideo credimus, quod alias nulla adferri ratio posset, cur huic plus, isti autem minus scintillationis competat. Interim tamen & *Jul. Cæs SCALIGER. de subtilit. exercit. LXIII.* non habet, cur tantula in re tam immensum judicium suum suæ oblitum esse magnitudinis, dicat, quod ipse motum primi mobilis, sub quo ferantur omnes fixæ, & planetarum magis tremulum, compositum ex motibus duobus

(**) Paralipom. in Vitell. Cap. V. pag. 165.

bus contrariis, putet esse scintillationis causam: id quod defendet minime, siquidem omnium omnino stellarum motum & scintillationem æqualem exinde adstruere deberet, contra omnem tamen experientiam. Atque hinc motum potius vaporum irrequietum dici posse aliquam scintillationis causam, quia circa horizontem major sit scintillatio, quam in altitudine aliqua supra horizontem. Sed tamen hæc causa non sufficit, hinc probabile etiam dicitur a *ZAHNIO*, hanc scintillationem stellarum oriri a circumvolutione earum circa propriam axem, ex qua fit, ut alias atque alias partes angulosas ad visum obvertant. Alii denique addere soleant (addit *ZAHNIUS*) in sole & in stellis fixis motum systoles & diastoles, de quo videri queant recentiores Astronomi: sed viderem adplicationem. Omnium optime hac in parte putare *KEPPLERUS* videtur, qui omnino cre-„ dibile est, ait, incensa esse sidera ab insita vi, non minus „ atque solem, & consentit, quæ de impuritate ipsorum „ materiæ dixi, vel adspectus ipse, si paulo diligentius in-„ tuearis, profecto nullum lumen plane sincerum est. Ad-„ paret ex Saturni cineritio colore exigua quædam purpu-„ ra, ex Jovis gratissimo fulgore rubedo nonnulla, ceu fu-„ mus per ignem, id clarissime in Venere. Sic canis & „ Arturi stellæ, maxime canis, omnes successive colores „ iridis induunt. Frustra sunt, qui hæc omnia putant ab „ oculi fallacia, ab aëris inconstantia provenire. Nam cur „ non omnium siderum æque distantium eadem est ratio „ scintillationis? cur colores exhibet Arturus, rubeus ipse „ potissimum, magis vero canis, cujus est crystallinus co-„ lor potior, cur hic acutiores micationes ciet Arturo, cur „ longiores? Et cur cor scorpii adeo celeres, oculus tauri „ adeo tardos? prunam sub cinere vigentem te cernere di-„ ceres, &c. Denique experimentis ocularibus adstruitur „ Planetis scintillatio, ab aliqua vel interna corporis altera-„

 tione

„ tione perpetua & continenti, quam quasi paroxysmos di-
„ xeris, vel ab externa corporis convolutione, quæ Tycho-
„ ni in progymnasmatibus placuit, partiumque & superficie-
„ rum, aliarum post alias explicatione proveniens.

Denique & irides sive coronæ, quæ circa candelas ardentes & lucernas observantur, in censum opticorum venire solent, unde nimirum proveniant? An in oculis solum hæ contingant ludificationes, an vero ipsam flammam ambiat revera aliquid tale, quod iridem, sive coronam efficiat, aut exhibeat. Ultimum hocce vel ideo creditur, quod aër humidus eo tempore esse soleat, ideoque & *ARISTOTELEM* & *Annæum SENECAM* easdem coronas in vapido balneorum aëre adparere attestatum, adquisivit patronum. Alii autem e contrario adserunt, in ipsis oculis gigni has coronas lucernarum, quod ii hujusmodi frequentius videant, qui recenter a somno surgere soleant, & suffusos oculos habeant; detersis etenim oculis, eas coronas cernere amplius haud possint. Id quod tamen non ubique obtinet, dum etiam oculis detersis aliquando corona adpareat; hinc utrumque simul stare posse judicamus, nimirum & aëri vapido, & oculis ipsis, simul est adscribendum & maxime aëri vapido. Nam ita advertere licet, cum aër valde est vapidus & crassus, præsertim flante per hiemem vento quodam meridionali, quod tunc coronas illas luculentiores cernere liceat, & certum etiam humiditatis in aëre signum tunc habendum, nec oculis detersis eodem tempore coronæ istæ evanuerant.

Cæterum lumen forte, e. g. solis in retina aliquamdiu retinetur, & oculis etiam a sole aversis non statim evanescit iterum, immo si diutius justo intuiti simus solem, unam vel plures imagines, aut potius nigricantes in pariete observamus maculas, quæ, si nondum prorsus nigras deprehendimus, tandem ægre quidem evanescunt. Neque enim hæc macu-

macula, aut hæ maculæ plures, ſunt in objecto, ſed in oculo, nimium iſto exquiſito lumine diutius ſpectato, labefactato, ita ut in retina ſit motu fortiori impreſſa & per motum hunc organo ſenſorio, ſive retinæ macula inuſta, quæ vel plane non, vel tandem ſucceſſu temporis rurſus evaneſcet.

Sed hæc ſunto, quæ de deceptionibus opticis huc usque tradere decreveramus. Si quæ reſtant, ſiquidem adhuc reſtare non negamus, eæ forte non tam ad ipſas deceptiones, quam ad veras oculorum aut objectorum ſtructuras pertinebunt, adeoque proprie nomen deceptionis non mereantur. Et quia etiam non pauca ſunt, quæ ad partem ſecundam Opticæ referenda veniunt, igitur & de illis proxima occaſione data erimus ſolliciti.

(*Coburgo Erfordiam miſſa d. 15. Decemb.* 1742.)

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. FRANCISC. ERNEST. BRUCKMANNI.

Lapides columnares, ſeu mathematici.

DEnominationem hancce obtinuerunt lapides iſti, figuram rhomboidis, ſeu *quadrati oblongi*, exhibentes, propterea, quoniam plures eorum inter ſe conjuncti, columnæ quadratæ formam quadantenus referunt. Tanta in copia occurrunt prope pagum *Rüdigsdorff*, non procul a Nordhuſa diſtantem, ut etiam integra plauſtra iisdem onerari queant. Primam illorum mentionem fecit, inſimulque complures benevole mihi transmiſit, maxime Reverend. Dn. *Frid. Chriſt. LESSERUS*, verbi divini apud Nordhuſanos miniſter vigilantiſſimus in Epiſtola de Lapidibus curioſis, qui circa Nordhuſam ejusque confinia inveniuntur. Colliguntur inprimis in monte quodam, in vicinia dicti iſtius pagi ſito,

ſito, nulla vero continent corpora petrefacta, nec etiam ipſi hi lapides illis accenſendi ſunt, ſed peculiaria tantum conſtituunt ſtrata, ſingulari quodam luſu figuram hanc nacta, unde merito ad lapides ſic dictos mathematicos referendi ſunt. Longitudo eorum plus vel minus ad quartam ulnæ vulgaris partem accedit, latitudo vero pollicem æquat, & quidem ex omni latere; proinde etiam angulos quatuor acutos regulares monſtrant, qui in utraque regione, tam inferiore, quam ſuperiore, adeo exquiſite inter ſe conveniunt, ac ſi mathematice delineati eſſent, prout ex *Fig. 5. Tab. VIII.* adparet.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. FRANCISC. ERNEST. BRUCKMANNI.

Lapides Olivares.

HI lapides circa pagum & caſtellum antiquum *Wintzenburg* Gandersheimio vicinum, itemque prope pagum *Gros-Fahlberg*, qui a Guelferbyto noſtro unum lapidem diſtat, copioſe occurrunt. Non ſunt lapides Judaici, qui alias quoque ſub nomine lapidum olivarium veniunt, ſed potius luſum quemdam naturæ produnt, atque non niſi fortuito ex argilla tenaci, in hanc figuram, Olivis non plane abſimilem, coaluiſſe, atque dein calore Solis in lapideam conſiſtentiam mutati ac ita indurati fuiſſe videntur, indeque hanc denominationem obtinuerunt. Complures illorum referunt etiam excrementa ovium oblongo-rotunda, eorumque ſimul colorem exhibent, interdum vero etiam ad cinereum, albicantem, flaveſcentem, pro diverſitate coloris argillæ, ex qua formati ſunt, vergere deprehenduntur. Præterea etiam in eo differunt a lapidibus Judaicis, quod nullo præditi ſint petio-

petiolo, ſed ex omni parte quaſi lævigati, prout ex *Fig. 7. & 8. Tab. IX.* patet.

(*Guelpherbyto Erfordiam miſſa d. 19. Decemb.* 1742.)

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. CHRISTIAN. GOTTLIEB FREGE.

de

Luxatione femoris ſiniſtri, ejusque peculiari reſtitutione.

QUam fallax pariter, atque difficilis ſit perfecta femoris luxatio, ſatis jam abunde notum eſt peritis Medicis atque Chirurgis, quia fractum ejusdem ac ſubtractum collum quam ſæpiſſime ab imperitis pro luxatione ſolet venditari. Interim tamen & caſus & cauſas luxationis perfectæ nonnunquam occurrere, curioſiores artis noſtræ magiſtri itidem non ignorant, quorum certas & fide dignas obſervationes jam non repetere præſtat, quum Illuſtris *HEISTERUS* præ aliis id ſolide ſatis & perſpicue jam jam demonſtraverit. Licebit modo Excellentiſſimum noſtrum *PLATNERUM*, tam honoris, quam pietatis cauſa adhuc nominare, quem ſimilem luxationem ex laceratione ligamenti teretis, a caſu ab alto ortam, in Lectionibus ſuis publicis aliquando adduxiſſe, recordor. Sed quemadmodum tam fracti quam luxati femoris diagnoſin difficilem; ſic & difficiliorem fere curationem ejus eſſe, ad unum omnes quoque confitentur. Immo teſtes habemus eum in finem multo ingenio ac labore excogitatas machinas, tam veterum, quam recentiorum, quorum equidem multis encomiis dignam induſtriam tantum abeſt, ut ego, ad tanta artificia minus natus, carpere aliquo modo audeam, ut potius iſtam magno-

magnopere laudandam, ac ulterius continuandam existimem; siquidem natura ipsa ac experientia, optimæ eæque fœcundæ artium genitrices ac magistræ, a variis & parvis semper initiis ad gradum tendunt perfectiorem. Quapropter meum esse duxi, maxima cum attentione & debita cum perspicuitate (id quod prudentissimi viri (*) suadent,) cunctas res, quotidie obvias, immo & artificum & empiricorum experimenta, instrumenta, machinas, molimina, probe perquirere & pensitare, & in usum medicum, vel physicum ulteriorem, pro concessis a natura viribus, convertere. A natura enim artifex generatur, doctrina perficitur, eundem in modum, sicuti *CELSUS* in præfatione sua in *Lib. de re medica*, ex anatomia Medicum non quidem medicinæ perfectum, attamen aptiorem reddi adserit. Hinc dudum jam consuetudine obsoletum est, ut cujuscunque fere scientiæ magistros vel naturales, vel artificiales, seu usu maxime perfectos nuncupemus. Idem (ne longius aberrem) in medicina valere, vel inter lippos constat. Nocent enim empirici sæpius, prosunt vero etiam interdum experimentis suis, a natura quasi, ordinario sæpe Medico deficiente, ad sublevandum in necessitate ægrum constituti, præsertim si cæteroquin boni viri sunt, nec temere agunt, id quod ordinarii & sagaciores Medici, ceu eruditi naturæ speculatores venatoresque, (sicuti a *CICERONE* vocantur,) & tolerare & ulterius admittere possunt. Interim tamen differentia omnino inter illos manet, & quilibet suos habet gradus atque

(*) Conf. *MORHOFII Polyhist. Tom. I. Lib. III. cap. XIII.* §. 49. Talibus experimentis insidiæ struendæ sunt a Medico, & quacunque fieri potest arte, quocunque pretio comparanda. His principiis primum crevit medicina, quibus si adcedat usus & judicium Medici, in principiis artis suæ probe subacti, rectius ille adplicabit, quam plebeji homines, qui causas rerum non æque scrutantur. Videsis *Tom. II, Lib. II. cap. I.* §. 4. *p. m.* 131.

atque limites perfectionis, quemadmodum natura & doctrina inter se differunt, ea nimirum ratione, ut natura artem simplicitate, hæc vero illam usu ac ornatu sæpe antecellat, qua ipsa etiam ratione & Medicina & Chirurgia sua cœperunt incrementa. Sed revertendum nunc est ad scopum primarium, seu ad femoris luxationem perfectam, ab empirico quodam rite non solum indagatam, sed & optime restitutam, cujus singularem medendi methodum, forte quoque adhuc emendandam, secundum omnes diligentius a me exploratas circumstantias, candide nunc exponam. Fungitur in præsentiarum adhuc officio ludimoderatoris in pago *Portitz*, prope oppidulum Taucham, Lipsiæ nostræ vicinum, vir quidam, *Sefner* dictus, olim castra sequutus, qui natura, usu & avita doctrina incitatus, valetudine adflictis interdum succurrit, nec admodum rudis, præcipue in externis læsionibus, quæ manualibus curantur operationibus, in quibus administrandis debitam semper prudentiam cum solertia conjungit. Hic vocatur haud ita pridem ad puerum bubulcum, XV. annorum, qui armenta ibi pascere vel abigere solebat, ex juvenili vero petulantia ducem gregis istius bovem sæpius vexat, caudam ejus semper arripiendo & sic bovem in gyrum agendo, ita, ut hic tandem ira incitatus, gyrantem & caudæ tenaciter adhærentem puerum tanto impetu in longinquum projiceret, ut pes, seu femur sinistrum ex acetabulo suo postea manifesto evulsum deprehenderetur. Præter enim sublatam ambulandi facultatem, non solum caput femoris aliquo modo in natibus digitorum ope palpari potuit, sed pes inferior etiam, seu metatarsus, introrsum inclinatus, sicque extra & sursum versus luxatio facta erat, siquidem etiam symptomata haud ita gravia insequuta, una cum restitutione satis facili, nullam adfuisse fracturam, abunde declararunt; id quod insuper quoque tum ex laxo ætatis istius habitu, tum ex

motus gyratorii violentia pariter concludere licuit. Interim tamen ligamentum teres ſemper fere in tali luxatione diſruptum eſſe, & naturæ dein benignitate vel reſtitui, vel in profunda illa articulationis cavea facilius retineri exiſtimo, alias enim ex profundo iſto acetabulo vix, niſi ad oram ejus extorqueri, nec reſtitutum commode in eodem retineri poſſet caput oſſis femoris. Ipſe vero æger per tres dies ita decumbere & auxilium exſpectare cogebatur, utpote quod vix in promtu erat, quoniam artifex ille, cui ſimilis nondum obvenerat caſus, quid faceret, quidve tentaret, dubius hærebat, adeoque tantum ſacculi roborantes & paregorici interdum imponebantur. Vulgaris enim manu tentata extenſio nihil proficiebat, & puero dolorum augmentum creabat. Quemadmodum autem inopinatum ſæpe occurrit auxilium, ita & hoc in caſu contingebat: Dum enim æger ingemit & ludimoderator meditatur, ex Chirurgia Illuſtris *HEISTERI*, quam interdum voluebat & perſegebat, jam aliqua ratione inſtructus; machinam ſtatim mente quaſi arripit, a vitriario, vel ni fallor, ſcriniario, (utrique enim illa utuntur,) ſibi aliquando donatam, quam brevibus nunc delineabo, priusquam ejus uſum oſtendam. Solent nempe & ſcriniarii & vitriarii feneſtrarum jugamenta, ſeu crates feneſtrales, illi includere, pro ulteriori deaſciatione & perfectione, unde etiam aliquam hinc inde varietatem deprehendi. Scriniarii tantum ſimplicem, hoc eſt, ſine trochlea, talem machinam adhibent, pro includendis variis rebus. Vitriarii vero inprimis trochleam adjungunt, itemque foramina illa, litteris *cccc.* in *Tab. IX. Fig.* 5. & 6. præſentis Volum. notata, quibus ferrum aliquod, ſive obicem trajiciunt, ut mox arctius, mox longius incluſa ligna ſervare poſſint, hinc etiam germanice vocant *eine Schrauben-Zwinge.* Hæc vero ad uſum chirurgicum nihil faciunt, trochlea tamen maxime neceſſaria eſt, & tunc, me quidem judi-

judice, *PETITI* machinam, in Tabulæ X. Fig. 6. *Chirurgiæ Heisterianæ* delineatam, quam ideo adjunxi, maxime huic similem deprehendi. Illa tantum artificiosior & prolixior, hæc vero simplicior & parum mihi emendanda videtur. Longa erat duas ulnas & quartam partem, porro quartam solummodo partem lata, cum spatio illo, quod tigna, seu, si mavis, orthostatæ duæ *ABCD.* utrinque comprehendunt. Sic enim altitudo (non longitudo) tam machinæ, quam tignorum habebat dimidium partis quartæ ulnæ Lipsiensis; crassities cujuslibet tigni erat unius vel duorum pollicum; & inclusum spatium ulnæ partis quartæ quoque fere dimidium, vel paulo plus capiebat. Tandem orthostatæ illæ superius & inferius brevi quadam trabe, seu obice transverso *ABCD.* jungebantur, cujus extremi inferius partem *CD.* pavimento insistentem trochlea *g.* transibat, cum vecte seu manubrio versatili *d d.* versus *e.* extorquenda. Supra *A B.* apud *f.* cornua *b b.* eminebant, quæ vero alibi non reperi, sed quasi resecta erant, quia isthæc opificibus nihil, Chirurgis vero magis prodesse possunt, & de quibus mox plura dicam. Sic quoque nec laqueo illo, vel fune *a.* vitriarii, nec alii utuntur, quem circa trochleam *g.* trajectum apud ludimoderatorem vidi. Huic funi enim complicato, quasi duplici, & vix ulnæ longitudinem referenti, mantile quoddam jungit eadem ratione, ac *PETITUS* habenam illam Tab. X. fig. 8., quam funis quoque talis ibidem in fig. 6. litt. dd. notatus capit, ut nimirum ibi circa cubitum, hic vero circa femur supra genu, injiciendum mantile, seu habena, per funem d d, vel hic per *a*, ope trochleæ versus *e.* rotandæ, quantum opus est, humerum vel femur luxatum extendat, quem etiam in finem prius machina modo descripta eadem fere ratione ab empirico supra nominato adplicata fuit, ac machina *PETITI.* Imposuit enim lateri sano ægrum, ut femur luxatum sursum respice-

ret, deinde machinam intra femora collocavit, ſic, ut pes luxatus ſiniſter machinæ incumberet, cornua vero *b b.*, ſpleniis craſſis apud *f.* interjectis, ne quid fricando lædatur, inguen ſiniſtrum caperent; tum mantile tamquam habenam laqueo *a.* adjunctam, ut paulo ante dixi, ſupra genu adplicavit, & a miniſtro denique aliquo in inferiori parte trochleam ope vectis *d d.* verſus *e.* & ſimul pedem ſic juſſit intendi, donec ipſe manibus ſuis in iſchiadica regione externa femur ſatis extenſum eſſe cognoſceret. Tunc enim, & minis & precibus puerum interea compeſcens, ſtatim femur in ſedem ſuam compulit, & puerum *bene* exclamantem & ambulantem extemplo, tamquam ſanum dimiſit, nullaque externa remedia, poſt peractam hanc reſtitutionem, ſubjunxit, præter unguentum nervinum, quod ſemel adplicavit, & dein Reginæ Hungariæ ſic dictam aquam, vel ſpiritum vini ſimplicem, pro roborandis muſculis luxati femoris aliquoties adhibitum.

Nihil vero habeo, quod in emendatione hujus machinæ addendum mihi videretur, præter cornuum *b b.* aliquam mutationem, ita quidem, ut partim illorum ad inſtar, quæ in figura 6. a. a. Tab. X. Chirurgiæ Heiſterianæ delineata ſunt, efficiantur, partim cum illis in figura 9. augeantur, qua ratione, meo quidem judicio idem in omnibus iſta machina, quod machina PETITI, præſtare poſſet, id eſt, tam ad humerum luxatum cum retinaculo fig. 7., quam ad femoris luxationem interiorem cum cornubus & retinaculo fig. 9. 10. forte accommodata eſſet, ubi inſuper & hoc perquam commodum eſt, quod in neceſſario caſu, facilius vel celerius ad manum eſſe queat deſcripta hæc machina, præ machina PETITI magis artificioſa. Trochlea tantum in PETITI machina aptior videtur, dum ita cum manubrio in latere conſtituta eſt, ut peculiari matrice circumvoluatur, quo fit, ut funis non ita, ut in priori fit, intorqueri

queri & hinc extensio aliquo possit modo impediri. Sed hoc arti a natura & artifici medico ab opifice relictum est. Attamen nihil interest, utrum cornua hic adsint, an vero resecta, quorum loco extremum istud *f.* si lunæ in modum quasi excavatum esset, forte idem præstaret, quia spleniis interiectis obfirmatio obtineri, omnisque læsio evitari potest, cornuà vero in vitriariorum machina nimis brevia sunt & angusta ibidemque ex incuria tantum relicta. Sic enim si ægro jacenti volumus succurrere & commodum situm imperamus, necessitatis tempore nec in trochlea, nec in machina quidquam mutandum videtur. Comparationem sic tantum institui cum celeberrimi *PETITI* machina, nec propterea hanc casu tantum inventam pro nova haberi posse judico, vel persuadere alicui conabor, quum & artificium, & vis illa extendendi per trochleam, vel etiam polyspastum, in mechanicis æque ac medico - chirurgicis operibus satis superque probata sint, atque insuper plura & similia magnorum ingeniorum prostent instrumenta, ab Illustri *HEISTERO* recensita atque correcta, immo rite optimeque dijudicanda & secundum artis regulas eligenda, in Chirurgiæ suæ opere novo & perfecto inveniantur, ex quo nuperrime adhuc multum emolumenti in me redundasse profiteor, dum Excellentiss. Dn. Auctor benevole mihi concessit, ut in germanicam linguam ex latina illam translatam de novo Chirurgorum maxime in usum prelo committerem. Limites vel leges observationis excedere viderer, (utpote qua Doctorum cogitata roborare tantum volui,) si omnem machinarum tractoriarum usum exponere, earum differentias indicare, vel etiám luxationum doctrinis superflua addere vellem, de quibus integrum tractatum facile quis conscribere posset, unde pauca modo adhuc adjiciam. Antiquissimos Chirurgos jam in uno scopo convenire, & in inventionum modo tantum hinc inde variare deprehendi. Omnes enim

extensionem sibi oppositam, quam *Contra-extensionem* vocant, valentem & necessariam judicarunt. Hinc (omissis reliquis) per laqueos satis firmos & trochleas adnexas commodissime intentionem hanc adsequuti sunt, quemadmodum *PARÆUS* in operibus suis indicat, qualis methodus cum ratione a *JUNCKENIO* præscripta fere convenit, ubi laqueum brachio vel femori adligatum ab aliquo adstante super mensam protrahere & ope trochleæ extendere jubet. Idem fere *BRAUNSCHWEIGIUS* in fine Chirurgiæ suæ ex *AVICENNA* & *ALBUCASI* repetit, sed absque figuris describit, quod & vulgarissimum & antiquissimum, ac tempore necessitatis optimum quoque videtur, ut nimirum tales laquei, supra genu vel ulnam injecti, trochleæ, seu mensæ tractoriæ scriniariorum adligentur, & sic juxta commodum ægri situm sufficiens & tuta fiat extensio. *PURMANNI* vero machina in *Chirurgia* sua *curiosa* cum illa in *Actis Eruditorum* anni 1683. maximam similitudinem habet, nec a nostra & *PETITI* machina adeo eximie differt. Extensio tamen opposita, quæ fit objecta seu *opposita* quadam quasi trochleæ *mora* (*mit einem Wiederhalt*) ut *CELSUS* ait *Lib. VIII. Sect. XX*, tali machina, qualis *PETITI*, vel *PURMANNI*, vel nostra est, omnium optime perficitur, ita, ut hæc tam in brachio, quam in pede præ aliis facilius adplicari auxiliumque certum semper obtineri queat, nonnisi paucis quibusdam interdum mutatis, utpote in quibus exiguis sæpe mutationibus omnes istarum machinarum differentias unice positas esse deprehendimus.

Explicatio figuræ 5. & 6. Tabulæ IX. quibus machina hæc in perpendiculari & horizontali situ sistitur.

a. designat funem.
ABCD -- orthostatas.
c c c. -- foramina vitriariis proficua.

d d.

dd. manubrium trochleæ.
e. locum, versus quem trochlea movetur.
f. locum intra cornua.
g. trochleam.
hh. cornua.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. CHRISTIAN. GOTTLIEB FREGE. de Restitutione luxati cubiti.

CAsum hunc pariter ac ipsum modum restitutionis paucis tantum indicare lubet. Cubitus nempe *in posteriorem partem*, ut plerumque fieri solet, versus humerum luxatus erat, in fœmina, quæ rapas vi extrahere volebat, easque terræ firmius impactas vincere non poterat. Accedebat illa post alterum jam diem ad empiricum *Sesner*, cujus inventiones in observatione præcedente jam laudavi. Hic brevi instituta deliberatione ipse solus optimo artificio mechanico restitutionem perficit tali ratione, qualem *CELSUS Lib. VIII. cap.* 16. de *cubiti luxati curatione* fere describit. Omnia enim in extensione sic dicta & contra-extensione posita sunt. Ita vero *contra-extensionem* laqueo præstitit, ut iste nodo in utroque extremo constrictus, altero extremo, quod lit. *a. Fig.* 6. *Tab.IX.* monstrat, in flexura cubiti, altero autem *b.* circa pedem Chirurgi contineretur. Talis erat justa laquei quasi duplicis i. e. nodo conjuncti, longitudo, ut a cubito ægræ ad pedem Chirurgi penderet. Sedebat vera ægra in sella versus parietem inclinata, & tunc Chirurgus manu sua brachium ægræ anterius supra laqueum repente aliquoties versus humerum ægræ impellit, dum firmus interea in inferiori stat laquei parte, simillimo plane modo,

modo, ad quem CELSUS ait: *Deinde rotundum aliquid a lacerti parte ponendum est, & super id repente cubitus ad humerum impellendus est.* Sic ergo protinus omnia in pristinum statum restituta sunt, absque ullo, alias absolute necessario, auxilio atque adparatu.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. CHRISTIAN. GOTTLIEB FREGE. de Inflammatione tonsillarum catarrhali, & præsertim de efficaci in ea remedio gargarisationis.

CUm satis notus sit hic adfectus, una cum omnibus symptomatibus suis, hinc vulgaria repetere supersedeo, & singularia hic tantum recensebo, idque propterea inprimis, quoniam *morbi Medicorum*, notantibus celeberrimis Viris, *DETHARDINGIO* & *FURSTENAU*, adhuc in desideratis habentur. Ipse enim ego anno præterito 1742. medio mense Junii, temperata tempestate, tali adfectu corripiebar: Intumescebant paulatim glandulæ, vel potius tonsillæ sinistri lateris, quod ab initio parum curabam; subito vero vini potu paulo largiori alioque diætæ errore in aliquam exæstuationem abripiebar, ita, ut tumor & dolor glandularum istarum intra aliquot horarum spatium notabiliter augeretur. Sublevabar subinde potu Thee crebriori; sacculos calidos ex floribus Chamomillæ & emplastrum de Meliloto imponebam, parabam pediluvia, pulverem vesperi adsumebam bezoardicum salinum, omnia tamen incassum, *ad tertium usque diem*, quo ipso deglutitio summe dolorifica evadebat, ita, ut nec Thee infusum sine summo dolore & non nisi maxima cum difficultate deglutire possem. Vulgaria

ria remedia, tam externa, quam interna, scilicet Essentia Pimpinellæ cum Liquore terr. fol. Tart. & Syrupo Violarum &c. nihil proficiebant. Interim tamen animadvertebam, calorem tam lecti, quam potus, item suctionem Tabaci ex floribus Cyani & Sambuci, cum pediluviis, aliquod, maximum vero calidam aquam in ore detentam auxilium interdum attulisse. Notandum autem hic est, sanguinem meum semper valde *spissum*, *tenacem* & *sulphureum*, atque idcirco non solum ad catarrhales adfectus maxime dispositum fuisse, sed & eandem ob causam inprimis *diluentia calida* & *resolventia temperatiora* multum omnino proficere potuisse. Hinc omnibus aliis sepositis, tantum *Infusum herbæ Thee* probe *calidum*, continuo fere in ore detinebam, modoque quantum ferre poteram, pro Gargarismate adhibebam, idque primum hora prima post meridiem usque ad horam quartam continuavi. Inde sudorem & notabile quoddam levamen sentiens, placidum somnum, per integram horam durantem, capiebam. Postea ab hora quinta vespertina, usque ad horam quartam matutinam sequentis diei indesinenter infusi istius usum ita admisi, singulisque horis resolutionem manifestam pituitæ glandulis infarctæ, observavi. Tandem fatigatus in lectum me recipiebam, somnoque tranquillo iterum recreatus, in tantum me levatum sentiebam, ut perfecte iterum & absque dolore liquida deglutire potuerim. Reiterata dein gargarisatione (postquam intra 12. horas ad minimum 20. mensuras aquæ calidæ ita consumseram,) uno quasi momento punctum, seu principium primum obstructionis & inflammationis glandulæ reseratum, maximo cum fœtore erumpebat, unde altero jam die bene valens, nil nisi Theæ potum & gargarisationem crebriorem, una cum mixtura illa ex Essent. Pimpinellæ per aliquot dies adhuc in usum vocavi. Accidebant tum & compluribus aliis similes adfectus catarrha-

les glandularum & faucium, quibus nunc citius atque facilius hacce in me ipso observata methodo, nimirum *gargarisatione continua* & emplastro de Melil. externe imposito, auxilium ferebam. Nolo jam ulterius opportunam hanc gargarisationis formulam præ aliis heic loci extollere, quoniam eximius ejus effectus abunde jam patet, eaque in aliis grauioribus adfectibus faucium, speciatim in Angina, additione Nitri aliorumque facile in virtute sua exaltari poterit: Omnes enim reliquæ medicamentorum topicorum formulæ, e. g. cataplasmata tam promtum & efficacem vix unquam monstrabunt effectum.

(*Lipsia Erfordiam missæ*
d. 12. *Februar.* 1743.)

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. JOANN. STORCHII.

de

Passione iliaca ex Hernia incarcerata.

VIr LIV. annorum, temperamenti cholerici, â multis jam annis herniam, ut opinor, omentalem celavit, præcipue quoniam nihil vel parum incommodi ex ea percepit. Die 1. mensis Octobris anni præterlapsi, doloribus colicis, qui dorsum & coxam in consensum trahebant, corripiebatur: mitigabantur quidem usu Tinct. Cort. Cascarill. & Rhabarb. sed brevi recrudescebant, maxime post haustum vini. Aluum obstructam clysteribus emollientibus reseravi & dein Pilulis Becher. subjuncto sale amaro in aqua soluto, apertam servavi. Die 3. tormina revertebantur cum singultu, usum Pilular. diarrhœa excipiebat, sine torminibus, & quoniam die 5. cum adpetitu cibos

iterum

iterum adsumere poterat, hinc morbum profligatum esse credebat. Ast, elapso vix biduo, nocturno tempore ex improviso dolores vehementiores a flatibus incarceratis iterum excitabantur, quorum sævitia infringebatur per vomitum laboriosum: Obambulabat & functioni suæ tam meditando, quam scribendo vacabat, unde ad solvendam aluum ordinabam potiunculam ex aqu. flor. Chamom. cum Manna & Cryftall. Tart., ante cujus adsumtionem non solum bis, sed etiam post illam iterum binis vicibus, excrementa dejiciebat; cum vero die 7. tormina periodice urgerent, de Hernia hactenus occulta me pariter, ac Chirurgum, certiores reddebat, quapropter statim fotus emollientes adplicari & clysteres continuari jussi, omisso interim usu medicamentorum internorum.

Die 8. adsumta eructabat sine vomitu: Scrotum quidem, quoties manu Chirurgi comprimebatur, detumebat, mox vero, a relapsu excrementorum liquidorum, iterum intumescebat: Clysteres itidem excrementa quidem adliciebant, incarceratio vero in eodem persistebat, & singultus, anxietate præcordiali complicatus, sæpius audiebatur. Quæ eructabat, colore bilioso tincta erant. Singultus post adsumtam Tinct. Cinnamomi aquosam cum Liqu. terr. fol. Tart. mitigabatur quidem, sed brevi recrudescebat. Die 9. Clyster fœtida quædam proliciebat. Intestinum incarceratum vero regressum & repositionem denegabat, usque in diem 14. Interim extrema frigebant, sitis urgebat & concussiones singultuosæ tanta cum vehementia fiebant, ut earum sonus in platea audiretur; hinc sacræ cœnæ usu ad mortem sese præparabat. Hoc facto & adsumta dein priori Mixtura, singultus mitior evadebat, scrotum detumescebat, & hora 6. vespertina per manum Chirurgi contenta reprimebantur, cum insequente diarrhœa fœtidissima, quæ sæpius repetebat. Repositis intestinis per ligaculum conveni-

veniens reditus in scrotum praecludebatur, sicque aluus dein 14. vicibus evacuabatur sine tamen manifesta detumescentia abdominis & virium restitutione. Die 17. sudores erumpebant, mitescente diarrhoea: somnus nunc vires resarciebat, ut die 24. primum pedibus aegrotus iterum insistere potuerit. Saepius quidem intestina scrotum de novo occupabant, quoniam vero nil nisi liquida continebant, & viae satis patulae erant, haud difficulter retrudebantur. Scrotum per aliquot dies a nimia distensione tumidum, per epithemata subadstringentia iterum roborabatur, & tandem ligaculum adcommodatum parabatur, quod sufficiebat pro exitu denegando & ulteriori prolapsui inhibendo.

In hoc casu interscenniolum quoddam silentio haud praetereundum esse existimo: Si unquam facilioris cognitionis & evidentioris diagnoseos est morbus, hic certe prae aliis pluribus exempli instar inservit; interim cui fortuna favet, ille etiam per contraria, mediante dono contradicendi, inclarescere studet. Die 9. ni fallor, per aliquot horas peregre proficisci & aegrotam quandam visitare necessum mihi erat, hinc, vacillante in me fiducia, commoda occasione vocabatur alius, coeca magis fortuna, quam experientia elatus Medicus, qui fugitivo scrotum & herniam intuens oculo, sedem morbi primariam in induratione, vel infarctu hepatis quaerit, & herniam vilipendere suadet, simulque praescribit Empl. saponat. camph. & interne exhibet pulveres temperantes, rejiciendo insuper fotuum & clysterum usum. Paulo post vocatur non infimae sortis Chirurgus, qui explorata conditione adfectus, laudat methodum meam & juxta hanc omnino procedendum esse perhibet, atque hinc fotus clysteresque saepius repetere & adplicare commendat; hinc ergo majori exponebatur risui nasutulus interveniens, qui etiam consultationes dein subterfugiebat

&vi-

& visitationes desideratas, cum primis nocturnas, diaphoresi simulata, pro more, recusabat.

Quo levior interim hic adfectus quoad Diagnosin, eo gravior quoad medelam est: frustra enim pleraque interna exhibentur, & quo efficaciora illa sunt, eo periculosiorem edunt effectum, quoniam ea, quæ in canali intestinorum præcluso ad exitum pertingere nequeunt, non sine angore regurgitant, fermentescunt & per vomitum ejiciuntur: Unica, quæ restat medela, est frequens & sæpius repetita adplicatio clysterum & fotuum emollientium, sed quis ægrotorum ejusmodi extraordinaria conamina patienter per plures dies perferre potest? raro diu fidem servant & fiducia constans anili sæpius oblocutione vacillans redditur, immo plane pervertitur. Quantum vero aliàs anus garrula perdit, tantum in nostro casu vetula, similem adfectum perpessa proficua erat & animum ægroti solatio erigebat, clysterumque repetitam adplicationem maxime commendabat. Sed proh dolor! quæ jam tam Medico, quam ægro pro fulcro erat, semestri haud præterlapso ex hoc malo prostrata in mortis prædam cedebat, cujus idcirco historiam sequente observatione sistere lubet.

OBSERVATIO C.

Dn. D. JOANN. STORCHII.

de

Passione iliaca a calculo intestinali inducta, eaque lethali.

MUlier 73. annorum, quæ ante quatuor lustra jam jam passione iliaca ex hernia incarcerata laboravit, de qua etiam casus in Observationibus meis clinicis Parte I. p. 256. extat, ab eo tempore, ex adfecto simul femore &

crure, ulcus antiquum & inveteratum retinuit; ſanato vero hoc ulcere aliquoties Peripneumonia ſatis periculoſa adflicta fuit. Anno proxime elapſo, vere adulto, conſolidatio dictorum ulcerum Chirurgo otia fecit, lætaque noſtra de dolorum & ſtatus morboſi induciis gloriabatur, quæ tamen inſidioſæ & infidæ erant: Die 3. enim menſis Junii vomitu corripiebatur bilioſo, ex viridi nigricante, cujus cauſa conjiciebatur in acetaria ex lactuca hactenus ſæpius comeſta & placentam ex pane fermentato paratam, matutinis horis minus maſticatam & fruſtulatim deglutitam. Obſtructio alvi & dolores colici comites erant hujus adfectus; interim tamen ſymptomata hæc compeſcebantur Mixtura ex Tinct. Cort. Caſcarill. & Rhabarb. ſimulque beneficio clyſteris educebantur ſcybala indurata mucoſa. Herniæ locus, quem memori mente voluebam, jam immunis a doloribus erat, hinc omnem ſuſpicionem de ejus incarceratione abjiciebam, minime tamen idcirco deſiſtebam alvum per clyſteres ſollicitare. Die 6. vomitus redibat, ſed non bilioſus, præter potulenta enim nil rejiciebat. Die 7. noctu denuo nigricantia & guſtui adverſa evomebat, & eductis in inteſtino colo hactenus incluſis excrementis, clyſteres fruſtra adplicabantur: Spasmus inteſtina per intervalla torquebat, hactenus tamen per duas noctes placide dormivit. Die 9. vero poſt anxietatem per aliquot horas perpeſſam, in largiori copia fœtida, iliacæ paſſionis certiora indicia, per vomitum rejiciebat: Veſperam verſus exoriebatur dolor in latere ſiniſtro circa flexuram Coli, inſuperque abdomen magis intumeſcebat, unde circumferentia ejus inungebatur, fotus ex lacte adplicabantur & clyſteres ſæpius repetebantur.

Die 10. Junii, qui ſeptimus erat morbi, flatus aliquoties erumpebant, pulſus intermittens & durus obſervabatur cum notabili virium decremento. Exhibui hinc Pilulas

ex

ex sapone Veneto confectas, quibus adsumtis etiam dolores remittebant, & ægra per aliquot horas placido fruebatur somno, postea multa fœtida per alvum excernebat simulque vomitus induciis gaudebat, unde etiam pulsus iterum regularis observabatur. Die octavo morbi nox fuit quieta, pulsus regularis subsistebat, alvus vero denuo obstructa clysterum continuationem postulabat: Post meridiem per vomitum fœtida, non vero admodum copiose, rejecit. Commendabam iterum Pilulas saponaceas, quæ binis etiam vicibus excrementa fœtida una cum frustulis argillaceis exturbabant. Die 9. per noctem quiete dormivit, alvus detumuit, diarrhœa vero denuo subsistente ordinabam Unguentum Popul. cum Ungu. de Arthanita mixtum, pro inunctione abdominis. Circa meridiem tormina exasperabantur, clysteres sine operatione injiciebantur, &, crepusculum versus, paroxysmi hactenus per aliquot dies recurrentis incrementum majus sentiebat. Durante hoc paroxysmo pulsus erat febrilis, membra frigebant, anxietate adficiebatur, sed alvus sæpius fœtidissima eructabat, cum detumescentia abdominis & levamine dolorum. Die 10. morbi mane de obstructione urinæ conquerebatur, unde fotus ex lacte paratos commendabam. Hora 12. vero cum fragore explodebat per anum calculum, magnitudinem nucis juglandis grandioris referentem, & pondere drachmas VI. æquantem, qui ante sui exclusionem, urethram comprimendo, obstructionis urinæ auctor fuit. Hoc enim remoto statim ægra magnam copiam urinæ emisit, & multa liquida, sed fœtidissima, per alvum dejecit, his tamen non obstantibus, post breve intervallum dolorem ardentem in hypochondrio dextro, cum frigore extremorum, persentiscebat, & diarrhæa subsistente anxietatem & sitim inextinguibilem experiebatur.

Die

Die 11. alvus quidem ſæpius reſpondebat, abdomen vero, cum dolorum augmento, magis magisque intumeſcebat, pulſus evaneſcebat, & poſt meridiem ægra vitam cum morte commutabat.

Sectionem anatomicam ab agnatis dein denegatam fuiſſe, valdopere doleo; ſuſpicor enim plures ejusdem conditionis calculos adhuc reſtitaſſe, ille vero excretus mihi videbatur de genere bilioſorum fuiſſe, qui in cellula quadam Coli cruſtam argillaceam conceperit, ſiquidem ſub lamina calculoſa in loco quodam ſoluta, bilioſi coloris erat, & aquam ad elutriendum adhibitam bile tingebat, ac inſuper in reſpectu ad magnitudinem admodum levis erat. Ratione figuræ etiam non obſcure prodebat hoſpitium, quod videlicet cellula quædam Coli illud præbuerit.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. JOANN. STORCHII de Hernia incarcerata lethali.

VIr 39. annorum, in infantia pro monorchide falſe habitus, quoniam ſcrotum in dextro latere quadantenus tumidum ei erat, anno ætatis vigeſimo quarto circiter herniam incarceratam animadvertit, a prudente autem Chirurgo cataplasmatibus, fotibus & clyſteribus dextre tractatus, brevi temporis ſpatio reſtituitur, & ab illo tempore ligaculo adcommodato ulteriorem prolapſum præoccupavit. A die 13. Junii 1741. iter 8. milliarium, equo vectus proſequitur, & inter adſcendendum & deſcendendum crura inconſueto more divaricans, incommodum aliquod circa ſcrotum ſentit, quod a ſcabie, qua toto corpore ſcatebat, ſenſibilius reddebatur, quapropter ligaculum removet,

vet. In hoc itinere constitutus per 2. dies nil nisi crudis, fumoque induratis cibis, lucanicis & caseo cum pane vescitur, diversæque consistentiæ cerevisiam bibit. Statim post reditum suum in urbem nostram ad virum in officio sibi præpositum adcedit, & ligaculo destitutus, inter sermocinationes observat subitaneam intestinorum in scrotum irruptionem, indeque mox percipit dolores colicos & anxietatem præcordialem, ut incurvatus incedere & hospitium quærere necessum haberet.

Adfectus ante 15. annos perpessi non immemor, clysterem statim præparari sibique adplicari jubet, ast sine levamine; hinc post 12. horarum decursum consilium & auxilium meum desiderat. Commendo repetitionem clysterum, ex lacte, sapone Veneto & oleo Lini paratorum, adplicationem fotuum ex emollientibus cum lacte decoctis, ac tandem abdominis inunctionem cum oleo flor. Chamomill. & carminat. quorum adsiduo usu die 16. dolores quidem remittebant, ast vomitus tam potulentorum, quam alimentorum, ex intestinis regurgitantium, & cum bile ac pancreatico succo mixtorum, prævio singultu, dein superveniens, statim indicabat, haud ita procul nunc abesse passionem iliacam. Præscribebam ergo Mixturam ex Tinct. Cort. Cascarill. Cinnam. & Liqu. terr. fol. Tart. post cujus usum vomitus & singultus cessabant, somnoque per 2. noctes placido æger fruebatur. Die 18. de novo sentiebat dolorem in hypochondrio sinistro, cum concussionibus singultuosis. Offam sine subsequente vomitu adsumsit, flatus emisit, ast hernia immobilis erat; pomeridie vero per potum cerevisiæ proritabat non solum vomitum male coloratum, sed exasperabat quoque singultum, quæ symptomata, quamquam alter vocaretur Chirurgus, priorem experientia superans, qui manuum operatione ea, quæ necessaria erant, præstabat, continuo urgebant usque in diem 20.

quo ambæ manus in dorſo frigidæ, in vola autem æſtuantes deprehendebantur, æger anxie ſpirabat, mente vero adhuc ſana & erecta loquebatur. Sed die 21. poſt mediam noctem evigilans, delira proferebat, extrema algebant; ſicque poſt uſum S. cœnæ placide animam efflabat.

Agnati, funus in diem 24. differentes, petebant exenterationem, qua inſtituta, occaſionem nanciſcebar inquirendi in cauſam præcipuam denegati effectus remediorum & ſubſequutæ mortis. Aperto itaque abdomine in conſpectum ſtatim prodibat Hernia ſic dicta omentalis: Scrotum enim continebat omenti partem induratam, ad libræ unius pondus adcedentem, quæ tamen non ita noviſſime ſcrotum intraverat, ſed a multis jam annis in eo delituerat. Inteſtinorum fere totus canalis impletus erat chymo, tetro fœtore infecto & puri plane æmulo. Omenti contiguitas ventriculum longum & quaſi ſaccatum trahendo reddiderat, & inteſtina in latere ſiniſtro cuncta partim omento, partim vero peritonæo adnata erant, hæcque firmior cohæſio in cauſa fuit, quod pars inteſtini coli, unacum omento eidem adhærente, in ſcrotum intraverit. Annulum peritonæi nimis conſtrictum inveniebam, quæ ſtrictura non permittebat, ut vel omentum, vel Coli pars retrahi potuerit, ſiquidem diſſecto jam annulo non ſine magno labore demum reducebantur. Proinde etiam in cellula inteſtini præcluſa deliteſcebat fruſtulum lucanicæ fumo induratæ, quod retrogreſſum itidem impediverat. Inteſtinum colon non ſolum quoad partem incluſam, ſed etiam in abdomine ad ulnæ dimidiæ longitudinem, nigrum, friabile & putridum erat, immo & ſcroti pars illa, ubi delituerat, putrida ac nigra, fœtorem ſpargebat ſphaceloſum: Hinc cauſa mortis certe in ſcroti & inteſtini coli ſphacelo quærenda.

(*Gotha Erfordiam miſſa*
d. 7. Mart. 1743.)

OBSER-

OBSERVATIO CII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

de

Agno cyclope, ſeu monoculo monſtroſo.

NOn deſunt inter Anatomicos & Medicos, qui noviſſime temporibus noſtris, induſtriam ſuam in indagandis monſtrorum veris ac genuinis cauſis denuo laudabiliter poſuerunt, ex quibus jam primarios tantum nominare licebit. Dn. *WINSLOW in Hiſt. Acad. Reg. Scient. Paris. Annis* 1733. & 34. occaſione duorum monſtrorum, binas diſſertationes *de Monſtris*, cum adnotationibus ſcripſit, ubi ad varias claſſes illa reducit. (a) Sic etiam D. *J. G. DUVERNOI in Commentar. Acad. Scient. Petropolitanæ Tom. VI. Claſſ. phyſ. Artic. I.* de generatione ſeu cauſa efficiente monſtrorum erudite ac copioſe egit. (b) Addo etiam celeberr. D. *Alb. HALLERUM*, qui ex principiis anatomicis in cauſas monſtrorum inquiſivit diligentiſſime, in peculiari ſcripto, quod occaſione fœtus bicipitis, ad pectora connati, docte elucubravit, (c) quamque diſquiſitionem ulterius proſequutus eſt, in Diſſertatione academica, anatomico-medica, qua duorum Monſtrorum anatomen deſcripſit. (d) His adnumerare quoque liceat Dn. *LEMERY*, *Nicolai* fil., cujus rationes, modo laudatus *HALLERUS* in dicta ſua Diſſert. & retulit & æqua lance ponderavit, (e) itemque doctiſſ.

(a) Vid. Commerc. litter. Norimb. Ann. 1739. hebd. XXXI. p. 243. & Ann. 1740. hebd. XXX. ſeq. p. 235. 244. 260.
(b) Ibid. Ann. 1742. hebd. XV. p. 1 4. 121.
(c) Impreſſa eſt Hannoveræ 1739. in 4to.
(d) Prodiit Gœttingæ 1742.
(e) p. 18. ſeqq. in nota.

Jo. Phil. BURGGRAVIUM juniorem, (f) ut alios nunc eo lubentius taceam, cum mentionem eorum uberiorem fecerit *HALLERUS*.

Quoniam autem celeberr. hi viri, in anatomicis versatissimi, non æque adhuc inter se conveniunt, in adsignandis causis, (uti & inter antiquiores de eadem re lis fuit,) sed alii systema *accidentium* agnoscunt, alii vero *praexistentiae*, seu *praedelineationis* tuentur, quorum utrorumque argumenta studiose collecta ordine recenset *HALLERUS*, insimul vero constat, quod ad ejusmodi lites dirimendas nihil magis juvet, quam observationum accuratiorum copia: Operæ hinc pretium esse judicavi, novo & rariori exemplo, illam in specie classem, ubi *capitis partes numero imminutas, transpositas, distortas coalitasque* videmus, augere. Jussu & mandato *Sereniss. Princip. FRANCISCI JOSIÆ, Duc. Saxon. & rel. Domini mei clementiss.* pro eo, quo pollet in Musas nostras Casimirianas amore & gratia, mense Martio anni præteriti 1742. ad me deferebatur agnellus, in vicina urbe & præfectura Rodachiensi recens natus, post paucas vero horas, ob nutrimenti defectum, quia superioris maxillæ brevitas non admittebat uberis adprehensionem, mortuus, ut illum in studiosorum nostri Gymnasii academici corona secarem & in anomalam structuram curatius inquirerem, quod & statim, convocatis civibus, factum est. Præter caput nihil monstri alebat agnellus, (g) in hoc vero *media sub fastigiata fronte oculus unicus, duplici pupilla instructus* reperiebatur, circa quem

(f) In dem Bedencken von dem Geschäffte der Erzeugung, insonderheit einer Frucht in der andern, in dem dreyfachen Reich der Natur. Franckf. am Mayn 1737. Part. III. cap. 3. pag. 47. seqq.

(g) De alio agnello Cyclope, monstroso capite vid. *Joan. Conr. PEYERI* observat. in Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. II. Num. CLXIII. p. 319.

quem *palpebra superior* unica arcuata & paulo inversa jungebatur lateraliter utrinque cum *inferiori* duplici in angulum quasi obtusiorem inferius coalita, canthum domesticum communem formante, utraque palpebra nodulo, seu globulo quasi constricta & connexa, ubi *caruncula* duplo major adparebat, (h) uti ex adposita capitis *figura* 1. *Tab IX.* clarius patet, quam verbis exprimi potest. Narium loco aderant bina tantum parva foramina, per quæ spiritus vix duci poterat, & *labium superius*, molle, pendulum, sine renitentia, osseæ substantiæ maxillæ superioris, *linguá* simul sinistrorsum exertâ, *inferius* vero *labium* cum maxilla etiam sinistrorsum flexum erat.

Detrahenda nunc erat cutis, eximendus oculus, sed interiorem membranarum & cerebri structuram examinare non potui, quia ex mandato parcendum erat cranio.

Oculus exemtus magnus *tunicam unicam albugineam unicamque* habebat *corneam*, *duplicem* vero *uveam* cum *pupilla* duplici & *iride* geminata, & præter magnam humorum *aquei* & *vitrei* copiam, *duos* continebat *crystallinos*. *Retinæ duplicis* fibræ inter se implicatæ terminabantur in *duos nervos opticos* coalitos, per magnum foramen recta & brevissima via ad cerebrum abeuntes. Musculi oculorum ita erant inter se se intricati, ut ob teneritudinem fibrarum nihil potuerit certi de numero eorum determinari. *Cranium*, ut adjecta ejus delineatio *Tab. IX. Fig.* 2. & 3. docet, valde difforme erat, ex varie distortis ossibus, male conformatum. Ex *ossis frontis* fastigiati parte inferiore, concurrentibus utrinque *zygomaticis*

(h) Analogam conformationem, ex concursu palpebrarum inferiorum natam, satis exacte delineatam exhibet D. *Benj. SCHARFFIUS* Observ. CII. Dec. II. Ann. II. Ephemerid. N. C. p. 254. Non minus etiam in illa puella monstrosa, quam descripsit D. *Ern. Fridem. SCHELHASIUS* similis observatur Dec. II. Ann. III. observ. CLVI. Ephem. N. C.

cis & *parietalibus*, absentibus plane *lacrymalibus* ossibus, in cranio agnino aliàs sat magnis & conspicuis, conformata erat *orbita* magna, in postica parte minus arcuata, sed planior, magno foramine pervia. Inter bina *bregmatis* ossa in vertice, breviori sutura, quam *sagittalem* nominant anatomici, juncta, & simul inter *os occipitis* interposita erant duo *alia officula triangularia*, per continuatam *sagittalem* suturam inter se & cum *osse occipitis tenuissimo*, transparente, immo parvis foraminulis pertuso, mediante *lambdoidea* connexa. *Maxillaria ossa*, molaribus dentibus instructa, truncata, lata & narium loco utrinque foraminulis parvis erant instructa. Os *sphenoides* deprehendebatur plane anomalum, compressum & distortum, nec sinus, aut foraminis, quo in nares naturaliter transit, ullum alebat manifestum indicium. *Inferior maxilla*, longior, ad sinistrum latus retorta, dentes alebat tam *incisores*, quam *molares*. Lateris dextri ossa cranii omnia erant majora, sinistri vero minora & quasi compressa, uno verbo, omnium anomalia tanta, quanta aliàs a violentia compressionis & minori mollium partium renitentia inaequali expectari potest.

Si itaque quis hanc ossium compagem intuetur, facile is sibi persuadere posset, ex accidentalibus causis eandem natam esse; quod si vero oculum ejusdemque repertam structuram curatiori meditatione prosequimur, difficile erit judicatu, qua ratione, vi aliqua externa, bini bulbi oculi, dissiti, interpositis ossibus, vel horum rudimentis superatis, mutata sede utriusque, se ipsos quasi subintrare potuerint. Cuivis itaque, rationes partis seu systematis utriusque à celeb. *HALLERO* ordine recensitas, sine partium studio ponderanti & deductas inde conclusiones (i) examinandi facultate pollenti, facile erit judicatu, perquam difficile, si non

(i) Descript. fœtus bicipitis p. 37. seqq.

non impoſſibile, fore, ut ex accidentibus illa oculi ſtructura potuerit oriri ; ſi vero ratione cranii ipſius, illarum vim admittamus, utrasque rationes reſpectu diverſarum partium locum habere poſſe credimus, quod ſagaciorum judicio relinquimus.

Explicatio Figurarum Tab. IX. ad hanc Obſervatione ſpectantium.

Fig. 1. Externam capitis & partium ejus conformationem ponit ante oculos.

Fig. 2. Oſſeam ſtructuram, ſeu Cranii anomaliam ſiſtit.

Fig. 3. Cranium inverſum exhibet.

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Ovis πολυτοκος.

QUamquam oves maxima ex parte ſingulos tantum parere fœtus obſerventur, tamen pabuli beneficio, aut ſi pater, aut mater vim geminandi per naturam habeat, aliquando binos, ternos, quaternos generare & uno partu ſucceſſive eniti, ex *ARISTOTELE* obſervavit *Conr. GESNERUS Hiſt. Animal. Libr. I. de Quadrupedibus viviparis p. m.* 778. In Orchadibus pene omnes geminos, immo plerosque tergeminos edere partus, idem ex *BOETHIO* tradidit. Noſtris in regionibus idem rariſſime contingit, adeoque tanto majori cum diligentia ejusmodi obſervationes notari merentur. Die 23. Martii anni elapſi 1742. ſcripſit ad me verbi divini miniſter & Paſtor *Effeldera, J. H. Kœnig*, νῦν ἐν ἁγίοις, ſequentia : Quod rariſſimum & ultra omnium, etiam ſenectute

ctute confectorum hominum, hujus vicinitatis, memoriam accidit, refero exemplum. *Georgii Fischeri*, rustici Dohlaviensis, ovis gemellos peperit, mox ubi, vah! serius paulo veniunt sui visitaturi, num ovis admittat agnellos ad sugenda ubera, en! inveniunt tertium recenti partu enixum, ast mortuum, interim, dum curam natorum gerunt, quartum quoque eadem parit ovis. Quos omnes, ut aleret diu, cum non sufficeret mater, tertium nutrici supposuerunt, & sic tres illi agnelli cum matre superstite læte adhuc vivunt.

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Motus spasmodici vagi, vulgo *die Kriebel- und Krabel-Kranckheit*, observati in puero X. annorum a vermibus.

RArior apud nos est morbus, qui *Timæo* à *GULDENKLEE* Libr. I. Epist. IX. *Epilepsiæ miræ*, aliis *motuum spasmodicorum vagorum*, aliis alio, nobis Germano plerumque *der Kriebel- und Krabel-Kranckheit* nomine venit, & a me post 25. annorum praxin nunc prima vice apud nos in puero X. annorum observatus est. Adeo mira sunt hujus morbi peculiaris phænomena & symptomata, ut stolidæ plebi, quæ ob causarum naturalium ignorantiam, ejusmodi effectus raro contingentes statim ad fascina refert, hæc falsa erronea præconcepta opinio vix ac ne vix quidem ex animis eradicari queat. Id quod & factum esse novimus, ubi peculiaris hic morbus ab anno 1713. usque 1719. multos homines, sine discrimine vel sexus, vel ætatis, Annæbergæ misere adflixit, multisque tam scribendi quam judicandi ansam, impari licet conatu, dedit. Fusiorem jam recensionem variorum hac occasione publicam in lucem editorum scriptorum heic exhibere

aut

aut judicium de iis ferre tanto minus placet, quo majorem operam jam huic rei dedit Cl. *Theodorus ARNOLDUS.* (*a*) Addere tamen illis ibi neglecta quædam fas esse judico, scilicet Cl. Dn. *Christiani HOEPNERI* Acta privata, betreffend diejenige Kranckheit, wormit Personen unterschiedlichen Geschlechts und Alters zu St. Annenberg vom Jahr 1713. biß 1719. überfallen worden. (*b*) Porro etiam D. *Jo. Christ. WOLFFII* inaugural. Dissert. *de morbo spasmodico epidemico maligno, in Saxonia, Lusatia, vicinisque locis grassato* huc pertinet. (*c*) In Annalibus quoque Uratislaviensibus plures elegantes & doctæ observationes de hoc morbo subinde leguntur. (*d*) Quemadmodum vero causa hujus morbi & tot tristium ejus symptomatum, eo tempore plerumque in nociva tempestatis intemperie & frumentis inde corruptis rubiginosis & loliaceis, alimentisque ex illis confectis posita fuit, ita diri æque ac miri hujus mali causam nonnunquam vermes, seu lumbricos esse posse, observarunt viri celeberrimi, ex quibus virum in observandis & indagandis morborum genuinis causis sagacissimum & experientissimum, illustrem quondam & in ornamentum Germaniæ, incrementumque artis salutaris natum, *Frider. HOFFMANNUM*, nominasse nobis

(*a*) In Præfatione propria ad *Francisci HUTCHINSON* Tentamen historicum de Magia germanice redditum, quod prodiit Lips. 1726. 4to.

(*b*) Prodiit sine loco & anno impressionis, & quoad relationem historicam aliis palmam dubiam reddit.

(*c*) Prodiit illa sub præsidio, magni, dum viveret, B. nunc G. W. *WEDELII*, 1717. & in compendio multa de hac re lectu dignissima refert.

(*d*) vid. Illustr. nostri Præsidis, D. *Andr. El. BüCHNERI*, Indicem universalem Sect. II. Num. XIX. p. 371. tit. Kriebel- und Krabel-Kranckheit.

nobis sufficiet, qui in *Medicina systematica* (r) hunc adfectum a verminosa colluvie generari posse, experientia, optima rerum magistra, comprobatum dedit, idque fieri scribit, non solum rosione intestinorum a vermibus vivis, & acrimonia, sed quandoque etiam a vaporibus putridis, causticis, ex verminosa sentina mortuorum corrupta & putrefacta, hujusque exhalationibus in massam sanguineam abreptis. Cum itaque in nostro puero faciem pallidam observarem, & querelas de capitis dolore tensivo audirem, quem miræ artuum distorsiones, motus opisthotoni, per paroxysmos matutino plerumque tempore, post noctem tranquillam, semper excipiebant, & subito gravissime eum adfligebant, cum phantasiæ turbationibus, quibus porro adcedebant queruli clamores de dolore rosivo in sinistro hypochondrio, adpetitus inordinatus, horrores febriles cum calore præternaturali vago, statim hinc mihi orta est de verminosa latente spurcitie suspicio, inprimis cum omnem conjecturam de corrupto alimento abesse diligenti scrutinio explorassem. Anthelminticis itaque externe umbilico adplicatis & interne quoque exhibitis, hostes nocivos adgredi non dubitavi, adplicatis simul, ad deorsum adliciendos inimicos, clysteribus, ex lacte cum melle confectis. Primis quidem diebus atrociores observabantur cruciatus, quod parentes facile deterruisset ab ulteriori salutarium medicamentorum continuatione, nisi aliquot magnis lumbricis teretibus, veritatis testibus, excretis, convicti acquiescere fuissent coacti, & sic bono esse illos animo jussissem. Tandem Mercurii dulc. rite ppt. & resin. Jalapp. ana gr. IV. cum Amygdal. dul. excort. num. 2. & Sacchari Canar. scrup. I. in pulverem subactis & exhibitis, magna humoris viscidi, lenti, crudi, corrupti copia, cum reliquiis putridorum lumbricorum, fuit excreta, & ab eo tempore, sub continuato balsamicorum usu, a miris jectigationibus dolo-

(r) Tom. IV. Part. III. cap. 3. §. XIV. p. m. 102.

doloribusque octiduum immunis vixit. Ast commissis, ex parentum indulgentia, in diæta erroribus, concesso usu placentæ recenter coctæ & cupediarum ex amygdalis cum saccharo paratarum, insuper mane jejuno ventriculo concessa cerevisia non optimæ notæ, neglecta simul aëris temperie, statim antiqua fabula ad terrorem ludi cœpit. Denuo itaque illo pulvere primas vias absterfi, subjuncta Mixtura ex Ess. Lumbr. anodyn. & Liqu. C. C. succin. unde omnia consopita iterum sunt ita, ut nunc optime vivat & hilaris ad scholas suas reversus sit.

(Coburgo Erfordiam missa d. 10. April. 1743.)

OBSERVATIO CV.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Retentio urinæ lethalis a paralysi particulari.

Virgo 59. annorum per totam vitam satis prospera valetudine gaudens, sub initium præteriti anni, abscessum passa est in manu, qui difficulter admittebat medelam, tandem vero Chirurgi solertia optime consolidabatur. Hunc sequebatur scabies, & mense Aprili dolor urgens versus vesicam observabatur. In latere lumborum dextro dolor levis & obtusus sentiebatur, qui se, secundum situm musculi psoas, ad femur usque extendebat. Urina quandoque adeo saturata profluebat, ac si sanguine tincta esset. Scabiei opponebantur medicamenta sanguinem corrigentia & calculo forsan latenti lenia lithontriptica. Scabies successive imminuebatur; totalem vero illius profligationem dissuadebat tumor in dextro pede obortus, & abscessum minitans, cujus tamen discussio, præter spem & opinionem, sacculis

calidis ſiccis promovebatur, dolor etiam urgens verſus veſicam non redibat, ille vero obtuſus in lumbis permanebat, qui etiam, quia parum incommodi creabat, æquo animo tolerabatur. Urina in debita quantitate & qualitate interim prodibat, nihilque ſabuloſi aut calculoſi continebat. Menſe Majo bis dolores experiebatur exquiſitos ægra, deſcendebant illi e regione renum ſecundum ductum ureterum in veſicam, urina ſimul ſaturate prodeunte. Poſt hæc adparebat inferior abdominis pars paulo tumidior, licet quantitas urinæ excretæ quantitati liquidorum adſumtorum reſponderet, nec ulla reſpirationis difficultas, aut etiam œdema pedum obſervaretur. Dolor priſtinus in lumbis continuabat. Sub initium menſis Julii doloribus magnis ægra corripiebatur aliquot vicibus, qui tamen brevi, oppoſitis carminativis, ceſſabant. Antequam menſis hic finiebatur, ægra de laſſitudine periodica, adpetitu decreſcente & nauſea, præcipue vero panis, conquerebatur, & inferior abdominis pars tumidula manebat, quæ dolorem tenſivum excitabat, ſi ægra in lecto ex uno latere in alterum decumberet. Porrigebantur aperientia, viſceralia, anticachectica, immo aliquot rad. Squillæ doſes, præcipue dum facies pallida & tumida adparebat, & cachectici quid ſuſpicabatur. Superveniebat levis horror & vomitus, quare reliquis medicamentis Eſſent. Cort. Caſcarill. & Cort. Peruv. jungebantur eo cum ſucceſſu, ut ſymptomata ceſſarent, adpetitus rediret, & vires iterum colligerentur. Inferior abdominis pars ſemper eandem magnitudinem ſervabat, & dolor lumborum manebat idem. Hæc relatio ad XIII. Auguſti diem usque ſe extendit, quo die ægra optima ſpe ſanitatis brevi recuperandæ tenebatur, ſed novo ſuperveniente malo terrefacta, meam iterum implorabat opem. Nam urina, quæ hactenus debita quantitate prodiit, ſubſiſtebat ſimul inopinato, & nullus ad eam excernendam ſentiebatur ſtimulus, nec quoque ob remanentiam aliqualis dolor. Omnis etiam evaneſcebat adpeti-

tus

tus ciborum, cujus loco nausea & vomitus, cum siti & magna virium prostratione, adcedebant, sine notabili æstu, pulsus manebat tardus, & abdominis expansio nullo modo imminuebatur, prodeuntibus interim per alvum excrementis liquidis. Quoniam igitur hæc urinæ obstructio plenaria confestim orta fuit, & nullus dolor, nullusque æstus eam comitabatur, qui alias suspicionem de inflammatione sphincteris vesicæ movere potuisset, ideo adfectum hunc pro paralysi particulari organorum ad urinæ secretionem spectantium, declarare nullus dubitavi. Interne ergo nervina, junctis lenibus diureticis & analepticis, externe vero epithemata & cataplasmata regioni pubis, vertebrisque lumbaribus nervina adplicabantur, ast irrito plane cum successu, siquidem ægra, quæ in dies magis viribus destituebatur, & cujus hypocaustum urinosum spirabat odorem, inter preces, ratione ad ultimum usque optima manente, inopinato circa meridiem diei 24. Augusti vitam cum morte commutabat. Cæterum notatu dignum est, quod ultimis vitæ diebus punctula variæ magnitudinis, tartarum urinæ vasis adhærentem referentia, obsederint pinnas narium & extrema articulorum, ut &, quod die ante obitum sanguis e genitalibus excretus fuerit.

SCHOLION.

Morbum virginis hujus complicatum fuisse, nemo negabit, licet primo intuitu illius causa levioris momenti esse videretur. Humores vitales heterogeneis acribus partibus inquinati, deponebant proprio motu peregrina in extremis, & ita in manu excitabant abscessum, ægre sanabilem. Sanatum hunc excipiebat scabies. Massa enim sanguinea per abscessum ab impuritatibus suis nondum satis liberata, acrimoniam ad peripheriam propellebat. Quamquam autem sanguinem depurantia adhibebantur & scabies fe-

re auferebatur; attamen tumor de novo in pede ortus & abſceſſum minitans, ſuadebat, ut ſcabies potius toleraretur in eo gradu, quam ut, ea ſublata, graviori modo anſa præberetur. Commendavi tunc excitationem fonticuli, præſertim quoniam medicamentorum uſum averſabatur, ſed eundem adeo abhorrebat ægra, ut mortem mallet, quam eligere hoc remedium ſibi infenſiſſimum. Equidem dein metus abſceſſus cum tumore evaneſcebat, ſed impuritates dein varia gravia inducebant ſymptomata. Præcipuum erat cachexiæ initium, quod ex abdominis aliqua intumeſcentia, quæ etiam in facie cum pallore obſervabatur, itemque ex nauſea & motibus febrilibus conjiciebatur, quæ incommoda vero, ſi abdomen paulo tumidulum excipias, adhibitis anticachecticis & antifebrilibus obtemperabant; omne tamen, quod intimius latebat, malum, tollere non valebant, diſpoſitionem nempe ad calculi generationem & impuritatem illam humorum acrem, a qua natura abſceſſu & ſcabie liberare ſe anniſa fuit. Quoniam vero neceſſarius & ſufficiens medicamentorum uſus intermittebatur, atque exitus illis impuritatibus non parabatur, hæ nervos ad urinæ ſecretionis organa tendentes, obſtruxerunt, & ſic paralyſin particularem, lethalem tandem exitum accelerantem, induxerunt. Merito autem ipſe hic adfectus lethalis eſt dicendus, quia nulla ſpes adfulget, ut intra ſpatium 7. 9. vel 11. dierum paralyticum malum tollatur, adeoque tanto certius tali tempore, ob urinæ regurgitationem ad maſſam ſanguineam, æger moritur. Videmus in aliis membris paralyticis, quantum temporis requiratur, donec ad priſtinum robur iisdem ita reſtituatur, ut officio ſuo fungi iterum valeant. Rariſſimus utique erit dicendus caſus, ubi ſpatio paucorum dierum paralyſis reſolvitur, qualem in operario quodam vidi, qui poſt caſum ab alto per aliquot dies nec alvum deponere, nec urinam emittere poterat, donec adhibitis nervinis,

in

in partibus inferioribus motus, & sic etiam in nervis ad intestinum rectum & urinæ organa abeuntibus tonus naturalis redierit. In parocho quodam podagrico 60. annorum notavi paralysin etiam particularem a podagra retrogressa ortam, qui septimo ab eo, quo urina fluere cessaverat, die moriebatur.

OBSERVATIO CVI.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Fistula ani ex hæmorrhoidum tumore male tractato.

VIr quidam 50. annorum, sanguineo-cholericus, per plures annos hæmorrhoidum fluxum regularem expertus, ab æstu & equitatione fatigatus aliquando domum reversus, hæmorrhoides cœcas observabat. Tumor successive augetur cum doloribus, æger vero malum ex intempestivo pudore dissimulat, donec cruciatus nimii hunc superaverint, ut primum Pharmacopœo, & dein Medico ordinario rem totam aperire coactus fuerit. Tumor tandem sua sponte rumpebatur, & post copiosi puris, cum sanguine remixti, excretionem, dolor quoque remittebat. Neglectum post hæc ulcus in fistulam abiit, quæ varia incommoda produxit, ita, ut æger illorum pertæsus, tandem sectioni se submittere constitueret, eumque in finem jamjam Chirurgum quendam celebrem & hujus operationis bene gnarum accersere decreverat; ast variis intervenientibus impedimentis res protracta fuit, donec sua sponte coalita apertura minima fistulæ in limbo ani, ægro persuaserit, sanationem ab ipsa natura factam esse, præcipue, dum nihil incommodi amplius sentiebat. Transierunt sic anni 12. & quod excurrit, absque molestia ulla a fistula derivanda, nisi quod æger raro referret,

ret, aliquid purulenti se observare post excrementorum exclusionem, si charta impuritates ab ano detergeret. Hæmorrhoidum fluxus etiam quandoque, licet rarissime & parca quantitate, redibat. Interea arthriticis & calculi doloribus sæpius infestabatur, atque insuper diversæ magnitudinis calculi per vices prodibant. Tandem cruciatus, qui primo rarius adfligebant, & calculo adscribebantur, continue fere torquebant ægrum, ita, ut stranguria paucis admodum horis aliquam quietem concederet. Consilia & Responsa Medicorum celeberrimorum conquisivit, sed omnia commendata remedia contra calculum & stranguriam directa, irrita fuerunt. Miseram hanc vitam duxit fere per biennium, cum febris catarrhalis superveniret, quæ inflammatione faucium & raucedine initium faciebat. Has excipiebat dein tussis & expectoratio, ac postmodum materia catarrhalis, deorsum magis vergens, varia in abdomine incommoda excitabat, donec eadem ad locum adfectum fistularem delata, inflammationem ibi excitaret, ut æger tandem, morbo confectus, doloribus ad ultimum usque durantibus, vitam finiret.

SCHOLION.

Negotium hæmorrhoidale, quod olim tamquam res vilioris momenti consideratum, & negligentius tractatum fuit, hodie perspicue satis dilucidatum quidem est, sed multos dein in eo deliquisse constat, quod omnes fere morbos a causa hæmorrhoidali quasi universali derivaverint, non sine ægrotantium complurium damno. Novimus enim exempla, ubi prolixæ medicationes institutæ fuerunt ad fluxum hæmorrhoidalem provocandum, licet natura invita, quæ nullo unquam motu eandem indicaverat viam. Immo tristes nobis innotuerunt casus, ubi ejusmodi intempestivis curationibus sanitas debilitata & depravata fuit, ut dein per

totam

totam vitam valetudinarii permanserint, aut ipsa mors præmatura inducta fuerit. Monendi igitur sunt juniores Practici, ne in speciosis illis demonstrationibus theoreticis nimiam ponant fiduciam, sed potius illas cum genuina veteranorum Practicorum experientia conferant, & quod maximum est, cognitionem morbi per signa propria eorundemque causas sedulo acquirere nunquam intermittant, qua via, si ordine processerint, errorem omnem certissime evitabunt. Negandum quidem non est, quod in iis morbis, ubi molimina hæmorrhoidalia manifesto occurrunt, illorum etiam ratio sit habenda; his vero deficientibus absurdum etiam foret, si eadem urgere vellemus. Si ergo fluxui huic adsuetum fuerit subjectum, circumspecte de illo conservando cogitandum & eo omnino invigilandum erit, ne intempestive subsistat, aut incongrua medicatione turbetur. Redditur inde massa sanguinea vel mucida, ut cachexia oriatur, uti a mensium obstructione in fœminis chlorosis; vel eadem in orgasmo constituta impetuosas dein congestiones ad alia nobiliora viscera excitat, ut hæmoptysis, apoplexia, aliique graviores morbi inde oriantur, nisi tempestive referentur viæ, & fluxus debite restituatur. Hæc breviter adducta ante resolutionem nostri casus sufficiant. Fatali casu factum est, ut æger hæmorrhoidarius malum, quod sibi equitatione & æstu contraxerat, ob pudorem intempestivum celaverit, & ex nimia fiducia erga Pharmacopœum ignorantem, Medici experti consilium quærere neglexerit, unde factum est, ut hæmorrhoidum tumor indolens, suppuratione facta sua sponte apertus fuerit, & ex negligentia in fistulam degeneraverit. Necessitas inprimis postulasset apertionem tempestivam tumoris illius hæmorrhoidalis, & quidem vel per adplicationem hirudinum, vel mediante scalpello chirurgico, quemadmodum hoc in compluribus aliis feliciter factum fuisse constat, ita, ut statim omnis dolor simul cum exulce-

rationis metu evanuerit. Deinde etiam ex parte Chirurgorum necessaria fuisset tempestiva repurgatio ipsius ulceris, itemque conveniens dilatatio arctioris aperturæ mediantibus turundis, qua ratione facilius exoptata potuisset obtineri consolidatio. Mirandum ergo non est, quod omnia remedia ab exteris commendata fuerint frustranea, quia calculoso adfectui & calculis ipsis aliquoties excretis caussa omnium dolorum & cruciatuum adscribenda esse videbatur, fistulæ autem latentis nulla potuit haberi ratio, quamquam equidem negandum non sit, quod omnis etiam erga fistulam directa medela, quæ omnium optime in primo ejus initio institui potuisset, optatum tamen vix adsequuta fuisset effectum. Valet enim & hic vulgatissima illa regula: Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Si in tempore sectio locum invenisset, malum etiam funditus eradicari potuisset. Erat etiam idcirco ad eam sustinendam tunc æger ipse jam paratus, animum vero dein mutabat, postquam illam coaluisse putavit, nullumque evidens incommodum exinde observavit. Firmiter enim credebat plenarie consolidatum esse hoc ulcus, licet contrarium statuerint & demonstraverint periti & experti Chirurgi, hasque inducias admodum infidas esse declaraverint, quia ob externam hanc tantum adparentem consolidationem, fistulæ indolem nondum deposuerit, quin potius plures cuniculos interius agendo, majores adhuc progressus clandestino faceret modo: quam diu igitur sufficeret pinguedo, intestinum rectum obsidens, & sic in massam insensilem unice se diffunderet, tam diu etiam nullum incommodum, nullumque dolorem metuendum esse; simulac vero extremitas aliqua fistulæ intestinum rectum, vel ipsi adjacentem vesicam urinariam attingeret, & pus acre rodendo vim suam ibi exereret, tunc omnino statim dolorem continuum & intolerabilem sustinendum fore. Prognosticon hoc confirma-

firmavit eventus. Sero nimis doluit æger, quod monitis salutaribus non ſtatim auſcultaverit: Nam poſt decurſum 12. annorum fiſtula ad veſicam propius accedebat, unde dolor primo levis, dein continuus, & tandem intolerabilis fere oriebatur, qui ad inſtar ſtranguriæ ægrum ad ultimum usque vitæ halitum excruciabat. Novimus alia exempla, ubi fiſtula veſicam urinariam & inteſtinum rectum perforaverat, ut per hoc urina, per illam feces alvinæ, tranſierint.

OBSERVATIO CVII.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Fractura Cranii cum læſione & deperditione portionis cerebri.

PUer 4. annorum ex alto deciderat in caput, quod lapidi acuto impegit ita, ut inſtar mortui domum deferretur, ubi per horæ quadrantem omni ſenſu privatus jacuit. Redibat dein ad ſe iterum, ſatis vegetus videbatur, & ad interrogata bene reſpondebat. In oſſe bregmatis dextri vulnuſculum conſpiciebatur. Exploratione debite facta deprehendebatur cranii fractura triangularis, per medium oſſis bregmatis dicti facta, & ad ſuturam usque ſagittalem & coronalem excurrens. Brachium atque pes ſiniſtri lateris paralyſi laborant. Puerulus nihilominus nucleum pruni ſiccati dentibus frangere valebat. Demtis ligaturis & remoto linteo carpto e vulnuſculo proveniebant denſæ albæ fibroſæ materiæ cochlearia duo, ſubſequente dein ſanguine lympha diluto. Denſa illa alba materia nihil aliud erat, quam ipſa cerebri ſubſtantia. Inciſio itaque inſtituebatur ſecundum fracturæ ductum, ubi iterum aliqua cerebri portio prorumpebat

bat, cujus etiam sequentibus diebus complures minores particulæ extrahebantur, puerulo interim per 18. dies in statu satis tranquillo constituto. Proinde etiam in paralyticis artubus motus & sensus successive redibant, vulnus optimum tandem reddebat pus, & novo pericranio os fractum denudatum obducabatur. Sed die ipso 18. tumor acuminatus in parte fracturæ majori conspectui se se dabat, qui primo durus erat, dein fomentationibus emolliebatur. Inciso hoc tumore effluebat liquor aqueus, cum pauco sanguine mixtus. Sub hac apertura magna latebat cavitas. Injectionibus & ligaturis debite adplicatis tumor evanescebat, & incisio facta pariter consolidabatur. Brevi post alius tumor in parte anteriore fracti cranii circa suturam coronalem oriebatur, qui tamen paucorum dierum intervallo iterum subsidebat. Post septimanæ octavæ decursum prior tumor iterum redibat, & in dies incrementum majus capiebat, ita, ut circa medium sequentis septimanæ crassitie pugnum & longitudine manum æquaret in dextro bregmatis osse. Æger hinc magis magisque contabescebat & debilior reddebatur. Vulnus colorem mutabat, & pericranium novum cum carne denuo generata evanescebat, & carnem muria conditam referebat. Cranium denudatum insuper nigrescebat, & vulnus loco cocti puris hactenus redditi, liquidam saniem excernebat, immo ultimis diebus humor limpidus copiosus promanabat, qui splenia, ligaturas & stragula insigniter madefaciebat. Sub initium decimæ septimanæ supervenientes convulsiones, vomitus & deliria instantis mortis indicia præbebant, quæ etiam elapso biduo sequebatur. Sectione tumoris facta, quia ulteriorem reliqui capitis parentes superstitiosi non concedebant, substantia cerebri altitudine trium digitorum transversorum & longitudine dimidiæ manus extra cranium propulsa, & a lympha

phæ copioso adfluxu admodum rarefacta & expansa conspiciebatur.

SCHOLION.

Apoplexiæ secundi gradus imaginem exhibuit puer hic post casum ab alto perpessum : nam sensu & motu privatus erat primum, & ad se dum rediit, paralysis remanebat in sinistro latere.

Refutantur hac observatione illi, qui negant, hominem vitam protrahere posse, si meninges cerebri ruptæ fuerint, aut cerebrum ita læsum sit, ut de ejusdem substantia portio aliqua separetur, & per vulnus prodeat.

Indicium illud, quo illæsum cranium esse conjicitur, si durum corpus dentibus frangere æger possit, infidum esse, nostra docet observatio.

Cæterum etiamsi pars cranii fracti triangularis separari & eximi potuisset, nulla tamen curatio speranda fuisset, quoniam læsum cerebrum tanto minus cohiberi & retineri in loco debito potuisset. Adfluxerunt successive humores ad cerebrum læsum, ejusque substantiam hinc inde in tumorem elevarunt, qui tandem mole auctus, nec fasciis, nec ulla alia arte retineri potuit. Adfluxus hic humorum contingit etiam sæpius in aliis partibus læsis, & hic in nostro casu admodum copiosus fuit, ita, ut reliquum corpus succo nutritio destitutum, & in dies magis emaciatum fuerit. A seroso hoc humore adfluente etiam integræ partes, cerebro læso subjacentes, successive corruptæ fuerunt, unde deliria & convulsiones ortum duxerunt, & mortem brevi secuturam adnunciaverunt.

Mirum videri posset, quod paralysi tactum brachium cum pede sinistri lateris restitutum in integrum fuerit, cum tamen cerebri læsa pars non admiserit sanationem, sed potius alias adjacentes partes simul in corruptionem traxerit.

Conjicimus itaque, paralyſin illam a concuſſione cerebri tantum, à caſu ab alto induƈta, & non ab ipſa ejus læſione ortum duxiſſe. A concuſſione hac etiam derivandum eſt, quod puer ſtatim ſenſu & motu privatus inſtar apopleƈtici per aliquod tempus jacuerit.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS. Notabilia quædam circa Apopleƈticos obſervata.

MAtrona quædam 76. annum & vitam ſatis ordinatam agens, diætamque optime obſervans, doloribus arthriticis ſemel vel bis per anni ſpatium obnoxia, ante 16. annos jam apoplexiam paſſa eſt, & plures dies ſine ſenſu & loquela tranſegit. Rediit tandem ad ſe, medicamentis congruis adhibitis, & ſuccedentibus doloribus arthriticis loquela reſtituta fuit. Ab eo tempore præter inſultus conſuetos articularis morbi, ſana vixit. Ante biennium apoplexia denuo correpta, iterumque ab ea, ſicuti prima vice, feliciter liberata fuit. Menſibus abhinc duobus tertia vice apopleƈtica evaſit. Per 24. fere horas motu, ſenſu & loquela deſtituta manſit. Exhibui liquorem C. C. ſuccin. cum Eſſent. Caſtor. mixtum interne., externe vero adplicabantur excitantia ſpirituoſa, veſicatoria, V. S. quibus tandem obtinui, ut ægra ad ſe redierit, ſe erexerit & dixerit: Heu! quid mecum agitis? digitos intendens ad veſicas, quarum excitatio dolorem pariebat. Surrexit deinde e leƈto ſua ſponte & in ſellam proximam ſe contulit, ſed ab eo tempore ne verbulum proferre amplius potuit per aliquot dies, tandem vero nomen ancillæ pronuntiare tentavit. Poſt decur-

decurſum aliquot menſium plura verba componere didicit, quorum elocutionem interdum intelligere poſſunt adſtantes domeſtici, interdum vero non, ſi nempe in ſermone formando verbum deficit, quod, dum quærere adnititur balbutiens, omnium illorum, quæ indicare volebat, interim obliviſcitur.

Hunc caſum ideo communicatione dignum judicavi,

1. Quia haec ægra in ſenio conſtituta ſæpius ab apoplexia iterum liberata fuit;
2. Quia apoplexia ſemper eundem gradum, nempe primum, in ea retinuit, & ſequentes inſultus, qui alias prioribus graviores eſſe ſolent, mitiores ſemper fuerunt;
3. Quia poſt aliquot paroxyſmos apoplecticos nunquam paralyſis in aliquo latere obſervata fuit.

Caſui præcedenti alium, apoplecticæ 60. annorum, jungo. Hæc conſuetos calculi dolores experiebatur, qui ſemper vomitibus, obſtructione alui, & motibus febrilibus ſtipati erant. His opponebantur remedia eadem, quæ in illo ipſo malo huic ægræ contra calculum proficua fuerant, junctis ſimul antiſpaſmodicis alvum aperientibus, & clyſteribus lenientibus. Doloribus quoad maximam partem ceſſantibus ægra, quæ ſpem convaleſcentiæ concipiebat, in ſomnum profundum incidebat, & expergefacta e lecto properabat, ſed inter manus auxiliatrices circumſtantium corruebat, atque aphona, itemque ſenſu ac motu deſtituta deprehendebatur. Licet igitur eadem, quæ in præcedente caſu jam enumeravi, exhiberentur medicamenta, irritus tamen erat eorum uſus, ſiquidem poſt decurſum 48. horarum placide ægra expiravit. Quemadmodum autem in prognoſi caute ſemper procedendum eſt, ita & hoc in caſu parum ſpei pro vita ſervanda ſupereſſe ſtatim pronunciavi, licet

1.) Hæc

1.) Hæc ægra 16. annos ratione ætatis inferior esset præcedente;
2.) In hac pulsus æqualis & ordinatus esset, quem in illa summe inæqualem & variantem observavi;
3.) Hæc respiratione liberiori frueretur, priori cum ronchis respirante, præsertim, si lateri sinistro incumberet.

Præterea hoc quoque adhuc notari meretur,

a) Quod hæc intra 48. horas mortua sit, dum prior intra 24. horas ad se rediit, insuperque
b) Hæc calculi, illa arthriticis doloribus adflicta fuerit.

OBSERVATIO CIX.

Dn. Lic. CHISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Salivatio spontanea.

VIr 46. annorum, habitus corporis macilenti, ante 20. añis morbo articulari laboravit, unde motus extremorum difficilis & dolorosus redditus fuit, qui tandem medicamentis multis incassum adhibitis, usu balnei mineralis in integrum restituebatur. Ultimis añis sæpius febribus pectoralibus, pleuriticæ plerumque indolis, correptus fuit, quam ob causam aquas Selteranas cum lacte bibit, eo cum successu, ut per totum annum ne minimum quidem incommodi in pectore amplius senserit. Consultum ergo fore videbatur, ut usus dictarum aquarum repeteretur, quem in finem laxans præmittebatur, quod ante meridiem consuetum edebat effectum. Nocte sequente vomitus, dolores abdominis, & diarrhœa insequebantur, magnamque debilitatem inducebant, quare intermisso usu aquarum Selteranarum, ad corrigendam acrimoniam lymphæ interim exhibebantur sulphur antimonii auratum, Essent. Lignor. & Decoctum e radic. & lignis anticatarrhalibus, cum rasur. C. C. His per ali-

aliquot dies adhibitis, tumor in facie adparebat, palpebræ inflatæ videbantur, & in oculis rubor conspiciebatur. Continuabatur usus Essentiæ & salivatio ipsa copiosa sequebatur. Cum sæpius observaverim in hoc ægro magnam salivæ secretionem ab exhibitis in Pleuritide sulphureis, cum successu optato evenisse, sperabam brevi hujus excretionis finem, ast hujus loco eadem augebatur, & copiosissima erat, junctis doloribus oris, qui increbescebant in dies, ut adfluxum acrimoniæ laxante derivare necessitas postularet. Scopum hunc obtinebam quidem, sed brevi post succedebat in articulis motus difficilis & dolorosus. Instituebantur frictiones, adhibebantur decocta lignorum, & antarthritica per 3. septimanas, sed absque effectu sperato, nam difficilis & dolorosus articulorum motus immutabilis persistebat, tumor etiam hinc inde in illis adparebat, videlicet in genu dextro, & præcipue in talo pedis sinistri, quibus accedebat dolor perquam vehemens brachii, cum aliquali inflammatione. Præscribebam hinc antimonium crudum in pulvere, unde primum levamen sentiebat quoad motum articulorum, efflorescente simul purpura scorbutica cum multo sudore, ita, ut æger absque adminiculo obambulare potuerit, sicque in dies major convalescentiæ spes adfulgeret; sed præter omnem expectationem signa salivationis denuo se manifestabant, quæ etiam sequentibus diebus adeo copiosa reddebatur, ut per noctes diesque saliva magna cum molestia & doloribus faucium continue proflueret. Licet ergo nulla mihi innotesceret causa, quæ salivationem hanc spontaneam excitare potuisset, siquidem nec mihi, nec ægro de sumto vel præscripto medicamento mercuriali quidquam constabat; consultum tamen esse duxi, ut salivationi nulla poneretur remora, inprimis quoniam ægrotus adferebat, quod, simulac saliva iterum fluere inceperit, ipsi visum fuerit, ac si oculis velamentum obnubilans detraheretur, & articuli paulo mo-

biliores redditi essent. Salivatio itaque hæc durabat per 14. dies copiosa, mitior dein parciorque per 6. dies, continuatis interim per totum salivationis tempus pulveribus antimoniatis. Cessante salivæ fluxu, æger motum articulorum difficiliorem statim iterum sentiebat, quare ope spiritus vini accensi sudor provocabatur cum effectu variante. Superius dictum est, quod natura per purpuram scorbuticam humores ab acrimonia nimia liberaverit, hac vero excretione non sufficiente, tumores duri copiosi, in corpore & extremis partibus oborti, partim ad suppurationem sponte deducti fuerunt, partim sine hac iterum evanuerunt. Balnea ex acidulis calefactis parata itidem quoque in usum vocata fuerunt, sed sine notabili effectu. Aliorum Medicorum remedia etiam adhibebantur, cum vero & hæc effectu optato destituerentur, naturæ viribus malum reliquum permissum fuit per anni dimidium, intra quod tempus motus & robur articulorum rediit in tantum, ut iis melius uti, & in publicum prodire potuerit æger. Nullum superest dubium, quin Thermæ, quas nunc adire decrevit, omnia in integrum restituturæ sint.

SCHOLION.

De salivatione spontanea complures quidem observationes passim apud Practicos occurrunt, sed hoc peculiare habere videtur casus hic modo descriptus, quod omnia conjuncta habuerit symptomata, quæ salivationi per mercurialia excitatæ solennia sunt, nempe cephalalgiam, anhelitum fœtidissimum, dolores gingivarum earumque tumorem, &c. Similis mihi casus ante 12. annos in Chirurgo sene obtigit, cui sine adsumto, vel externe adplicato tunc temporis mercuriali medicamento, spontanea ejusmodi salivatio occurrebat, omniaque signa ordinariæ talis per mercurialia provocatæ excretionis conjuncta habebat, quorum intuitu etiam vix ac ne vix quidem persuadere mihi possum, eandem in

utroque

utroque subjecto ab alia causa, quam a mercurio, excitatam fuisse; cum vero neuter horum ejusmodi remedium mercuriale brevi ante ipsam salivationem adsumserit, hinc quæstio oritur: An mercurius olim in corpus delatus, & non per viam consuetam, glandulas scilicet salivales, aut alia excretoria rite evacuatus, sed in corpore relictus, successu temporis, & post multos annos activam quandam vim exercere & salivationem inducere possit? Prior ex his negare non potuit, se in juventute a Chirurgo quodam Pilulas aliaque medicamenta pro sanguine depurando accepisse, a quorum usu dein dolorosam illam movendi difficultatem in brachiis & pedibus successive inductam fuisse observaverit; non minus etiam modo dictus Chirurgus senex de se ipso fassus est, se eo tempore, quo castra sequutus, ante 20. annos & quod excurrit, plus simplici vice mercurialia adsumsisse, absque tamen tunc insequuta salivatione. Rebus sic stantibus, non adeo absurdum erit, si statuam, mercurium olim adhibitum nunc sub peculiari sanguinis constitutione excitatum, & ad glandulas salivales delatum, effectum consuetum, nempe salivationem, produxisse, quam sententiam confirmat speciale illud in nostro simul occurrens symptoma, quod in articulis se manifestabat, nempe motus eorum difficilis & dolorosus, si salivatio a laxante exhibito imminuebatur, vel dein sponte cessabat. Quem enim latet, quod mercurius idem hoc præstet, si non ex corpore per vias ordinarias tempestive eliminatur?

OBSERVATIO CX.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Maculæ sanguineæ.

PUer 10. annorum, sat vegetus, morbillis correptus, brevi sine medicamento morbum hunc superaverat. Per

 14. dies

14. dies hinc ſanitate optima fruebatur, dein absque errore notabili prægreſſo cruentatione gingivarum laborare cœpit cum fœtore, quam excipiebat hæmorrhagia narium vehemens, vomitusque cruentus, ita, ut vires omnes fere exhauſtæ viderentur. Durante hoc fluxu prodierunt maculæ ſanguineæ in tota corporis peripheria. Parentes pro nova morbillorum ſpecie eas reputantes, opem meam implorabant, utque ſanguinem copioſe per vices profluentem ſiſterem, enixe rogabant, quia pallidus cæterum & exſanguis jaceret puerulus miſer, & morti videretur proximus. Præſcripſi ſtatim mixturam ex aquis adpropriatis cum aceto vini deſtillato & Corall. pulveriſat, itemque Tinctura ſyrupoque conſtantem, a cujus uſu hæmorrhagia omnis plenarie ceſſavit, ſed macularum ſanguinearum copia increvit, puerque nullo frui ſomno potuit. Ordinavi dein Eſſent. Cortic. Peruv. & Caſcarill. cum Laudano liqu. Sydenham. mixtam, quo remedio factum eſt, ut maculæ ſucceſſive colorem mutarint, decreverint, & tandem penitus diſparuerint, intra 5. dies, puerque priſtinam feliciter recuperaverit ſanitatem, qua etiam adhuc dum gaudet.

SCHOLION.

Rarus utique hic morbus eſt, mihique ter non niſi occurrit in praxi. Puer & puella quædam poſt variolas ſuperatas, ſimili fere modo eodem adflicti fuerunt. Tertia demum vice illum ante 16. annos in muliere 30. annorum obſervavi. Hæc quarta puerperii hebdomade hæmorrhagiis uteri & narium vehementibus correpta, omni fere vitali humore privabatur, juncto ſimul fœtore notabili. Maculæ ſanguineæ totum corpus obſidebant. Domeſtici morbum hunc putrilaginoſum eſſe ex eo pronuntiabant, quia obſtetrix ex negligentia ſecundinas tempore æſtivo in vaſe aqua reple-

repleto reliquisset per plures dies, a quibus putridis factis fermentum quoddam transiisset in corpus puerperæ. Ego interim nihil curans stolida ejusmodi judicia, primo malum urgens, hæmorrhagiam nempe, sistebam, dein subjungebam resolventia temperata & roborantia, unde sanguis stagnans successive dissolvebatur, maculæque omnes disparebant, muliere in hunc usque diem adhuc sanitate optima fruente.

Quidam morbum hunc scorbuticum esse pronuntiarunt, sed nulla in eo scorbuti signa vel in initio, vel in augmento adparent. Citius etiam, ex parte ægrotantium, vel sanitas restituitur, vel mors acceleratur, quam in scorbuticis adfectibus fieri solet, ita ut *LENTILIUS* miratus sit, puerum ægrotum, hæmorrhagia gingivarum & maculis ejusmodi laborantem, & pro scorbutico reputatum, sperato citius convaluisse. Certum est, sanguinis crasin hic ita attenuari, illumque adeo fluxilem reddi, ut non solum parietes vasorum penetrare, sed & data quacunque porta prorumpere possit, prout vel orgasmus ejusdem accedens sursum aut deorsum urget, vel pars hæc vel illa debilior est, aut similibus congestionibus jam adsueta. Penetrat ita constitutus sanguis & transudat per vasa minima, stagnatque sub cute, quem dein coagulatum ipse, remota cuticula, e macula tali protraxi, quare etiam maculas has *sanguineas* vocandas esse censui. Nunquam adfectum hunc maculosum sine hæmorrhagiis, sed sine febre eundem in muliere & puero ante dicto observavi. Negare vero nolo, morbum hunc maculosum etiam solum occurrere posse sine hæmorrhagia. Maculæ hæ plerumque nigrum, quandoque etiam purpureum & violaceum colorem primo in puncto monstrantes, augentur successive ad lentium magnitudinem, immo quandoque etiam majores evadunt, plurimæque earum rotundæ sunt figuræ, pauciores vero irregularem formam habent.

Secundum caufam hujus morbi allegatam, facile adparet, ea remedia hic locum habere, quæ fanguinem nimis refolutum & rarefactum incraffare & lentorem ipfi inducere valent. Conveniunt itaque acida, mucilaginofa, tonica & roborantia. Inprimis autem malum urgens refpiciendum eft, nempe hæmorrhagia, fi enim hæc non mitigatur, vel fiftitur, lethalis femper metuendus eft eventus; fopita vero hac, vitæ fpem concipere poffumus, cæteris paribus. Maculæ enim ipfæ cito fatis difparent, adhibitis refolventibus cum tonicis remixtis, quæ fanguinem ftagnantem incidunt, ut novo fanguini adfluenti conmmifceatur, iterumque a peripheria auferatur, qua ratione facile fimul ifta ftigmata evanefcunt.

(*Curia Varifcorum Erfordiam miffa d. 17. Maji 1743.*)

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOAN. HERMANN. FÜRSTENAU.

Scabies climacterica.

NOn omnem, neque etiam nullam fcabiem effe contagiofam, jamjam per experientiam conftat, priorisque veritatem adferti, quidquid de ulceribus fcholarum in opprobrium earum effutiat *HELMONTIUS*, exemplis, quæ fcabies critica & fenilis fuggerunt, convictus pridem oftendi in ea, quæ de *Contagio & morbis contagiofis* exponit, differtatione, qua vix typis evulgata, vocatus ad ægrum, fœda & univerfali fcabie laborantem, obftupui, quod veram Lepræ ideam, quam toties hactenus pro non ente, hodie nimirum & extra facram Scripturam, publice declaravi, me confpicere, vifus mihi fim, ulceribus fœdis ferum acre plorantibus, & late ferpentibus, fimulque univerfum corporis habi-

habitum, capite vix excepto, depascentibus, quin & cutis duritie & tumore insigni, in artubus inprimis, suspicionem illam augentibus. Quæstionum, ægris primo saltem ingressu proponi solitarum, nullam intermisi, quo ad veram mali originem penetrarem. Erat 39. annorum vir, in cœlibatu hactenus sed casto, quantum sollicita exploratione indagare licuit, vivens, sedentario vitæ generi, non tamen æque speculabundo, aut animi pathematibus turbato, addictus, hoc malo ab exordio hujus anni in quartum usque mensem misere adffigitur, & quamvis nihil eorum fecerit reliqui, quibus a molesto illo hospite cito, sed & tuto liberaretur, ab auxiliis tamen omnibus hactenus adhibitis nullum levamen expertus est. De virili rogatus membro, & idem similibus, quibus reliquum corpus, conspurcatum esse pustulis, adfirmat infirmus, Gonorrhæam autem vel simplicem, vel virulentam aut adesse, aut adfuisse identidem, ne quid dissimularet, admonitus, constanter negat; neque vero in faucibus, aut alibi ulla miasmatis venerei, quod Lepræ putatitiæ sub pallio delitescere solet, reperire licuit vestigia, ægro recte de reliquo valente, sobrie vivente, neque ullis indulgente causis, quibus scorbutus, ignotus nunc passim, generari vulgo creditur. Ad varia protracto sermone, dysenteriæ forte mentio incidit, qua præterito autumno epidemice hisce in regionibus grassante, noster non tam contagii, quam terroris occasione correptus, sed & brevi ab eadem iterum liberatus atque dein post exiguum intervallum malo præsenti correptus est, quam veram atque unicam causam esse morbi occasionalem, in ea causarum reliquarum absentia, non amplius dubito, quod vel naturæ pusillanimitate, vel incongruo medicamentorum usu, vel regimine perverso, materia peccans, per intestina minus sufficienti quantitate evacuata, ad massam sanguineam hinc iterum retrocedens, eadem mediante ad habitum corporis delata, eundem critica hac ἀπο-

ϛάσει conſtanter & actis quaſi radicibus infeſtaret. Quare curationem audacter adgreſſus, præter lignorum decocta & mercuriales pilulas, illa quidem aſſidue, haſce vero per vices ſumendas, antimonii & ſuccini tincturas, pulveres quoque abſorbentes & diaphoreticos, æthiope minerali, & ſulphure antimonii animatos, per aliquot menſes ſedulo uſurpatos neque effectu deſtitutos ſalutari, externe vero præter pediluvia & manuluvia ex furfure triticeo parata, ſemen inprimis Lycopodii cum Pompholyge permixtum & frequenter adſperſum officium feciſſe, optatus docuit eventus, ægro nunc recte iterum valente, ab omni ſcabie cruſtatim decidente libero, & ſanitatem tenui pendentem filo poſt Dei O. M. gratiam auxiliis ſ. d. in acceptis ferente. Quibus addendum eſt, quod æger hic V. Sni & ſcarificationi adſuetus, utrumque hoc medium hactenus neglexerit, poſteriorem vero mature, & iterato, priorem vero ſerius aliquando ob nimium artuum tumorem, nec ſine levamine repetierit.

Similia ſcabiei criticæ pariter valde refractariæ, ſed felicem tandem eventum nactæ, exempla partim in virgine annoſa, poſt ſuperatam feliciter febrem petechialem, partim in vidua melancholica, in decremento morbi cum notabili ſymptomatum remiſſione notare licuit.

OBSERVATIO CXII.

D. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU, Mortis ſubitaneæ cauſæ variæ.

Morte ſi quis ſubita extinguitur, culpam vel in apoplexiam, vel in catarrhum ſuffocativum rejici, communiter audias. Ita vero ſentientes frequenter falli, illuſtris *HEUCHERUS* in diſſertatione, quæ de *erroribus circa cauſas mortis ſubitæ* agit, præclare dudum oſtendit, idem-

que

que uno alteroque exemplo ex recenti memoria dilucidare juvabit. Virgo erat rustica, viginti annos nata, quæ sumto ab empirico emetico sub ejus manibus inque ejusdem domicilio subito fatis cedens, justissimam excitavit suspicionem, causam in emeticum ipsum sive quantitate, sive qualitate excedens, conjiciendam esse. Facta auctoritate publica corporis exanimati sectione, ventriculi quidem pars extrema circa pylorum, & intestini duodeni initium sphacelatum, non tamen erosum, reliqua autem intestina vacua, totumque abdomen una cum ejusdem contentis omnis labis expers fuit deprehensum; in cordis vero ventriculo dextro massa quædam ad instar pinguedinis coagulatæ occurrit, quæ orificium arteriæ pulmonalis claudens, pro vera mortis subitæ causa merito fuit habita. Et massa quidem ista exemta & exsiccata, gelatinosum quoddam & membranaceum retulit concrementum, quale genuinum veri polypi solet esse initium, quod alias veteribus procul dubio frequentius occurrit, atque *coaguli sebacei* nomine iisdem venit, cujusque in locum polypi nostra ætate frequentiores successisse videntur. Enim vero de causis insoliti hujus phænomeni sollicito, & varia roganti, qui sectioni judiciali aderat, Medico, propinqui responderunt adstantes: Defunctam hactenus utcunque sanam, plerumque ὀρθοστάδιον, nudius tertius labores rusticos, flagello frumentum e stramine excutiendo, exeruisse, a triennio vero anxietatibus præcordialibus fere perpetuis laborasse, indeque ad quærenda varia auxiliorum genera excitatam fuisse, recte cæteroquin valentem, bene ingerentem, & nullis unquam anomaliis ratione menstrui fluxus obnoxiam. Ulterius quærenti, quid ante triennium angustiis illis præcordialibus primam forsan originem & occasionem præbuerit? potus occurrit frigidus, post labores rurales æstivo & messis tempore corpori æstuanti affatim ingestus, infelix ille tot sonticorum malorum ipsiusque mortis subitæ au-

ctor. De emetici indole rogatus empiricus, tartarum quidem emeticum se exhibuisse causatus est, cujus ingentem ostendit copiam, a seplasiario vicino acceptam, interim vero nec modum parandi, nec legitimam ejus noverat dosin, utpote quam non granis, sed ut rumor erat, avellanæ nucis pondere & magnitudine circiter, repetitis saltem vicibus, paucarum horarum intervallo, exhibuit, id quod etiam diffiteri non poterat, crassam ejusmodi ignorantiam in determinandis spiritus Vitrioli, Cornu Cervi, itemque Coralliorum præparator. & similium, dosibus ad stuporem usque adstantium, elata voce prodens. Causa itaque proxima mortis hujus subitæ concremento isti cordis gelatinoso merito fuit adscripta, ita tamen, ut emeticum imprudenter exhibitum & temere repetitum omnis culpæ minime expers fuisse, sed causæ occasionalis & antecedentis vicem gessisse, & coagulum istud in corde quiescens orificio arteriæ pulmonalis, conatuum occasione ad vomitum necessariorum, firmius impegisse, mortemque adeo subitam in hoc subjecto valde promovisse, rationis ductu, quam rerum usus confirmat, judicatum est.

Sed longe alia erat conditio viri fere sexagenarii, qui juvenis quondam in Indiam orientalem profectus, inde vero redux vitam non quidem otiosam, sed tamen tranquillam, itineribus licet, litibus forensibus, indeque enatis tædiis distinctam hactenus vixerat, & habitum corporis cachecticum subtumidum diu ostenderat. Is per novem mensium spatium variis dolorificis & spasticis in infimo ventre adflictus symptomatibus, indeque vix eluctatus, medio Decembri, tempestate satis horrida, equo huc vectus prævia cœna frugali, cui unum alterumque vini haustum præmiserat, hora octava vespertina doloribus, ut putat, colicis, cum vomitu adsumtorum perpetuo, correptus, totam noctem insomnem traduxit, inque frumenti spiritu & similibus domesticis reme-

diis dolorum solatium frustra quæsivit. Summo mane vocatus & faciem manusque frigidas, pulsumque nullum, ægrum vero ob dolorum atrociam perpetuo vociferantem offendens, & iliacam passionem metuens a diluculo ad meridiem fere perpetuo ægro suo adstitit Medicus, & selectissimis identidem præscriptis remediis temperantibus, nervinis, cinnabarinis, camphoratis, castorinis, anodynis, minus vero opiatis, quæ tantopere efflagitaverat. Summis angustiis exagitatus æger, vomitum quidem tantisper remittentem, sitimque hactenus clamosam nonnihil placatam, & alvum a clystere mere oleoso, post potionem mannatam frustra exhibitam, tantisper reseratam vidit, ægro prævio singultu perpetuos inter cruciatus & motus spasticos post meridiem fatis cedente, inque ipso mortis articulo materiam purulentam, sanguine permixtam, notabili in quantitate ex ore, faucibus & naribus excludente, qualem & summo mane vomitu excreverat, manifesto documento abscessus interni fortean rupti, & suffocatione enecantis, cujus veram sedem & reliquas circumstantias, ob denegatam exanimati corporis sectionem, ignorare cogimur, exquisitis circa umbilicum doloribus ad ultimum vitæ halitum ægrum excruciantibus, vel intestina tenuia, vel mesenterii partem iisdem adnexam haud obscure denotantibus.

OBSERVATIO CXIII.

Dn. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

Icterus annuo spatio molestus, tandemque feliciter curatus.

Fœmina fere quinquagenaria, menses hactenus rite & copiose fluentes, itemque in puerperiis frequentioribus copiosum semper lochiorum fluxum experta, ab octo

retro annis tertia nunc vice Ictero correpta fuit, eadem nempe, ut in hiſce Actis N. C. *Volum. V. Obſ. 56. p. 233.* fuſius eſt adnotatum, gravida quondam, variis & decretoriis ſymptomatibus, ipſi tamen matri & fœtui innoxiis, jamjam adflicta. Poſt æquinoctium ergo autumnale ægra hæc prævia animi commotione graviore & ira ſuppreſſa, alios inter diætæ errores, nauſea primum, doloris & preſſionis ſenſu in hypochondrio dextro, cum colore in habitu corporis flaveſcente, laborare cœpit, quibus, non obſtante emetici, laxantium, aperientium, tonicorum, aliorumque congruorum remediorum uſu, ſenſim auctis, ægra brevi ictero perfecto & univerſali correpta eſt cum febre quartana, vel etiam quintana, ciborum faſtidio, vigiliis, ſiti, alvi adſtrictione, doloribus dorſi, pruritu, & ſimilibus ſymptomatibus, per totam deinceps hiemem modo plus, modo minus exacerbatis, medicamentis interea convenientibus, una cum V. Sne. & ſcarificatione, cui utrique adſueta eſt, aſſidue continuatis. Et morbus quidem gravis ac contumax, periculi tamen omnis expers videbatur, donec circa æquinoctium vernum, menſes ex ordine hactenus fluentes emanere, & in abdomine, præſertim circa hypochondrium dextrum, durities quædam ſenſim obſervari & incrementum ſumere videretur, colore flaveſcente conſtanter perſeverante, quin in luridum & nigricantem vergente, ægra vero macie, facie cadaveroſa & ſumma virium proſtratione atque ſudore nocturno, immo fere colliquativo vivam mortis ideam referente, adpetitu tamen integro, immo nimio interdum, ſpem vitæ, ſed valde dubiam, faciente. Poſt varia tempore hoc vernali uſurpata, ſuccum Betulæ, aquas minerales Sedlicenſes, ſerum lactis, medicamenta quoque Hallenſia multiplicis generis, adeſt, qui motum corporis voluntarium ſuadet, quod conſilium valde quippe ad palatum ægrotæ, ipſa avidis arripit auribus, ac lecti domuſque pertæſa, quotidie deinceps etiam tempe-

ſtate adverſa curru vecta eſt, ſummo cum levamine, tandemque ad acidulas Pyrmontanas proprio magis auſu, quam Medici ſuaſu, uſurpandas animum adpulit, eo quidem effectu, ut juncto frequenti ſimul balneorum uſu, cum ſanitate in gratiam perfecte rediiſſe videretur, ſolo tamen flaveſcente corporis colore conſtanter perſeverante, qui tamen & ipſe anno vertente, æquinoctio nempe autumnali iterum adpropinquante, per quandam medicamentorum, & acidularum inprimis hyſterergiam, vel gratiam potius & benedictionem divinam, prorſus evanuit, ægra hucusque conſtanter, immo pancratice valente.

OBSERVATIO. CXIV.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.
de
Abſceſſu circa genu omiſſa quædam.

POſteaquam de Abſceſſibus circa genua notatu dignas & felici plerumque exitu terminatas, hiſce Actis N. C. *Vol. VI. obſ. 9. pag. 30.* inſertas dedi obſervationes, viri primarii recordatus ſum, qui in medio ætatis curſu, vegeto hactenus vultu & florido corporis habitu præditus, ſenſim languere cœpit, & aucto morbi pruriginoſi impetu, viribusque magis in dies proſtratis, maraſmo quaſi ſenili, annos licet quinquaginta vix ſuperaverit, tacite conſumi viſus eſt; donec exquiſiti circa genu dextrum dolores ſpem inter metumque dubios detinerent adſtantes; hiſce vero adauctis & tumore ſuppurato maxima quidem puris copia excreta eſt, ſed absque ullo levamine, ægro brevi deinceps vitam cum morte commutante. Similem fere eventum ejusdem cauſæ morbificæ in Programmate funebri illuſtris quondam *BOHNII* legere licet, qui marasmo vero confectus dolores

pariter exquiſitos circa talum alterutrum expertus, locum & ipſe adfectum, ſuppurationis ſignis adparentibus, incidi curavit, ſed & brevi poſt naturæ debitum ſolvit. Utroque, ni fallor, exemplo, veritatem illius Hippocratici edocemur: *Occultos hepatis abſceſſus dolores in cruribus manifeſtant*, & quod vulgo nec immerito dici ſolet; abſceſſus nimirum externos, refractarios & rebelles, de abſceſſibus occultis internis, alicubi delitefcentibus, haud fallax præbere indicium.

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU. Phthiſeos incerta Prognoſis.

PHthiſis vera pulmonalis, quæ labem aliquam notabilem hujus viſceris nobilioris ſequitur, ad lethum certo plerumque tramite decurrit. Ac licet ætas, ſexus, excretionum ſolitarum ſuppreſſio & ſimiles cauſæ occaſionales haud mediocrem ſæpe ſpem medentibus & languentibus ſuppeditent, fore, ut ſublata cauſa, effectus quoque tollatur, nihil tamen aliud ſelectiſſimis præſidiis & exquiſitiſſima medendi methodo utplurimum efficitur, quam ut ægroti intervallis modo longioribus, modo brevioribus periodum ſuam fatalem abſolvant. Ut pulmonum, ſic & viſcerum reliquorum notabilis læſio omnem fere ſpem vitæ prorogandæ adimit, ipſiusque ventriculi tonus adeo plerumque dejectus eſt, ut conſtanti & diuturno ciborum faſtidio adfecti eo certius & citius fatalem conſequantur terminum; aliis non ab omni alimentorum uſu prorſus alienis, aliquam, licet exiguam ſpem vitæ & valetudinis præbentibus. Vir erat quadragenarius, ſtaturæ proceræ, habitus corporis ſtrictioris, vaſis majoribus gaudens, qui in juventute variis diætæ erroribus, peregre profectus, indulſerat; hinc maritatus inordi-

inordinatum & perversum vitæ genus sequutus, modo lacticiniis, caseo & similibus, jejuno inprimis ventriculo, modo & Spirituum ardentium largiori usu delectatus, ingens valetudini damnum intulerat. Laboravit semel atque iterum tussi & hæmoptysi, quibus tamen congruis præsidiis obviam itum est cum optato ægroti levamine. Circa æquinoctium autumnale anni proxime elapsi, occasione motus animi & corporis fortioris, aliorumque in diæta errorum, æger largam & aliquot mensuras excedentem hæmoptysin expertus, languere, cibos omnes aversari, sensim contabescere, difficulter spirare, tussique modo sicca, modo humida, nunquam tamen valde purulenta adfligi cœpit. Adhibita mox omnis generis remedia, infusa inprimis theeformia, ex Veronica, Millefolio, Hyperico & similibus constantia, pulveres temperantes leniter nitrosi, quos ad ultimum usque vitæ halitum laudavit, aliaque ex Gummi ammoniaco, spermate Ceti, Cascarilla, Pimpinella, similibusque pectoralibus parata remedia, non omissis ob nauseam & saporem oris peregrinum, quoque blandioribus emeticis & catharticis ipsaque V. Sne mox in initio administrata, ne tantillum quidem levaminis ægro adferre voluerunt, quia ille paucorum spatio mensium confectus, adcedente ad ultimum febre inflammatoria cum interpolatis deliriis, ad finem Januarii mensis, nullo neque pedum tumore, neque sudore colliquativo, neque alui fluxu notabili, vitam cum morte commutaret. Fœmina pariter triginta aliquot annorum, per aliquot annos maritata, & nonnullorum liberorum mater, abortum quondam passa, tempore menstrui fluxus consueti hæmoptysin pariter largam & aliquot mensuras excedentem vidit, hinc vero aliquamdiu fluxum mensium ex ordine vidit, quo tandem cessante, citato quasi cursu, cum plenario ciborum fastidio, tussi clangosa & ferina, respiratione anxia & tremula, adcedente ad ultimum levi mentis alienatione, pulsuque inter-

intermittente, paucorum pariter menſium ſpatio ad vitæ exitum contendit, qui circa ſolſtitium æſtivum contigit. Remedia varii generis, V. S. ſcarificatio, pediluvia, pulveres temperantes nitroſi, pectoralia ſelecta, & magis reſolventia ac diſcutientia, quam expectorantia, ad ultimum adhibita, vix memoratu dignum attulere levamen; quæ vero initio morbi adhibita ſunt, medicamenta chinata, occaſione inſultus febrilis ſimul adcedentis, omnem & febrem & hæmoptyſin & alvi ſucceſſum & menſium fluxum peſſimis ægrotæ rebus ſufflaminarunt. Sed melius fatum expertus eſt vir quadraginta fere annorum, qui ulcuſculis pedum laborans, in cella ſubterranea, aëre gelidiſſimo exiſtente, circa ſolſtitium hiemale a. p. diutius verſatus, iisdem partim a frigore, partim incongrua medicatione & repellentium adplicatione retropulſis, male habere & prævia leniori licet hæmoptyſi, anhelare, tuſſire & æſtuare cœpit, hinc & diarrhœa correptus, ab Auliatro quodam celebri varia, inprimis ſulphurata medicamenta, ipſum nimirum ſulphuris balſamum cum oleo Amygdalarum dulcium, lac chalybeatum & ſimilia balſamica accepit remedia; ſed iisdem uſurpatis in deterius ſemper lapſus, tuſſique, æſtu, ſiti, virium defectu, ſenſim auctis, aliorum magis temperantium, blande laxantium, inprimisque pediluviorum, & V. Snis & ſcarificationis uſu repetito & aliquamdiu continuato, & ulcuſcula pedum repullulantia, & priſtinum vigorem, ac floridum faciei colorem, cum tuſſis & omnium ſymptomatum plenaria remiſſione, brevi recuperavit.

OBSER-

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

Alui pertinax adstrictio.

BOnarum artium Studiosus, more in Academiis solito, neque tamen licenter nimis vivens, neque erroribus diaetae valde indulgens, nisi quod praeterito autumno nucum juglandium largiori usu delectatus fuerit, mense Januario male habens, catharticum a Pharmacopoeo vicino exhibitum adsumsit cum effectu, inde autem nondum restitutus, aliud ingessit, sed frustra, accedente haemoptysi, languore totius corporis, doloribus punctoriis in pectore & hypochondriis, & pertinaci alui adstrictione, vomituque adsumtorum perpetuo. Rogatus idcirco Medicus praeter reliqua haemoptysi dicata remedia, ad pertinacem alui adstrictionem vomitumque adsumtorum, initio potiunculam Sydenhamii ex Rhabarbaro, Tamarindis, Manna & foliis Sennae constantem, hinc sal catharticum anglicum, demum resinam Jalappae solutam ad grana octo, justis intervallis, interpositis aliquoties clysteribus, praebuit, foliaque Tabaci in aquà macerata bibenda, & fumum Tabaci degluriendum suasit; sed his omnibus frustra fere usurpatis, pulvis tandem ex Arcano duplicato & paucis massae pilularis granis, in qua Trochisci alhandal inprimis eminent, officium fecit, alvumque quatuor dierum spatio pertinaciter clausam semel reseravit, manifesto documento, mitiora laxantia non semper sufficere, & fortiora interdum purgantia in simplici quoque alui adstrictione subinde requiri, tantum abest, ut e praxi selecta prorsus sint ejicienda. Sed cum res omnis videretur esse in vado, aluo sensim iterum adstricta, & doloribus punctoriis in pectore & hypochondriis iterum exacerbatis, folia quidem Sennae cum Crystallis Tartari primum, hinc

 pilulae

pilulæ balſamicæ, demum reſina Jalappæ ad gr. X. iterum, ſed fruſtra, ſunt exhibita. Hinc mercurius vivus ad uncias 4. cum olei Amygdal. dulc. uncia 1. & dimid. hauſtus, vomitum quidem materiæ ſebaceæ & caſeoſæ tenaciſſimæ, ſed κάτω nihil, promovit. Adplicatus porro clyſter ex Ol. Olivarum & Amygd. dulcium, cum Trochiſc. alhandal drachma ſemis, ſed ut reliqua omnia, fruſtraneo fere ſucceſſu, donec ab adſumto iterum pulvere ſuperiori ex Arcano dupl. cum pilularum maſſà, in qua Trochiſci alhandal eminent ad gr. V. aluum aliquoties cum levamine ſolutam, & mercurium ſimul foras excluſum animadverteret, brevique levamen expertus cum valetudine in gratiam rediret.

(Rintelio Erfordiam miſſa d. 29. Maji 1743.)

OBSERVATIO CXVII.
Dn. D. PAUL. GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Hypericum floribus trigynis, caule quadrato, annuo. *LINN. Hort. Cliff. 380. ROY. Prodr. Leid. 473.*

Hypericum caule quadrangulo, foliis perforatis, flore non punctato. *HALLER. Enum. ſtirp. Helv. 362.*

Hypericum caule quadrangulo, glabro. *WEINM. Phyt. Tab. 590.* fig. eſt mala & ſuperficiaria.

CAULES erecti, firmi, altitudine 1. vel 2. pedum, quotannis e radice perennante protruduntur. *Ala caulis* ad ſum-

ſummos usque ramos manifeſte exſtant, ut quadranguli hinc evadant caules. *Rami ſecundarii* breves, & multo rariores, (*a*) quam in Hyperico officin.

FOLIA ovalia longitudinaliter nervoſa, ſeſſilia, ſemiamplexicaulia, baſi parum hamata, &c. ut *HALLER. Enum. ſtirp. Helv. l. c.* Color ſaturate viridis, poſt ea ex flaveſcente viridans. Vix autem in noſtris omnibus puncta minutiſſima, perforantia, adeo viſui patent, ut cognoſci ſine armato oculo valeant. Ad marginem in multis foliis, præſertim adultis & vetuſtioribus, linea punctorum nigrorum eſt.

FLORES in ramis terminatrices, faſciculati, ſpecie umbellæ, fere ut in Ruta. Flores quadruplo certe minores, quam in Hyperico officin.

CALIX purus; *foliis* lineari-lanceolatis, acutis; ⅓. brevioribus, quam petala; non ſubulatis, uti *LINN. Hort. Cliff. 380.* habet.

PETALA ovato-elliptica, alterno limbo parum latiore, non perforata, citrea, punctis rarioribus ex ruffo nigris ad marginem adſperſa.

STAMINA manifeſte ſimillima iis in Hyperico Officin. ſed pauciora, 25. ad 30. circiter; *antheris* didymis, globoſis, punctatis.

GERMEN ovatum. *Styli* tres, diſtantes, longitudine ſtaminum. *Stigmata* parva, ſubgloboſa, ruffa.

CAPSULÆ SEMINALES, flore delapſo, mox intenſe ruffeſcunt.

Obſerv. 1. Amiciſſimus *HALLERUS l. c.* flores non punctatos obſervavit: ego heic terrarum, & alibi, punctatos, quam-

Eee2

(*a*) Id obtinet in omnibus ſpeciminibus, quæ circa Jeveram, & in monticulis ſubudis ad ſcaturigines prope Gedanum olim, legi.

quamvis rarius, ac in Hyperico Officin. conspersos in oris. Sit hæc differentia soli, aut locorum; exulare tamen e nomine specifico debebit.

2. In Dynastia Jeverana ad agros subpaludosos & ejusdem indolis fossas Aug. Septemb. & Octob. floret.

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. PAULI GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Hypericum floribus trigynis, caule annuo, foliis punctatis obtusis. *LINN. ROY. HALLER. Enum. stirp. Helv. 360.*

CAULIS teres, parum compressus, alis brevissimis duabus.

FOLIA, ***rami*** & ***flores***, uti *HALLER. l. c.* sed

CALIX in nostris omnibus satis distincte perforatus est, uti quoque in plantis vivis, Jena adlatis.

FOLIA ovato-oblonga, versus basin angustiora, neque angulis exstantibus ampliata denuo, ut in Hyperico caule quadrangulo.

PETALA $\frac{1}{5}$. foliis calicis longiora. ***Puncta*** in ambitu petalorum. Petala in margine supremo sæpe lacera.

Observ. Crescit in vallibus & sepibus Jeveranis prope vicos ***Kleverens, Dose, Accum*** & alibi, itemque in extremo suburbii prope molendinum posterius. Floret cum præcedenti.

Reliqua, quæ ad descriptionem pertinent, ex *HALLERO* petantur.

Obs.

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. PAULI GERARDI HENR. MOEHRINGII.

Hypericum humifuſum villoſum, floribus lateralibus trigynis, pedunculis nudis.

Caryophyllus holoſteus paluſtris, foliis ſubrotundis incanis, (tomentoſis *MENTZ. Ind. 65.*) floribus aureis. *MENTZ. pug.* deſcr. brev. cum enarratione periculi vitæ, in quod incurrit, quum plantam hanc lecturus eſſet; *Tab.* 7. ic. mediocr. quoad unum caulem, florum faſciculo terminatrice onuſtum, & petala emarginata, falſa. Primus iconem dedit, & plantæ inventor eſt, ſi Cluſiana ſpecies huc non pertineat.

An? Aſcyrum ſupinum villoſum paluſtre. *BAUH. pin. 280.* Videtur ex nomine. Sed certo determinare nequeo, quia *CLUSII Append. alt. auctar.* ad manus non eſt.

PLANTA dodrantali vel pedali raro altitudine, extra aquam exporrecta, valde ceſpitoſa, aquis innatans, ramis quam plurimis unam plantæ congeriem repræſentantibus.

RADIX filiformis & capillaris[1], longiſſima, argenteo ſplendore alba, pauciſſimis & breviſſimis fibrillis, mox infra exortum cujuslibet fibræ donata, in reliquo ambitu nulla; e corpore radicali ceſpitoſo, & geniculis caulium, quo usque ſub aqua hi ſerpunt, oriunda.

CAULES copioſi, teretes, infirmi & vario ſitu flexiles, ſuprema fere dimidia parte extra aquam ſurgentes, & villoſi (quum pars eorum, ſub aquis latens, glabra evadat,) nunc ſimplices, nunc ramoſi. *Rami* inferiores plerumque oppoſito ſitu e ſinubus foliorum emergunt,

& ſibi invicem æque longi ; ſuperiores nunc alterni, nunc oppoſiti, & primariis ramis multo breviores. Longitudo eorum pedem rhenanum plus minusve adæquat.

FOLIA ſemper oppoſita, plerumque tamen cruciato ordine ; cordata, obtuſa, integerrima, ſeſſilia, amplexicaulia, non tamen connata, quinquenervia, nervis parte inferiore prominulis, interdum ſubdiviſis ; denſe villoſa, e viridi cinereo-albicantia. Latitudo medii folii $\frac{1}{2}$, longitudo $\frac{5}{8}$ dig. rhen. Folia ſub aqua ſita ſtatim marceſcunt.

PEDUNCULUS *communis* nudus, villoſus, aut inter binos ramos caulis intermedius, aut ex alterutro foliorum ſinu oriundus, filiformiter ſubulatus, modo ſimplex, modoque diviſus, plerumque ejusdem cum caulium ſummo altitudinis, aut brevior.

Proprius brevis, filiformis, vix villoſus, indiſcriminatim e communi pedunculo egrediens, primum erectus, abſoluta floreſcentia nunc recurvus, nunc vario ſitu inflexus.

FLORES faſciculati primum laxam umbellam, dein ſpicam conſtituunt, ſingulis tantum diebus unico flore in quolibet pedunculo, lucente ſole, aperto.

CALIX *Perianthium* pentaphyllum, corolla $\frac{1}{3}$ brevius : *foliolis* ſubovatis, concavis, perſiſtentibus, laxis, erectis, in ambitu breviſſime hirſutis, ſubobtuſis.

COROLL. *Petala* quinque, oblonga, apice obtuſo, latiore, erecto-patula, marcescentia, ſecundum motum ſolis directa. Marceſcentia in ſpiram ſubulatam convolvuntur.

STAMINA. Filamenta numeroſa, petalis $\frac{1}{3}$ breviora, calice $_{3}$ longiora, erecta, capillaria, baſi in tria corpora diſtincta coalita, quorum quodlibet nunc trifariam, nunc quinquefariam diviſum. *Antheræ* parvæ, rotundulæ, incumbentes.

PISTIL-

PISTILLUS. *Germen* oblongum, in acumen desinens, trifariam sulcatum. *Styli* tres, capillares, distantes, cum germine staminum altitudinem æquantes, marcescentes. *Stigmata* totidem obtusa, turgidula.

PERICARP. *Capsula* oblonga, subacuta, trisulcata, calice dimidio fere longior, unilocularis, trivaluis.

SEMINA numerosa, parva, ovato-subrotunda, *pedicellis* brevibus capillaribus perpendiculariter *receptaculo* columnari adhærentia.

Observ. 1. Flores flavi. Floret Aug. & Septembr. *Semina* perficit Septembri & Octobri; fructibus sæpe aquis immersis.

2. Raro sex petala, eidemque totidem foliolis respondens perianthium. Sex tamen petalis calicem etiam quinque partitum subjunctum fuisse vidi.

3. Plerumque filamenta duo trifida, & tertium quinquefidum, sæpe etiam duo quinquefida, & tertium trifidum: raro unum sexfidum reperitur.

4. Folia & calix neque perforata sunt, neque punctata; flos purus.

5. Ut in horto aliquamdiu colorem, vasis, subjecto alio vase, aqua semper pleno, aliquot plantas indidi, quæ satis bene se conservarunt, sed ramuli novelli faciem glabram acti sunt: at quoties aqua vel modice destituebantur, perierunt plantæ; quemadmodum etiam fit in loco natali, ubi per noviter effossos aquæ ductus paludosa aqua ad canales marinos derivatur; hinc plantæ jam raræ apud nos.

6. Locus natalis unicus in Dynastia Jeverana est, quantum ego vidi; in fossa nempe paludosa sinistrorsum viæ, *Poggevveg* dictæ; dimidium fere lapidem ab urbe Jevera,

(Jevera Erfordiam missæ d. 20. Jun. 1743.)

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. JOANNIS GRASHUIS,

De

Natura & Ortu Hydatidum.

Pars prima.

§. 1.

Antequam proprias de natura & ortu *Hydatidum* commentationes proponam, præcipuas, quæ extant, clarissimorum Virorum de earum indole cogitationes & conjecturas, in epitomen redactas, in medium proferre volui: ut, quid de themate hoc, in Medicina celebri, vel adfirmatum fuerit unquam, vel negatum, unico quasi intuitu patesceret. Ex Veteribus neque *HIPPOCRATES*, neque *GALENUS*, ubi de *Hydatidibus* observatis mentionem faciunt, quidquam de earum vel indole, vel ortu speciatim monent. *ARETÆUS* vesiculas aquosas, i. e. *Hydatides*, elegantissime quidem descripsit, genuinam tamen earundem vel originem, vel causam se ignorare fatetur. (*a*)

§. 2. Fuerunt inter posteriorum seculorum Scriptores, qui a concretione pituitæ lentæ *Hydatides* oriri existimarunt; inter quos *Carolus PISO*, qui de *Hydatidum* in pulmonibus repertarum causa agens, sequentia protulit: *Non est profecto difficilis inquisitio* Hydatidum, *quæ medio in pulmone mihi observatæ. Nam quid mirum, serum tantillo muco, vel potius purulentæ materiæ exquisite permixtum alicubi colligi, & ejus puris, sive pituitæ lentæ partem, concrescere in Vesicam, sive cystin, ut in abscessibus satis frequentibus, Atheromate, Steatomate, & Meliceride?* (*b*) Cum ista *PISONIS* opinione congruunt, quæ,

(*a*) De *Caus. & sing. Morb. diuturn.* Lib. II. cap. 1.
(*b*) *Observat.* Sect. III. cap. VII.

quæ, ex *Commentariis Academiæ Scientiarum Petropolitanæ*, *Commercio litterario Norimb.* inserta leguntur; *Vesicas* nempe *aquosas* ex bullis humorum vitiosorum magis, quam organicarum partium fragmentis, originem trahere: (*c*) & a clariss. *MALOET* in *Observation. Academiæ Regiæ Parisinæ* tradita inveniuntur. (*d*)

§. 3. Alii statuerunt glandulas eas esse humore intus infarto tumentes, & e situ naturali delapsas. Pro hac sententia stetit olim *RUISCHIUS*. licet ignorantiam antea ingenue fuisset professus. (*e*) Magnus *BOERHAAVIUS* hanc opinionem acriter defendit, & quidem contra *RUISCHIUM* (*f*) aliter postea sentientem. (*g*) Cui adjungendus præclarissimus *SCHREIBERUS*, qui in mediis *RUISCHII* laudibus a se celebratis, in Auctoris sui sententiam acerbe satis invehitur. (*h*)

§. 4. Alii demum *Hydatides* oriri statuerunt ex distensione præternaturali vasorum lymphaticorum ab aqua intus occlusa. Ea quidem opinio multis egregiis in arte Viris admodum placuit, & maxime recepta videtur, inter quos *Jacobus SPONIUS*, qui *Hydatides* nihil aliud esse declarat, quam lymphaticorum vasorum Varices, seu dilatationes, a Lymphæ in corpore restagnantis copia productas. (*i*) Egregius *WARTHONUS* *Hydatidum* ortum sequenti modo explicuit: *Si contingat lymphæ ductus in mesenterio obstrui, quia valde fragiles*

(*c*) *Comm. Litter.* 1731. pag. 272.
(*d*) *Mem. de l'Acad. Roy.* 1732. p. 258.
(*e*) *De Valvul.* Obs. XXV.
(*f*) *Opusc. Anat. de Fabr. Gland.* p. 18.
(*g* *Observ. Anat. Chir.* XLVI.
(*h*) *Hist. Vitæ Ruisch.* p. 9.
(*i*) *BONETUS Sepulchr. anat.* Tom. II. pag. 530.

giles sunt, facile rumpuntur, & aquas suas in abdominis cavitatem exspuunt -- -- Sin vero vasorum horum membranulæ tenaciores fuerint, ita, ut distensionem notabilem absque laceratione ferant, in vesiculas quasdam aqua turgidas attolluntur, quas Hydatides *vocant, & peculiarem Ascitis speciem constituunt: quamlibet autem vesiculam inter binas dictorum vasorum valvulas quam proximas efformari contingit. Quia vero aqua nec prorsum propter obstructionem, nec retrorsum fluere potest, ob valvularum interceptionem, interstitia intumescunt in figuram orbicularem, utpote capacissimam, quæ figura in Hydatidibus vulgo cernitur.* (*k*) *Michaelis ETTMüLLERI* sententia cum hac *SPONII* descriptione fere coincidit; (*l*) sic etiam *Goth. BIDLOI* (*m*) & *Jac. KEILII.* (*n*) *Frid. RUISCHIUS* olim quoque hæsitantem quasi adsensum huic opinioni tribuit. (*o*) *Fr. HOFFMANNUS* partim ad hanc, dein etiam ad aliam sententiam adcessisse videtur. *Hydatides* enim oriri posse existimat, dum remissæ lymphaticorum fibrillæ, a concluso inter binas valvulas humore, exterius urgentur, sensimque amplicatæ sacculos & vesicas efformant. (*p*) Celebris *MORANDUS* hanc præ omnibus aliis adsumendam esse, aperte testatus, & multis argumentis probare annisus est. (*q*)

§. 5. Pro vasis sanguiferis præternaturaliter mutatis recipiuntur tandem a *RUISCHIO*: *Ego vero censeo*, inquit, Hyda-

(*k*) *BONETUS Sepulchr. anat.* Tom. II. pag. 430.
(*l*) *Colleg. Pract.* Sect. XXI. Cap. III.
(*m*) *Exercit. Anatom. chirurg. de Hydatid.*
(*n*) *Tentam.* pag. 26.
(*o*) *Observ. anat. Chir. XLVI.*
(*p*) *Opusc. pathologico-pract.* Dec. II. Diss. VIII. §. 22.
(*q*) *Hist. de l'Acad. Royale* 1723. pag. 33.

Hydatides *esse extremitates vasorum sanguiferorum, quæ priorem suam mutaverunt naturam, atque in vitiosam degeneraverunt fabricam. Id didici maxime ex eo, quod placentas, in quibus nulli lymphæ ductus inveniuntur, aliquoties spectaverim uterinas, immo & inter mea adservem huc usque, quæ unam partem omnino in* Hydatides *conversæ sunt, aliam vero partem sanæ, quin immo habeo alias, quarum tota fere in* Hydatides *permutata cernitur.* (r) Alio loco hanc opinionem suam paulo fusius explicat. Vasa nempe sanguinea in *Hydatides* posse mutari, quia inter vasorum horum tunicas *tunica cellulosa* reperiatur, cujus cellulæ in statu præternaturali si repleantur latice aquoso, cavitas vasorum ita premitur, ut nihil cavitatis super maneat, & sic obliterantur non solum minora, verum etiam majora vasa. (s) Adsentitur *RUISCHIO* clarissimus *ALBINUS*, Leidensis Professor, easdem ob rationes a *RUISCHIO* adlatas, quoniam placentas uterinas, in quibus nulla vasa lymphatica detexit Anatome, sæpe mutatas vidit in *Hydatides*. Ille enim coram Auditoribus aliquando sic rem explicat: *Hydatides* oriri videntur ex transmutatis Arteriis & venis. Canales enim arteriosi & venosi per intervalla constringuntur & laxantur, & per consequens vel in filamenta concrescunt, vel in *vesiculas* intumescunt.

§. 6. Fuisse quoque & alios, qui ex effusione humoris lymphatici, inter vicinas membranas, *Hydatides* oriri statuerunt, paucis solummodo locis adductis liquido patebit. Ex A. *SPIGELIO* sequentia protulit *BONETUS*: *Tegitur* (Hepar) *membrana tenuissima & simplici a ligamentis hepatis enata, quæ arctissime parenchymati jungitur. Quodsi separetur alicubi, excedente e vasis aquosa materia, & collecta inter ipsam & carnem*

(r) *Advers. anatom.* Dec. I.
(s) *Thes. anatom. VI.* No. CIV.

nem ὑδάτιδες Græcis dictæ, generantur, quibus ruptis, effusaque in abdominis cavitatem aqua, Hydrops Ascites nascitur. (*t*) Eadem fere sententia stetit *Thom. BARTHOLINVS,* (*u*) ut ex loco citato videri potest. *GLASERVS* ubi membranam pinguedini substratam *Hydatidibus* scatentem viderat, eas in *membrana adiposa* oriri statuit. Sero pelliculas a subjecta pinguedine divellente, quod si diutius immoretur, tandem subtilioribus partibus dissipatis in gelatinam concrescit. Adsentitur hisce Viris *J. de DIEMERBROEK.* (*x*) Sic etiam grandiores *vesiculas aquosas* produci censet laudatus antea *ETTMüLLERVS,* (*y*) *Joann. FONTANVS* (*z*) & *Laur. BELLINVS.* (*aa*) Quin & eadem hæc sententia a celeberrimo *Fr. HOFFMANNO*, æque ac alia de vasorum lymphaticorum mutatione admittitur. (*bb*)

§. 7. Unicus tandem *Edm. TYLO* singularem de *Hydatidibus* condidit hypothesin, eas nimirum peculiare insectorum, seu vermium, genus esse, in animalium corporibus genitum. Varias quidem, ad hypothesin stabiliendam, considerationes adduxit auctor; ast quoniam omnia tentaminis gratia tantum exhibere voluit, (*cc*) neque adsensorem, quantum liquet, habuit ullum, huic exponendæ opinioni, neque aliis, quæ levioris momenti reperiuntur, immorabor.

Pars

(*t*) *Sepulchr. anatom.* Tom. II. p. 434.
(*u*) l. c.
(*x*) *Anat. corp. hum.* Lib. I. cap. XII.
(*y*) Loco antea citato.
(*z*) *Observ. med. & anat.* Obs. XII.
(*aa*) *De Urin. & Puls.* pag. 170.
(*bb*) l. c.
(*cc*) *BONET. Sepulchr.* T. II. p. 508.

Pars secunda.

§. 8. Ad eruendam *Hydatidum* naturam necesse erit ipsa *Vesicularum* phænomena penitius rimari. Agedum, intueamur sedulo, quæ ab Auctoribus fide dignis tradita, vel propria demum experientia detecta novimus. Occurrit primo generalis *Hydatidum* in omni corporis loco exortus. Nulla datur in corpore humano pars, sive cavitas sit, sive in ea contentum viscus, quin *Hydatidibus* aliquando scatuerit. Exterior corporis superficies, strata inter musculos, æque ac aliæ partes profundius sitæ, idem omnino commonstrant, ut ex infinitis observationibus notissimum est. Ad hanc *Hydatidum* proprietatem si attendamus, vix aliqua in corpore humano pars reperitur, huic phænomeno explicando magis idonea, quam *cellulosa* vel *pinguedinosa membrana*. Hæc enim ubique locorum, tam interne, quam externe adest, hac nulla magis universalis, cum vel ipsis vasis sanguiferis æqualis sit, vel ea superet. Neque quisquam dubitat in intima viscerum substantia *cellulosam* inveniri, cum ex anatomicis jam satis superque demonstratum sit, eam omnia ambire vasa, omnes partes, quæ sibi mutuo cohærent, connectere, proin & inter omnia viscerum constituentia vasa adesse; & morbis sat multis, forsan & *Hydatidibus* producendis aptam natam esse. Ne ipsum quidem cerebrum eximi debet: Hujus enim visceris nobilissimi vasa, non minus quam aliorum, *membrana cellulosa* investiuntur; proinde & ubique in encephali substantia æque ac alibi necessario adest; licet summa Dei providentia cautum sit, ne facile, ob ingens cerebri periculum, *pinguedo* abundet, vel *membrana* nimis intumescat. Credunt præterea Anatomici, tunicam cerebri arachnoideam *cellulosam*, vel *pinguedinosam* membranam esse, ut in valde

obesis & leucophlegmaticis observatum fuit. (*a*) Quin & piam matrem in variis subjectis humanis *pinguedine* diversis locis ditatam se invenisse refert *RUISCHIUS.* (*b*) Nemo itaque dubitare poterit, vasa plexus choroidei a *cellulosa* circum ambiri, investirique *membrana*, quibus adeo frequenter *hydatides* adhærent. Si igitur *hydatides* in *membrana cellulosa* stabulari adsumam, quod in sequentibus vero admodum simile reddere conabor, ratio reddi potest, cur ubivis in corpore observentur.

§. 9. Accedit, *hydatides* in ipsa *cellulosa* occlusas sæpius reperiri. Quæ in puero circa temporales arterias reperiebantur apud *BONETUM* (*c*) in *membrana cellulosa* sedem habuisse, vero quam simillimum videtur. Ex tumore in viro nobili, sub cartilagine ensiformi prosilientes *hydatides* vix alibi latere potuerunt, nisi in ipsa *pinguedinosa membrana.* (*d*) Ipse ego ex abscessu purulento externo, in hypochondrio dextro hydatides excretas cum viderim, ex *cellulosa* provenisse dubitare non potui. Idem procul dubio de corporibus glandulosis & vesicularibus e tumoribus externis procidentibus, quorum apud *SCHENCKIUM*, (*e*) *SCULTETUM,* (*f*) *SCHOUTENUM*, (*g*) *BIDLOUM*, (*h*) aliosque mentio

(*a*) *KAAU* Perspirat. Cap. XXXII. §. 177.

(*b*) *Thes.* V. Ass. I. No. XIII.

(*c*) *Sepulchr.* Tom. I. pag. 31.

(*d*) Tom. III. p. 270.

(*e*) *Observat Med.* Lib. V. pag. 682. 676.

(*f*) *Armament. Chirurg.* P. II. pag. 676.

(*g*) *Van de Gouvell.* II. D. pag. 537.

(*h*) *Exercitat. de Hydatid.* pag. 14.

mentio fit, statuendum erit. Verosimile itaque videtur, *cellulosam*, seu *adiposam membranam hydatidibus* producendis, vel ad minimum condendis, aptissimam esse.

§. 10. Aliquando medias inter *hydatides* globuli quidam pinguedinosi, seu corpora sebaceam substantiam æmulantia, simul excernuntur. Multa millena millia glandularum diversæ magnitudinis, sevi ad instar, in Omento militis cujusdam hydropici inventa fuisse, ex Ephemeridibus Academ. nostræ refert *BONETUS.* (*i*) In mesenterio mulieris sexagenariæ infiniti detecti sunt abscessus, sua quique cysti inclusi, alii quidem oleoso, melleo alii, alii *sebaceo*, alii albugineo, alii aquoso humore referti. (*k*) De ingenti numero *Hydatidum* simul cum sebacea substantia descriptionem dedit clariss. D. *CAMERARIUS.* (*l*) Corpuscula rotundo-plana, sevo indurato quoad substantiam valde similia cum *vesiculis aquosis* una pariter erumpere vidi in casu antea memorato. (*m*) De exiguis abscessibus, infinito numero in corpore interno observatis, in quibus sebum contentum conspiciebatur, mentio fit apud sæpius citatum *BONETUM.* (*n*) Celebris Anatomes Professor A. *MONRO* sebaceum & vesiculare corpus, ex vesiculis aquosis, mucosis, & steatomatosis constans, in dissecta hydropica se observasse testatur. (*o*) Ex quibus omnibus aliqua saltem, ut mihi videtur, suspicio nascitur, *Hydatides* ex eodem fonte, in iisdem casibus originem

(*i*) *Sepulchr.* Tom. II. pag. 520.

(*k*) Idem ibid. pag. 450.

(*l*) Act. Physico-med. Vol. III. Obs. 120.

(*m*) Supra §. 9.

(*n*) *Sepulchr.* Tom. II. p. 435.

(*o*) *Medic. Ess.* Vol. IV. pag. 439.

nem traxisse, ex quo corpora isthæc solidiora, quæ cum iisdem conjuncta prodierunt, exorta fuisse credimus. Hæcce vero *membranæ pinguedinosæ* producta fuisse, ipsa horum substantia & indoles significare videntur. Nulla etenim pars corporis, quin sua natura de *pinguedine* participet, præter naturam in *pinguedinem* mutabitur. Quoniam itaque ab omnibus fere Scriptoribus ejusmodi corpora adipi comparantur, extra omne dubium censeo, ex ipsa *pinguedine*, vel membranoso corpore, in statu sano *pinguedinem* continente, provenire. Quam ob causam & *Hydatides* ipsas eidem membranæ ortum debere, summo jure, ut puto, concludo.

§. II. Materies in vesiculis contenta, aqua est, vel serum limpidum, citrinum, turbidum, limosum : alio tempore humor quidam pituitosus, viscosus, gelatinosus, pultaceus, caseosus, & quæ similis generis plura apud Observatores inveniuntur. Omnia hæc diversæ naturæ contenta ex mutata *pinguedine* ortum sumere, quam probabilissimum mihi quidem videtur. Notum quippe est, quam facile & varie mutabilis sit *pinguedo*. In eodem homine jam *cellulosam* implens, eum obesum torosumque reddit ; brevi autem post, interveniente causa morbosa, humor suboleosus, tenuis, vel aquosus cellularum cava replet ; dum æque cito dein œconomiæ animalis vitio sublato, verum oleum, seu *pingue* ejus locum occupat. Proinde autem *pinguedo* spontanea corruptione, variis modis quoque mutari in *cellulosa* membrana posse videtur. Vidit *Jac. DENYS*, Leidensis, dum viveret, Chirurgus, sectionem cæsaream instituens, ut vivum fœtum ex matre subito mortua in lucem protraheret, in *membrana cellulosa* materiem mediæ inter *pinguedinem* & aquam naturæ. Multum enim

enim flavi & ſuboleoſi humoris ex diſſecta *celluloſa* effluebat. Ipſa quæ aderat *pinguedo* flavi admodum erat coloris, & congeriem veſicularum, ſeu ſacculorum, fluctuante & vix cohærente materia ſuboleoſa repletorum, & mirifice ad invicem coadunatorum, monſtrabat. (p) Idem quoque laudatus Auctor in alia quadam muliere gravida, ſub aquis ſuffocata, obſervavit. (q) Sic in *Actis* hiſce *Phyſico-Medicis* caſus extat diſſecti cadaveris, in quo externe in capite, pectore & brachiis pinguedo plane abſumta videbatur, ut ſola fere cute tecta eſſent oſſa, inſimulque a ſcrobiculo cordis usque ad femora liquor lymphatico-ſeroſus, coagulatus inſtar gelatinæ albicantis, vel inſpiſſati lactis, muſculos ita tegebat, ut fruſtulatim auferri potuerit, parumque vel nihil digiti ab eo madefierent; in abdomine vero ſaccus ingens, aqua plenus ab utero pendedebat. (r) Patet ergo, me judice, ſatis ſufficienter, miras in corpore mutationes *pinguedinem* ſubire poſſe, ſola obſervatione detectas, ulteriusque detegendas. Ponamus igitur, pinguedinoſam quandam materiem in *celluloſa* ſtagnare, retineri, minimeque retroire, illa mutabitur, prout in hanc aliamve indolem, coagulationis in humorem tenuem magis minusve prona eſt. Adcedente dein cauſa tali, qua *celluloſa* compages in *veſiculas* vel corpora globoſa ſeparata permutatur, quod fieri poſſe antea adſumſi, facile comprehendi poteſt, diverſam in *Hydaditibus* contentam materiem, vel aquoſam, vel gelatinoſam, vel caſeoſam,

p) *Ampt der Vroedvr.* p. 58.
q) pag. 54.
r) *Vol.* VI. pag. 331.

vel sebaceam ex mutata *pinguedine* in *cellulosa* membrana oriri potuisse.

§. 12. Videmus ex observationibus variorum Auctorum, *vesiculas* quamplurimas sacco majori haud raro includi, immo & easdem inclusas alias quoque minores tres quatuorve liberas, neque inter se, neque cum aliis majoribus cohærentes intus continere sæpissime. (s) Mirabile istud phænomenon quomodo per ullam ex adlatis antea conjecturis, vel suppositionibus explicari possit, ego plane non percipio.

Ast si attendamus ad ea, quæ magni nominis Anatomicus B. S. ALBINUS de *membrana cellulosa*, musculi partem efficiente, disertis verbis protulit, aliquid forte lucis huic difficultati adfulgebit. Sic ille: *Ubi densior, ibi & ê membranis insignioribus composita, cellulas satis magnas efficientibus, in quibus quam plurimæ esse solent minores, interstinctæ membranulis subtilioribus, omnesque contextu fibrarum subtiliore refertæ, quem rursus interstinguunt fibræ ejus crassiores.* (t) Videtur itaque *membrana cellulosa* sic esse disposita, ut ê membranulis, inter alias seclusis, novæ ubique cellulæ possint efformari, & simul præternaturali quacunque mutatione, v. g. induratione in *pinguedine* oborta, membranas hasce ad invicem compingi, & in unam crassam tunicam abire posse. Supponamus, ex quacunque etiam causa stagnationem oriri in materia in cellulis contenta; illa materies suam ubique cellulam singularem replebit, expandet, & in tumorem elevabit: Dum ipsa eadem causa

s) *Commerc. litter.* 1731. p. 271. *Acta physico-med.* Vol. III. Obs. CXX.

t) *Hist. muscul.* Lib. I. cap. I. p. 9.

caufa, ex qua ftagnatio hæc producta fuit, verofimiliter communicationem cellularum inter fe invicem quoque abrumpet. Mutuo autem tranfitu ex aliis in alias denegato, humor ad fecretionem affatim adlatus in cellulam depluens, illam magis magisque implebit, & excitabitur tumor major minorve, prout natura caufæ, vel ipfa cellulæ natura permiferit. Idem fi in interioribus, quæ in externis continentur cellulis, contingat, fimilis quoque in iisdem orietur permutatio. Mirum igitur non eft, quia omnia hæc feparatim agunt, hafce cellulas, *veficulas aquofas* nunc, vel *Hydatides* dicendas, fæpenumero nullo modo inter fe connexas, immo & alias aliis demum inclufas reperiri. Addamus, quod obfervavit laudatus antea *MORANDUS verficularum* membranas ex variis, utplurimum tribus, quatuorve & quandoque pluribus, lamellis conftare. (u) Veluti de cyfticis tumoribus aquofis in pulmonum lobis etiam dixit MALOET (x) eandem *membranæ cellulofæ* ftructuram quafi inventes. In ftatu naturali, ut communicatio, fic etiam mutua cellularum cohæfio locum quidem habet; partes vero connectentes, five membranofæ fuerint, five fibrofæ, teneræ admodum funt & fragiles, & propterea ad rupturam, aliqua in cellula facta expanfione, aptæ & pronæ. Eadem quoque facilis ruptura efficiet, ut humores, five crudi pinguedinofi, five aquofi, in cavitates factas effundantur, quibus tractu temporis magis magisque a ftatu naturali fecedentibus innatantes inveniuntur veficulæ minores, cum ipfis humoribus haud raro facco majori inclufæ. Magna quippe cellula, ex membranis craffioribus

u) *Hift. de l' Acad. Royal.* 1723. pag. 31.
x) *Mem. de l' Acad. Royal.* 1532. pag. 353.

ribus compoſita, ſaccum facile efformabit ad minores includendos aptiſſimum. Ex hac denique perluſtrata cellularum fabrica concipi facile poteſt, *veſiculas aquoſas* haud minus frequenter in cavo quodam corporis libere fluctuantes, quam aliis partibus adfixas reperiri. Si ergo prædicta phænomena nullo modo explicari poſſint, niſi *membranæ celluloſæ* ope, ut profecto videtur, & mediante hac omnia facillime negotio ſe extricent, magnum exinde & graviſſimum argumentum exſurgere puto: *Hydatides* ex *celluloſa* membrana efformari.

§. 13. *Hydatides* ſæpiſſime variis in locis in eodem ſubjecto ſimul exiſtentes, in extrema corporis ſuperficie, & hepatis aliarumve partium abſconditarum intimo parenchymate, quin & in omnibus ſæpenumero viſceribus una pariter inveniri, docuerunt obſervationes doctorum virorum ubivis obviæ. (y) Docemur inde, partem adfectam ubique locorum præſentem eſſe non tantum, ſed & cauſam, ex qua *Hydatides* oriri poſſunt, vel ubivis adeſſe, vel quam facillime de loco in locum propagari poſſe. Sed quamnam quæſo quiſpiam in corpore humano partem indicare poterit, omni in loco æque frequentem, & per quam cauſa quævis morboſa tam facile ad remotiora loca diſpergi poteſt præter nominatam jam ſæpius *membranam celluloſam*. Hæc per totum corpus ad minima pererrat; per hanc mutua contentæ materiæ communicatio datur, ut antea dictum: quæ ſi morboſe adficiatur ſic, ut *Hydatidibus* producendis occaſio naſcatur, facile in permultis locis eadem mala, iidem *tumores veſiculoſi* excitari pote-

y) *Volch. COITER. Tab. Anatom.* in Obſervationibus, p. 116. *BONET Sepulchr.* Tom. II. p. 431.

poterunt. Adeoque & hæcce *Hydatidum* circumſtantia pro *membrana celluloſa* maximopere militare mihi videtur.

§. 14. Ingens *Hydatidum* numerus, centenarium immo & millenarium quandoque ſuperans, ſi obſeruatoribus fides ſit habenda, & ſaccorum peculiarium ſtupenda magnitudo, cavitatem v. g. quadraginta & plurium menſurarum excedens, (z) unde procedere poſſit difficillimum explicatu mihi videtur, niſi eadem mediante *adipoſa membrana.* Hæc ex cellulis infinitis maioribus atque minoribus conſtans, mirifice mutabilis non tantum, ſed ad immenſam quoque magnitudinem extenſilis eſt. Orta itaque cauſa quacunque *Hydatides* gignente, pars illa *celluloſaque Hydatidibus* jam factis vicina eſt, eodem modo ac prior degenerabit, hancque rurſus alia, quæ proxime adiacet, ſequetur, unde tum *Hydatides* increſcunt numero fere infinito. Cum vero in parte quadam ampulloſus productus fuerit tumor, aqua repletus, hic ultra imaginationem continuo increſcet, & quoniam preſſioni illabentis aquæ non reſiſtere poteſt tenera *celluloſæ* fabrica, quaquaverſum expandetur & erumpet. Neque aliqua pars in corpore humano mihi nota eſt, quæ mutationibus hiſce ſubeundis ullo modo apta haberi queat.

§. 15. Quædam *veſiculæ* teneræ ſunt, leviſſima de cauſa fragiles, & leviori tantum digitorum compreſſione in gelatinoſam quaſi ſubſtantiam abeuntes, adeo quidem, ut citatus antea *MALOET* argumentum haud infirmum exin deſumi poſſe exiſtimet pro demonſtranda *Hydatidum*

(z) *BONETI Sepulchr.* Tom. II. pag. 520. *Commerc. litter. Norimb.* 1731. pag. 271. *RUISCHII Adverſar. anat.* 1. (ſ ſ)

genesi ex concretione humoris lymphatici gelatinosa. Aliæ contra, inprimis maiores vel solitariæ, tunicis gaudent satis crassis, solidis firmisque. Utraque hæc, nisi vehementer fallor, diversitas ex contemplatione *membranæ cellulosæ* sola facile dissolvitur & illustratur. Quam dissimilis sibi sit in variis locis hæcce dicta *membrana*, docuerunt Anatomici. *Hydatides* itaque ex quanam parte oriantur, ratione ad illam habita, vel crassiores erunt & firmiores, vel teneriores & valde fragiles. Docent itidem quotidianæ observationes, *cellulosam* crassam, multo pingui farcitam, interveniente prava corporis constitutione, ita permutari posse, ut in subtilissimam membranam, minima vi rumpendam, & mucum quasi gelatinosum abiisse videatur. Eandem contra tenuissimam membranam *pingui* denuo infarciri & in amplum crassumque & firmum corpus transire posse, singulæ harum dissimilitudinum rationes ex mutabili *cellulosæ* fabrica petendæ, *Hydatidum*, varietates itidem demonstrant. Neque etiam causæ *Hydatides* efficientes semper sibi similes sunt. Nunc etenim una tantum alterave *cellula* comprimitur, in qua *pinguedinis* motus retrogradus impeditur; alio tempore magna aquosi humoris copia ad hanc vel illam *cellulosæ* partem adfertur. Sequitur itaque necessario, *Hydatides*, dum singulæ singulari modo increscant, alias aliis minores maioresve non tantum, verum etiam membranulas investientes vel solidiores & crassiores, vel subtiliores & laxe cohærentes extituras. Adcedit, quod *cellulare* dictum corpus tam inferne, quam superne, tenui quidem, ipsis tamen *cellulis* multo fortiori membrana tectum sit; (aa) quæ si *vesiculæ*

(aa) *KAAV. Perspirat.* pag. 337. §. 806.

ficulæ aquosæ tunicam efformaverit, hanc crassam reddet firmamque. *Cellulæ* autem inter hancce duplicaturam locatæ, in *Hydatides* transmutatæ, e contrario subtiles erunt & flaccidæ. Eadem quoque ratione facile erit intelligere, alias invicem adnexas, alias a reliquis separatas in cavitate singulari deciduas observari; prout nimirum vel moles sive pondus, vel causa quævis cum impetu disrumpens, vel horum nihil intercesserit.

§. 16. An quidem de rotunda *Hydatidum* figura verba facere operæ sit pretium, valde dubito. *Cellulæ*, vel inter lamellas membranaceas relictæ areæ, sua natura in quamcunque figuram facile mutantur. Fluida quævis coërcita versus omnes plagas æqualiter premunt, quod ex physicis notissimum est. Corpora membranacea cava flexibilia cum sint, a liquoribus intus contentis in rotundam extendi figuram necesse est, nisi causa quædam externa impediverit. Variorum generum in *pinguedinosa membrana* oriundi tumores ampullosi, vel sebacei, magis minusve rotundi sunt, & argumenti loco huic propositioni demonstrandæ inservire possunt.

§. 17. Ex hactenus demonstratis facile percipitur, integras humani corporis partes, viscera puta, aliasve in *Hydatides* converti posse, vix ullo vel vasorum, vel visceris remanente vestigio, quod magnopere miratus est *RUISCHIUS* (bb). Neque etenim id magis mirandum, quam quod erumpente & divagante *membrana cellulosa*, in Sarcoma vel Fungum permutata, partes non tantum molles, sed solidissima etiam ossa oblitterentur penitus: (cc) Quam

(bb) *Thesaur.* I. No. XII. Ass. II. *Thesaur.* VI. Nro. XI.
(cc) Videatur *Exercitat. mea de Scirrho* Cap. VI. §. 8.

Quam ob caufam ipfa corporis offa in carnofam, vel carni fimilem fubftantiam tranfiiffe dixit celeberrimus inter Chirurgos Parifinos *PETITUS.* Simile quid in hepate aliisque partibus *hydatidibus* refertis, dum tota quæ per intimam vifcerum fubftantiam perambulat *cellulofa*, eandem ubique paffa fuerit metamorphofin, contingere poffe nemo negabit. Ad veritatem igitur poft varias fluctuationes quam proxime adceffiffe videtur *RUISCHIUS*, cum ad conftituendas *Hydatides*, five integra vifcerum parenchymata in *Hydatides* transmutanda, *cellulofam* concurrere exiftimavit. (dd) Longiffime vero eum aberraffe credo, quum ob *Hydatides* in placenta uterina obfervatas, earum fedem vafis tantum fanguiferis addixerit. Hæc etenim pars, lymphaticis licet vafis deftituta videatur, *cellulofa* tamen etiam gaudet *membrana*; quæ in hac æque ac aliis quibusvis partibus easdem fubire poteft & fæpe fubit mutationes morbofas. Poffunt itaque in omni parte placentæ uterinæ, quin & in tenerrimo pufilli embryonis umbilicali funiculo eadem de caufa exfurgere, prout a *RUISCHIO* (ee) aliisque obfervatæ fuerunt.

(Amftelodamo Erfordiam miffa d. 28. Jun. 1743.)

OBSER-

(dd) *Thefaur.* VI. No. XI.
(ee) *Thefaur.* VI. Nr. XLV. *Obfervat. anatom. chir.* XIV.

OBSERVATIO CXXI.

Dn. JOANN. GODOF. BÜCHNERI.

De

Aloe Americana maiori aculeata, Anno 1742. in Voigtlandia florente.

CUm in omni vaſtiſſimo plantarum genere nulla hacte-nus, præter Aloën Americanam majorem, obſervata ſit ſpecies, quæ poſt longiorem moram tam ſubito protruderet, tamque brevi remporis intervallo ampliſſimum perficeret caulem, in tot prolixos abeuntem ramos, ac tot millia ſuſtinentes florum, Voigtlandiæ noſtræ inde aliqua ſane debetur laus & gloria, dum An. 1742. poſt reditum Celſiſſimi Comitis ac Domini Dn. HENRICI XI. *Rutheni* in *Ober-Greitz* ex itineribus, naturæ iſtud contemplandum primo nobis, in ſignum florentiſſimi futuri Ejus regiminis datum erat miraculum, ad quod videndum ingens ſane non modo ex vicinia, ſed & ê longinquo factus eſt curſus: Etenim

Non ſemper violæ, non ſemper lilia florent,
Flos Aloes fato ſubiacet ipſe pari.

Proindeque non ſine ratione iſtud etiam totius Provinciæ noſtræ coronam, hortique Greizenſis ſuperioris compluribus exoticis ſtirpibus inſtructi ornamentum merito nominaveris ſingulare.

Die autem 1. Jul. An. 1742. caulis noctu cum leni fragore foliorum perrumpere cuſpides, ac parturiens veluti primos edere gemitus cœpit, unde ſpem omnino conci-

pere licebat, fore, ut brevi temporis ſpatio egregios atque amœniſſimos produceret flores. Aetas ejus tunc 28. erat annorum, foliisque gaudebat plus quam centum, quæ circumferentiam $26\frac{1}{2}$ ulnarum æquabant Lipſienſium. Die vero 20. Jun. altitudo caulis 6. conſtituebat ulnas, & craſſities $1\frac{1}{4}$ uln. quam in libero aëre, absque ullo arris adminiculo, cura *Tobiæ Gebhardi*, hortulani aulici, erat adepta, ſiquidem is eam quaſi in tutelam ſibi traditam matris inſtar fidiſſimæ a teneris diligentiſſime obſervavit annis; hincque die 6. Novembris tandem rami inferiores obſtetricante ejus adcedente opera ſuos tanıquam fœtus dabant flores, licet tempeſtas per totam æſtatem admodum humida, fuerit atque frigida.

Folia tunc temporis ſpatium 30. occupabant ulnarum, longitudo vero caulis ad 30. ſeſe extendebat pedes, & 84. ramis, foliis hinc inde ornatis brevioribus ac in ſumitate coronam, ceu regium inter plantas ipſi debitum diadema, repræſentantibus, erat ſtipata. Inque his numeroſiſſimis in cunis quaſi conſpiciebatur proles, 14264. ſcilicet flores auro fulgentes radiante, ex quibus liquor ſtillabat dulciter amarus, cujus flos quilibet 30. circiter continebat guttas, hicque ab Indis ad conficiendam adhiberi ſolet intritam. Vid. *Philoſophical Transactions for the Months of January, Febr. and March* 1732. *No. III.* Floruit autem inde cum iſta fœcunditatis ubertate a d. 6. Nov. usque ad verem anni præſentis per integros ſex menſes, quo tempore capſulas ſemine plenas produxiſſe videbatur, qualis florurn diuturnitas & Ann. 1734. in Viridario pariter obſervata eſt Serveſtano. Vid. *Commerc. litter. Norimb. Ann.* 1734. *p.* 25. Cumque hæc ipſa in iſto vegetabilium genere

nere nunquam ante animadverſa ſit, ita vel inprimis digna judicatur, de qua graviſſimi naturæ ſcrutatores reique hortenſis certiores fiant amatores. De fœcunditate vero ſeminis nihil certe olim erat pronuntiatum, niſi quod hortulani non alium propagandi cognoverint modum, quam per ſtolonem, ſive ſobolem pone radices pullulantem avulſam & in idoneum ſolum translatam, donec tandem Ann. 1730. Francofurti ad Mœnum prima Aloës fœcunda obtenta fuerit ſatio, quod rei antea nunquam obſervatæ novum idcirco oculis curioſis præbuit ſpecimen, hincque eandem per ſuum ſemen propagationem pari virtute & apud nos futuram non ſine ratione ſuſpicari fas eſt. Vid. *Actor. Academ. noſtræ Volum. II. pag.* 408. Cæterum tota iſta arbor quoad longitudinem ac proceritatem Pinaſtro perquam eſt ſimilis, & externe viriditate imbuta eſt marina, ab inferioribus procul dubio foliis perquam pinguibus ac in modicam latitudinem ſe diffundentibus contracta. Jacent hæc arcuatim radici impendentia, & in extremitatibus in ſpinulas retuſas deſinunt, ut ita videantur in cuſtodiam quaſi arboris gyrum formare, haſtis atque veruculis munitum; prætereaque filis conſtant admodum ductilibus & levioribus, nec ad texendum ineptis & æque ut rami tanti utique ſunt roboris, ut pondere viri ibidem conſiſtentis erecti, minime confringantur. Alias vero de uſu eorum *Nard. Ant.* teſtatur *RECCHUS Lib. VIII. cap.* 12. *pag.* 270. his verbis: *Innumeri pene ſunt uſus, qui ab Aloe deſumuntur. Tota enim illa lignorum ſepiendorumque agrorum uſum præſtat, caules tignorum, folia vero tecta tegendi, imbricum, lancium, papyri, filique, ex quo calcei, lintea & alia veſtium genera, quæ apud nos lino,*

cannabe, gossipio, aliisque hujusmodi parari solent. Herba autem vermibus resistit & putredini, ac visui utilis esse dicitur; cumque amarissimi sit succi, inde apud PLAUTUM alicubi legitur: *Vitam hominis plus Aloes, quam mellis habere.*

Flores ejusdem fere figuræ ac formæ sunt ut Lilia, odorem spirantes subdulcem, atque 6. constant foliis, quæ singula ab aliis sunt fissa, aquilo & flavo colore paulatim infecta, ac superius acuminata, inque caliculum infra coëunt 6. sulcis instructum. Inde 6. pariter prodeunt baculi virides ac rotundi, in cochleæ formam superius tornati & foliis inferius firmiter cohærentes, ex quorum cuspidibus calathi longitudine surgunt digiti, super folia farinam spargentes flavam. Ex hisce denique baculis in medio calicis succrescit pistillum cum nodo rotundo. Dum autem folia marcescunt ac decidunt, siliquæ prodeunt sementescentes, quæ coctæ saporem exhibent asparagi. Tentavimus etiam saccharo eas condire, atque tragematum loco mensis adponere, quæ omnia uberius longe exponuntur in der Beschreibung der Americanischen Aloë zu Ober-Greiß, quam Schleizæ nuper typis vidimus prodeuntem.

Quæ vero fœcundissime hactenus parturivit planta, floribusque lætissime nituit, pallido nunc folio moriens languescit, ut omnia, quæ subito casu cum valuere, ruunt. Nec tamen ut aliæ plantæ caput ista demittit marcidum, sed cacumine potius, viribus licet destituta, cœlum versus sese dirigit. Devotissimas igitur hæcce considerans inde con-

concepit cogitationes Dn. BROCKES im irrdischen Vergnügen *P. III. p.* 401. ita canens:

Kaum sah ich dieß, so dacht ich, liebste Blume,
Du blüheteſt nicht nur zu deines Schöpffers Ruhme,
Du blüheteſt auch nicht für mich vergebens,
Du solt am Ende meines Lebens,
Mit GOttes Hülffe mir selbſt in der Todes-Pein,
Auch ein belehrend Lehr-Bild seyn;
Ich will mich dann, wie du, beſtreben,
Mich von der Erde zu erheben,
Und sonder mehr an das, was Irrdisch, zu gedencken,
Mich von der Welt empor und Himmelwerts zu lencken.

(Greiza Variscorum Erfordiam missa d. 12. Jul. 1743.)

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. JOAN. CHRISTIAN. KUND-MANNI.

Vitis ad ingentem magnitudinem & fertilitatem ſtercoratione excrementorum columbinorum producta.

In *Decuriæ ſecundæ Anno I. & II. Ephemeridum Academ. noſtræ pag.* 12. refertur: Vitem, furno piſtoris quotidie calefacto adpoſitam, iam circa feſtum S. Joannis maturas uvas protuliſſe, quæ Electori Saxoniæ dono fuerunt oblatæ. Huiusmodi præcocem maturationem celeberrimus Regis Galliæ Archiater *Guido PATINUS*, ſtercoratione calcis vivæ effecit, ipſe vero vites, item alias arbores, poſtea plerumque emortuas fuiſſe fatetur.

Quod autem fœcunditatem vitium attinet, An. 1730. *Francofurto ad Mœnum* nunciabatur, prope horreum occidentem verſus ſitum, in platea Beckenheimenſi, quod Domini Scabini *Barthels* proprium eſt, vitem 377. maturas uvas tuliſſe, quemadmodum etiam Ann. 1728. nunciabatur in dem Hamburgiſchen *Correſpondent*en, *Num.* 175. vitem in loco quodam *Volckſtadt*, haud longe a ſede Ducali Schvvartzenburgica *Rudolphopoli* diſſito, extitiſſe, quæ a parte orientali 588. a meridionali 360. ab occidentali

109.

109. a ſeptentrionali 162. ac proinde in univerſum 1219. uvas tulit: Hæc vitis in fiſſura petræ radices egit, atque intra multos annos nec amputata, & ab ipſo poſſeſſore parum curata; unde latius profuſa, vepribus & arboribus adſtantibus implicata, in altum evaſit.

Hiſce autem omnibus longe præferenda eſt vitis, quæ hic *Vratislaviæ* in ſic dicta civitate nova, ad pontem aureum; circa domum quamdam proxime fluvium *Olam* ſitam, adhuc hodie conſpicitur, cuius ambitus in parte ſtirpis inferiori tres ulnæ quadrantes cum tribus digitis complectitur. Hanc poſſeſſor An. 1726. ſupplantavit in terram; ex quo tempore illa totam domum a parte anteriori, ſeu orientali, & a latere meridiem verſus omnino obtexit, & in altitudinem plus quam XXVI. ulnarum excreuit, & inprimis An. 1739. ultra 3000. uvas cœruleas protulit; quarum altera pars dimidia eaque viliſſima, XVIII. Thalerorum pretio divendita fuit, altera vero dilargitione facta amicis ceſſit. Atque hoc incrementum & fertilitas ex continua excrementorum columbinorum ſtercoratione provenire dicitur; dum poſſeſſor ideo inſtitorem, qui ingentem columbarum venalium alit numerum, pro exiguo locationis pretio in ædes recepit, ut ſtercore columbino perpetuo uti poſſit. Hæc vitis, quia contegi non potuit, in illa frigidiſſima hieme An. 1740. frigore radicitus exuſta fuit; attamen ſequenti æſtate denuo gemmas protruſit, & cum iſta ſtercoratio, præſertim tempore verno & autumnali aſſidue continuaretur, per ſequentem licet frigidiuſculam æſtatem & autumnum, nihilominus ultra XIV. ulnas in altum excrevit, nullas tamen uvas protulit, ſed ſequenti hieme rurſus quan-

quantumvis contecta, quia nondum ſarmenta habuit, frigore aduſta eſt; quæ noc ipſo anno 1743. denuo primas uvas oſtendit.

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. JOAN. CHRISTIAN. KUNDMANNI.

De

Ruptura veſicæ urinariæ a calculo.

IN *Rarioribus* meis *Naturæ & Artis item in re medica*, *Sect. III. Artic. XV. pag.* 894. *ſeqq.* inter alias mirabiles hiſtorias, de calculis veſicæ, etiam ſequentem Caſum ſingularem attuli: Scilicet virgini cuidam XXI. annorum filiæ coloni pauperioris, in pago *Neudorff* prope *Cantium*, qui quinque milliaria *Vratislavia* abeſt, calculum 22. Lothonum pondere, ex vagina uteri, præſente Dn. *Andrea Kælichen*, poſtea Proto - Phyſico Vratislavienſi, exſectum fuiſſe. Hunc calculum in veſica urinaria coaluiſſe, & vrethram in regione inferiori dirupiſſe, exinde omnino adparet, quoniam poſt ejus Anno 1701. d. 16. Septembr. factam extractionem, urina per hanc aperturam copioſe profluxit; id quod vero, facta convenientium medicamentorum balſamicorum adplicatione, paulatim ceſſavit, atque urina deinceps, per meatum urinarium iterum prodiit, cujusmodi Caſus etiam in BARTHOLINI *Obſ. Med.* extat.

Cum

Cum igitur ante paucos annos hic *Uratislaviæ* puella XVII. annorum, & juveni ruſtico in pago *Rucks*, haud longe ab urbe noſtra in Ducatu Olsnenſi ſito, idem fere acciderit, utique hinc & hos caſus rariores ei, quem paulo ante commemoravi, adjungere nunc volui.

Prior illa puella, quum a frequentibus calculi doloribus, & retentione urinæ, magnas moleſtias ſenſiſſet, fallente in lubrica glacie veſtigio, vacillat, vt vix a lapſu ſe ſe retineret. Illico vehementem hinc dolorem & gravem preſſionem perſentiſcit, perinde, ac ſi ex genitalibus aliquid procidiſſet; quem locum ubi tangit, ex uno pudendorum labio ingentem tumorem exortum eſſe comperit. Conſultus ergo de hac re Archiater Cæſareus hic degens, Dn. D. KLAUNIGIUS, inſtituta una cum Chirurgo quodam viſitatione, uterque tactu manifeſto deprehendit adeſſe calculum, qui per vim vacillationis veſicam urinariam diruperat, & ſectione idcirco inſtituta, ſtatim ovi anſerini dimidii magnitudine extractus eſt; quo facto per vulnus illud primum quidem continuo urina profluxit, ſed ſenſim ſenſimque minori copia, donec tandem plenarie ſubſiſteret & ordinariam viam repeteret. Facta igitur frequenti injectione balſami cujusdam vulnerarii, mediante ſiphone, in cavitatem iſtam, non ſolum hoc vulnus, ſed etiam veſica ipſa, feliciter conſolidabantur, ut puella nunc, inſtar aliorum ſanorum hominum urinam emittere poſſit, nec amplius quidquam de prioribus ſymptomatibus perſentiſcat.

Alter erat juvenis rusticus XXIV. annorum, multa sæpe ex doloribus calculi passus, cujus etiam vesicam urinariam calculus disruperat, unde ingens tumor in inguine obortus fuit, quem mox vehemens excepit inflammatio. Tumor cum a balneatore pro bubone venereo haberetur, & medicamentis emollientibus tractaretur, denique facta maturatione & apertione insignem copiam puris præbuit, & cum eo insimul calculus arenosus XIII. semiunciarum pondere (quem inter rariora mea adservo,) ante oras vulneris conspectui se se obtulit. Pater ægroti idcirco oleo olivarum vulnus sæpe inunxit, tandemque calculum ipsum, vulnere ita dilatato, vi extraxit, subsequente dein fluxu urinæ continuo, cui post dimidium annum retentio urinæ plenaria successit, ægrumque e vivis sustulit.

OBSERVATIO CXXIV.
DN. D. JOANN. CHRISTIAN. KUNDMANNI.
Resuscitatio hominum in aquas delapsorum & pene suffocatorum.

URinatores pro arbitrio suo, si spiritum diu comprimant, foramen ovale, sicut animalia aquatilia, e. gr. anates, cygni, butiones, castores faciunt, aperire posse, & deinde ad instar embryonum respiratione non indigere, fundamento omnino caret, quum unice tan-

tum

tum id agant, ut quotidiano fere exercitio diuturniori compressioni spiritus in- & extra aquam adsuescere nitantur, ac eo usque tandem deveniant, ut per quadrantem horæ, vel etiam diutius, absque respiratione delitescere queant. Clariss. Dn. *Mich. Bernh.* VALENTINI in *Museo Museorum Tom. I. Lib. IV. Cap. XXXVI. pag.* 497. rationem margaritas piscandi ex multis Itinerariis describit, sistitque etiam in effigie ejusmodi urinatorum, quomodo lapide pedibus adligato, fune dimittatur, & alio signum det temporis, quo, respirationis gràtia, rursus extrahi debeat; cum si paulo diutius in aqua moretur, postea sanguis ex ore, naribus & auribus ejus erumperet; quam ob rem alibi margaritarii caput muniunt cucullo, cui adfixus est prælongus canalis, per quem spiritum attrahunt.

Jam equidem in *Ephemeridibus Academ. nostra Dec. I. Ann. IV. & V. Observ. XX. pag.* 30. viri cujusdam mentio fit, qui per XVI. horas, item mulieris, quæ per tres dies, nec non alterius cujusdam viri, qui per septem hebdomades sub aqua jacuerit. Pariter etiam *Decur. III. Ann. V. & VI. pag.* 137. iterum producitur homo, qui post octo dies demum ex aqua extractus, & (quemadmodum etiam supra dicti,) tamen in vitam revocatus fuit, ut plures, apud alios scriptores occurrentes taceamus historias eorum, qui post dimidium anni demum extracti, ad se redierint.

Cum autem difficile sit conceptu, qua ratione fieri possit, ut homines multarum hebdomadum, immo &

mensium quorundam spatio, careant respiratione; cum hac suppressa circulationem sanguinis prorsus quoque cessare necesse sit, præsertim cum hoc in aqua frigida fiat, ubi ob stagnationem sanguinis & rigorem partium brevi tempore mors insequi debet: Hinc ego ipse, quoniam hic fluvium Olæ ultra 50. annos adcolo, atque in eodem fluvio sæpe homines fortuito merguntur, casus sequentes communicabo, ex quibus patebit, quod, quando homines quidam per quadratem, vel ad summum per dimidium horæ sub aqua delituerunt, difficillime tales dein ad vitam revocari potuerint, insimulque gravissimis symptomatibus dein adflicti fuerint.

Vir quidam quadragenario maior, vino adusto ita inebriatus, ut pedes ægre officium facerent, juxta ponticulum S. Christophori ex rate in Olam prolabitur, & prope murum cœmeterii, tarde admodum, languente ibi alveo, per 400. ulnas defluit, quo ipso fere quadrans horæ præteriit. Infelix ille, neque circa illapsum, neque toto tempore natationis ullo modo se movebat, sed exigua dorsi ejus pars supra aquam eminebat: cum extractus esset, ex vulgari superstitione corpus ejus ita componebatur, ut caput deorsum, pedes sursum verterentur, eo fine, ut aqua ex corpore effluerent; at nihil aquæ effluebat, vnde tamquam mortvus domum deferebatur. In auxilium ego vocatus, cum celerrime eo properarem, offendebam eum in hypocausto suo humi jacentem: nullum vitæ signum exhibentem, siqui-

ſiquidem etiam nullus in eo calor, nullaque arteriarum vibratio ſentiebatur, ſed totus rigebat. Hinc e veſtigio jubebam adferri labrum, & cum circa meridiem ubique calida aqua offenderetur, talem e vicinia confeſtim adportari curabam, nec jam quadrans horæ præterierat, cum in labrum eadem repletum immitteretur. Juſſu meo tum adſtantes plantas pedum aſperioribus penicu-lis ſetaceis, corpus vero ipſum linteis vehementer fricabant; naribus interim, cum nihil aliud ad manum eſſet, ſulphur accenſum admovebatur, ori autem aqua Cinnamomi ſucceſſive infundebatur, eademque naribus & oculis illinebatur. Hoc facto, prima vice poſt 10. fere minuta, motus aliquis percipiebatur, dum nempe æger oculos ſibi fricare incipiebat, additis his verbis: Vrit & pungit. Major de hinc eidem copia prædictæ aquæ inſtillabatur, atque medicamenta ſanguinem reſolventia & diſcutientia exhibebantur; ipſe vero æger poſt unius horæ ſpatium ex balneo ſuo elatus, in lectum calefactum deferebatur, in quo plane quietus jacebat, pauca loquens, unde nondum eundem ad plenam ſobrietatem rediiſſe adparebat; interdum etiam paululum obdormiſcebat, qui ſomnus vero ob continuam tuſſim ſæpius interrumpebatur, quemadmodum etiam ſub vehementiori hac concuſſione, ſæpe ſanguis grumoſus ex pulmonibus prodibat. Cum ergo dubia adhuc maneret ſpes vitæ conſervandæ, hinc Confeſſionarius accerſebatur, qui prævia ſeria admonitione intuitu peccatorum hactenus

commiſſorum, & obſervata etiam ægri contritione, tandem ſacra Synaxi animam ejus reficiebat. Ita per noctem inter continuam tuſſim & ſanguinis exſcreationem decumbebat, donec mane, ſuffocatione circa horam quintam ſuperveniente, poſt horam ſeptimam exſpiraret.

Antehac etiam contingebat, ut puer quidam novem annorum in nova civitate, prope turrim novam, in vigilia paſchali ex rate in Olam prolaberetur. Illi, qui non tia procul aberant, referebant, eundem ſtatim aquis ſubmerſum, nec amplius conſpectum fuiſſe; defluit autem interim capite inferius, & pedibus ſuperius converſis ſecundo flumine, ita vt nil niſi poſtica pars calceorum conſpici potverit, cumque tandem usque ad pontem cervi, in cujus vicinia domicilium meum ſitum eſt, provolvitur, rumor de puero in aquam illapſo eo jam delatus erat. E veſtigio hinc opificis cujusdam ſervus de ponte deſcendit in navem aliquam, puerum extrahit, eum ita componit, vt caput deorſum, pedes ſurſum verterentur, & tandem ipſum corpus in pontis crepidine volutat, ſed nulla inde profluit aqua. Cum ergo in proxime adiacente ergaſtulo illa ipſa hora captivi quidam balneis uterentur, puer juſſu meo ſtatim ibi in aquam calidam immittitur, & brevi tempore, conjuncto aquæ Cinnamomi uſu, iterum excitatur, quamvis vltra 1000. vlnas ita nataſſet, & inprimis caput ejus fere per dimidium horæ ſub aqua delituiſſet. Eo ipſo vero momento, quo prima vitæ ſigna ad parebant, ſtatim quoque vehementiſſima, maximo cum

clamo-

clamore, corripiebatur Epilepsia, hacque iterum mitigata, mater filium mente captum, & memoria prorsus destitutum esse, animadvertit. Sequentibus dein temporibus toties recurrebat Epilepsia, quoties vel terrore, vel iracundia, etiam leviori, commovebatur, ut raro per integram septimanam cessaverit hic adfectus, tandemque, exacto sic biennii spatio, in ipso paroxysmo epileptico extinctus fuerit.

Eodem circiter tempore ante portam, quæ a molendinis nomen habet, cum in horto quodam obambularem, piscatoris filius VI. annorum incidit in Oderam. Ignorabant equidem parentes, quam diu is in aqua delituerit, ope tamen balnei, ex aqua calida parati, similiter intra breve tempus excitabatur, sed eodem quoque modo, uti de præcedente puero notatum fuit, Epilepsia corripiebatur, quæ nulla arte coërceri potuit, omnemque simul inter norum sensuum usum sustulit. Ad ætatem XX. annorum tandem progressus, cum in altiori Viadri ripa sederet, eodem tempore ipsum invadebat epilepsia, cujus impetu in aquam præcipitatus, periit, & post aliquot demum dies detectus, exinde extrahi potuit.

Cur autem pueri isti per omnem vitam epileptici permanserint, quod tamen in adultioribus non ita facile evenit, id abinde procul dubio dependet, quoniam infantes præ adultioribus ad Epilepsiam magis sunt dispositi, & natura ipsa in tenera ætate omnia obstacula magis per vehementissimos motus removere conatur, quamquam & aliæ

aliæ hic non excludendæ sint causæ. Cæterum hac occasione etiam in memoriam revocare lubet circum spectam illam methodum, quam b. Dn. D. SPENERUS circa ejusmodi subjecta observandam commendat, dum Disputationi suæ inaugurali, Giessæ Hassorum ann. 1699. ventilatæ, de *febre maligna Phthisi complicata*, sequens adjecit Corollarium: *Si aqua quis suffocetur & extrahatur, non statim inhumetur, ni homicidium patrare velis, sed ejus cura habenda, juxta informationem, quam ex propria & crebra experientia tradit Pastor quidam*, ALBINUS *nomine in Tractatu:* Kurtzer Handgriff, wie die Ersoffenen beym Leben zu erhalten. Quoniam vero celeberrimus Dn. D. *Jo. Dan.* GOHLIUS in *Act. Medicor. Berolinens. Decad. II. Volum. III. pag.* 40. hunc Tr. nunquam se vidisse testatur, neque etiam is mihi unquam obtigit, hinc plura ex eo heic adducere non licet. Interim modo allegatus vir doctissimus simul subiungit, ope excutiæ ventriculi, in apoplectico quodam motum, loquelam & usum rationis restituta fuisse, eamque ob causam, quia in suffocatis etiam species aliqua apoplexiæ occurreret, istam excutiam sine mora adhibendam esse censet, quia per hanc paulo vehementiorem irritationem in viscere satis sensibili, ventriculo nimirum, excitatam, tales in aqua demersi citius atque facilius, quam aliis mediis in vitam revocari possent, ut ita periculosa illa *Laryngotomia*, quam commendare placet, supersedere queamus. Quod autem commune & vulgatissimum illud in similibus subiectis usu receptum adminiculum,

niculum, corporis nempe inversio & volutatio, pro exturbanda aqua deglutita suscepta, nullius fere utilitatis sit, jam dudum fusius demonstravit *Jo. Conrad.* BECKERUS in Tract. medico-legali, Giessæ 1704. edito, de *submersorum morte sine pota aqua*, idemque etiam confirmatur in *Ephemerid. Academ. nostræ Dec. II. Ann. VI pag.* 31. & quidem sequentibus verbis: Hactenus creditum fuit, aquis submersos multum aquæ deglutire, eamque per tracheam quoque admittere, atque tales ex repletione mori, cum tamen ob aëris defectum extinguantur: Nam cessante respiratione cessat sanguinis in circulum itus, ipsa autem respiratio vel in momento sufflaminatur, cum nec aër egredi, nec aqua ingredi possit, hinc in submersis ne guttulam quidem aquæ in ventriculo aut in thorace reperire unquam licuit.

OBSERVATIO CXXV.

DN. D. JOAN. CHRISTIAN. KUNDMANNI.

Quomodo vehementiam frigoris unius hiemis, in comparatione cum altera, experiri liceat.

Per Thermometra dijudicare solemus gradus caloris & frigoris aëris; cognoscere etiam illorum ope licet, an præsens, an proxime præcedens, an vero remotior aliqua hiems, frigidior mitiorve fuerit, minime tamen id exquisite & perfecte obtineri & demonstrari potest. Nam intra aliquot annorum spatium liquor in Thermometris contentus insensibili quodam modo quadantenus imminuitur, adeoque sin frigus hiemis maximum annorum 1648. & 1709. cum frigore

 hiemis

hiemis nuperrimæ ann. 1740 comparatum dijudicare ex thermometris velimus, calculus nequaquam erit accuratus, quia hac ratione intra 30. immo 90. annos insignis utique mutatio, intuitu liquoris in ejusmodi thermometro contenti, evenire debuit.

Hanc igitur ob causam curiosi naturæ scrutatores de aliis experimentis solliciti fuerunt, & inprimis quoque ex crassitie glaciei in fluviis frigoris vehementiam dimetiri, & ita comparationem unius hiemis cum altera instituere voluerunt, quamquam nec hac ratione certa quædam institui possit observatio. Plurimum enim discriminis interest, si fluvius aliquis ex mediocri frigore glacie inferna (quam *Grund Eiß* vocamus,) impletur, quæ ingravescente gelu congelascit; & si, vehementi frigore subito ingruente, sine glacie tali inferna concrescit: In priori casu glacies uno simul impetu crassescit, minus tamen firmam, sed spongiosam exhibet substantiam; in posteriori autem compactior illa evadit, simul vero multo est tenuior. Quando ergo fluvius aliquis ita obductus est glacie, tunc quoad hujus crassitiem facile quoque ingens consequitur augmentum, & quidem hoc modo, dum scilicet fluvius ipse sub glacie paululum accrescere incipit, nec semper glacies inde attollitur, sed aqua per excisa foramina, vel circa gurgites, ubi non est congelata, vel circa sublicas fistuca adactas, vel etiam ubi arbores prope aquam sunt plantatæ aliisque ex aperturis supra glaciem adscendit, & frigore continuante ibidem congelascit, atque ideo crassitiem glaciei eximie auget; id quod in hieme diu durante sæpissime contingere potest, quemadmodum etiam, ob majorem minoremve impetum aquæ

pro-

profluentis, uno in loco fluminis cujusdam glacies multo craſſior, quam in altero deprehenditur; quæ omnia ſimiliter in aquis ſtagnantibus, extra glaciem infernam ſic evenire queunt. Proinde etiam ego ipſe in diverſis fluidis, ſæviente frigore hiemis Ann. 1740 obſervavi, quantum temporis requiratur, donec illa congelare inciperent, itemque donec eadem tota, ab intimius penetrante frigoris vehementia prorſus indurata fuerint, quæ experimenta ſi poſt integri ſeculi decurſum repetantur, ſub eadem frigoris vehementia in iisdem fluidis ſimili modo ſuccedent, ſicuti id mecum & alii obſervarunt.

Sic quando unciæ quatuor ſalis Halenſis cum libra una aquæ nivalis commiſcebantur, hæcque peracta ſolutione frigori exponebatur, tunc intra unius horæ ſpatium eadem in ſuperficie quadantenus obrigeſcebat: Quando autem una tantum uncia cum dimidia in ſimili quantitate aquæ diſſolvebatur, tunc ea demum ſpatio VI. horarum penitus à frigore indurata erat. Lixivium ex cinerum clavellatorum quatuor unciis & libra una aquæ paratum, eodem ſpatio temporis leviter in ſuperficie congelatum deprehendebatur. Aqua fervida libero aëri expoſita, indurata erat.

Aquæ in vitro contentæ oleum Caryinum altitudine duarum tertiarum digiti adfundebam, id quod fluidum & plane immutatum manebat; intra ſpatium vero 19. minutorum, aqua ſub oleo congelaſcebat, & mox tota in glaciem convertebatur. Cereviſia Uratislavienſis intra unam horam & 25. minuta congelabat. Vinum vero rubrum Budenſe intra duas demum horas & 45. minuta.

Similiter etiam quartarium vini generoſi, ex ſuperiori Hungaria, per noctem totam ante feneſtram, ſeptentrionem verſus, collocabam, idque altero mane usque ad quar-

tam partem in glaciem conversum deprehendebam, quæ, cum rursus liquæfacta esset, omnem fere saporem vini amisisse videbatur, dum interim restitans adhuc vinum summe concentratum & spirituoso liquori perquam simile erat. Sic quoque spiritus ordinarius ex vino Gallico paratus, per totam noctem libero aëri expositus, mane sequenti in superficie leviter congelatus, sub hac vero crusta paululum spissus tantum, instar fluentis olei, erat.

Porro si contusa glacies cum sale in poculo vitreo probe commiscebatur, ut infra hanc mixturam paululum aquæ conspiceretur, tunc in thermometro eidem immisso spiritus ad 10. usque gradus retrocedebat; si, ablata hac aqua sal ammoniacum minute contusum addebatur, tunc ulterius per 4. adhuc gradus ille descendebat; tandem si de optimo spiritu Nitri quarta pars ponderis glaciei adfundebatur, tunc in Thermometro, per quadrantem circiter horæ in hac mixtura relicto, spiritus adhuc 8. gradus subsidebat, separato vero dein fluido, interim a resoluta glacie collecto, additaque simili quantitate spiritus Nitri, per unum adhuc gradum cum dimidio retrocedebat, nec ulla arte, ut profundius descenderet, dein effici poterat. Hac etiam ratione ipsum argentum vivum, sub extremo hoc frigoris gradu, ordinariam suam aliquo modo amittere videbatur fluiditatem, ita ut instar liquidioris cujusdam amalgamatis adpareret, vel, ac si quarta fere pars plumbi, vel stanni, commixta illi fuisset. Atque hic ipse dicitur extremus fuisse gradus frigoris, qui ann. 1709. in Islandia fuerit observatus.

OBSER-

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. JOAN. CHRISTIAN. KUNDMANNI.

Domus perquam mirabilis, cum circumpositis tormentis bellicis, omni simul suppellectile instructa, Petropoli undique ex glacie formata.

Quod frigus acerrimum sævientis extra ordinem hiemis ann. 1740. ejusque stupendi effectus, magnam utique partem hominum vel ad incitas redegerint, vel ad morbos gravissimos disposuerint, fusius jam in Tractatu illo, qui *Visitationes iræ divinæ super Ducatum Silesiæ in nummis explanatas sistit*, *pag.* 238. - 328. demonstravi; quod vero illa ipsa hiems etiam singularibus quibusdam oblectationibus ansam præbuerit, ex sequentibus facile patebit.

Cum eodem hoc anno Jubilæum Typographicum incidisset, ejus intuitu Typographi Londinenses in *Tamesi* fluvio, firmiter per vim frigoris indurato, prelum constituerunt, & varia scripta Jubilæa, inter sonitum tubarum & tympanorum, interque alia hilaria, typis exscripserunt; non minus etiam eodem modo, sicuti in nundinis, super illo flumine tabernæ & tentoria multa exstructa erant, inque his varia esculenta, potulenta, & aliæ res, ad cultum & mollitiem pertinentes, divendebantur, immo & bos integer super eodem assatus fuit. *Heidelbergæ* magistri artis pistoriæ super *Neckeram* fluvium congelatum, in perpetuam hujus frigidissimæ hiemis memoriam, furnum construi curaverunt, inque eo panem atrum & album, nec non placentas coxerunt, de quibus primo *Electori Serenissimo* donum obtulerunt, quod vero reliquum fuit, pauperibus distribuerunt. *Francofurti ad Mænum* vietores super hunc fluvium, inter con-

centus musicos, tribus choris dispositos, atque saltationes per circulos & alia oblectamenta, prægrande dolium unius diei spatio confecerunt, quod sex culeos vini capiebat, ex quo postea vinum rubrum & album divenditum fuit.

Singulare quippiam quoque *Lubeca* nuntiabatur, quod scilicet Dn. Locum tenens *a Meynerts*, durante hoc gravi frigore ante portam Holsaticam ingentem Leonem, 7. pedes altum, ex glacie tam affabre formaverit, ut vix statuarius similem ex lapide venustius effingere potuerit. Prope Leonem istum propugnaculum quoddam extruxit, in quo quinque tormenta majora bellica, unacum milite & specula, quæ singula ex glacie parata erant, conspiciebantur. Maximam autem admirationem undique excitabat id, quod *Petropoli* referebatur, quodque postea doctiss. Dn. *Jo. Wolffg.* KRAFFT, Academiæ Imperialis Scientiarum Sodalis & Professor Physices ibidem in peculiari Commentatione fusius descripsit, sub titulo: Wahrhaffte und umständliche Beschreibung und Abbildung des im Monat Januario 1740. in St. Petersburg aufgerichteten merckwürdigen Hausses von Eiß, mit dem in demselben befindlich gewesenen Hausgeräthe. Ex hoc ergo Schediasmate præcipua momenta *Actis* hisce pro conservanda hujus rei prorsus insolitæ & ante hac inauditæ, memoria, non immerito inserenda esse judicavi, quæ in sequentibus consistunt:

Augustissima Russorum *Imperatrice*, ANNA, gratissime permittente, & sumtus haud exiguos suppeditante, occasionemque hinc præbente. Ejusdem Cubiculario, *Alexio Danielovvitz Tatitschevv*, inter castellum rei navalis ab Imperatore PETRO I. ædificatum & novum palatium

tium hiemale ab *Imperatrice*, ANNA, erectum, domus quædam tota ex glacie constans, exstructa fuit. Primo glacies limpidissima in quadrata veluti saxa cædebatur, serrabaturque, ornamentis architectonicis instruebatur, circino & regula mensurabatur, vectibus sibi invicem superimponebatur, & quævis commissura aqua perfundebatur, quæ confestim congelabat, & calcis loco inserviebat. Brevi tempore summa cum admiratione ædificium spectabatur erectum, octo Russicos cubitos (vulgo *Sachen*) seu 56. pedes Londinenses longum, duos cum dimidio cubitos latum, & cum tecto supra 3. cubitos altum. Hoc artificiosum ædificium speciem multo splendidiorem præ se ferebat, quam si ex pulcherrimo marmore constructum fuisset, dum totum ex unica quasi mole elaboratum esse videbatur, & propter pelluciditatem glaciei, item propter colorem subcoeruleum ad similitudinem lapidis longe nobilioris, quam marmoris adcedebat. Ante ædificium VI. tormenta bellica majora ex glacie torno facta, erant disposita, quæ rotas & pedamenta habebant itidem ex glacie formata. Hæc tormenta ad proportionem & magnitudinem æreorum facta erant & terebrata, quæ tribus libris pulveris pyrii onerantur. Displodebantur illa sæpenumero, pulveris pyrii quarta libræ parte fundo fistulæ injecta, & globo vel stupeo vel ferreo superimposito. Ejusmodi globus in conspectu totius aulæ Imperialis intervallo LV. passuum emissus, asserem 2. digitos crassum, perforabat. Dehinc duo mortaria conspiciebantur similiter ex glacie confecta: horum magnitudo illis æreis mortariis æqualis erat, quæ pyropolos LXXX. librarum jaciunt; ex iis sæpius ejiciebantur pyroboli quorum fartura erat libra dimidia pulveris pyrii.

Tandem

Tandem in eadem ſerie juxta primum domus introitum poſiti erant duo Delphini, ita adaptati, ut ope quorundam ſiphonum Naphtha incenſa ex illorum faucibus emitti poſſet. Pone hanc ſeriem lorica ducta erat, perticis e glacie factis conſtans, inter quas quadratæ pilæ erant interpoſitæ. His proxime adſtabant duo arcus triumphales, ſuper quibus teſtæ florum, arbores Auraſionenſes, juxtaque arbores vulgares, omnes ex glacie cum foliis, frondibus & inſidentibus avibus, poſitæ erant. Supra hanc domum in tecto porticus conſpiciebatur, columnis quadratis, & tornatis pupis inſtructa; & ſupra introitum frontiſpicium magnificum ſtatuis paſſim exornatum, adparebat. Domus ipſa non ſolum januam atque margines feneſtrarum, itemque pilas, colore viridi, marmoris ad inſtar, tinctas, ſed & ſcalas neceſſarias, duoſque introitus monſtrabat. Inferius ſtatim conſpiciebatur ſpatioſum atrium & utrinque conclave, cui nullum lacunar erat ſuper impoſitum. Atrium habebat 4. & quodvis conclave 5. feneſtras, quarum & jugamenta & orbes ex tenui glacie conſtabant. Noctu feneſtræ iſtæ lampadibus pulchro ordine poſitis ornabantur, & in qualibet fere feneſtra jocoſa quædam imago in linteo depicta collocabatur. In una parte dimidia conclavis ejuſque ſiniſtra regione, comparebat abacus, in quo aliquot candelabra cum inditis candelis, ope illitæ Naphthæ ardentibus, itemque horologium portatile, & vaſa varia viſebantur; parietibus vero adfixa erant ſpecula haud exiguæ magnitudinis. In altera parte dimidia hujus conclavis ſtabat lectus elegans cum velis, culcitris, pulvinaribus & ſtragulis, duo paria ſolearum, duo cuculli nocturni, ſella ſine acclinatorio: Similiter etiam ibi conſpiciebatur caminus elegans, in quo ligna ficta jacebant, quæ aliquoties ope Naphthæ ardebant. Alterum conclave in una dimidia parte

ſini-

ſiniſtrorſum iterum monſtrabat menſam, cui horologium paulo grandius impoſitum erat, in quo rotas inſertas per glaciem pellucidam exacte cernere licebat, in menſa hinc inde jacebant chartæ luſoriæ frigore adfixæ & ſigna pignoratitia ludentium. Juxta menſam poſitæ erant ſellæ longiores cum opere ſculptili, & in angulis duæ ſtatuæ: In altera parte dimidia hujus conclavis occurrebat armarium cibis reponendis aptum, cum variis icunculis, intus collocata erant vaſa tornata, pro hauriendo infuſo Thee deſtinata, nec non pocula, & patinæ cum eduliis, omnia ex glacie effecta, & coloribus naturæ convenientibus picta.

Opera externa & ornamenta ſecundaria hujus ædificii erant ſequentia: Primo ab uno quoque latere ſtabat pyramis quadrata ſuper arcopodio cum frontiſpiciis. Hæ pyramides erant cavae & habebant introitum; a quovis latere feneſtra erat rotunda, circa quam picta horologii tabula conſpiciebatur: Intus ſuſpenſa erat laterna chartacea octangula, variis picturis jocoſis exornata, in qua noctu candelæ accendebantur, quam poſtea homo aliquis, in abſcondito loco latitans, circumagitabat, ut una poſt alteram effigies, per feneſtras transparere poſſet.

In dextro latere poſitus erat Elephas juſtæ magnitudinis, ex glacie formatus, cui inſidebat miles Perſicus cum ſecuri, juxtaque alii duo Perſæ juſtæ ſtaturæ. Elephas intus erat excavatus, & tam artificioſe paratus, ut interdiu aquam altitudine XXIV. pedum, & noctu incenſam Naphtham evomeret, edebat quoque ope quorundam tuborum, ſimilem fere ſonum, qualis viventibus hiſce belluis proprius eſt.

In ſiniſtro latere erat Balneum more ſeptentrionali comparatum, ex glacie ita exquiſitiſſime conſtructum, ac ſi ex meris trabibus rotundis compaginatum fuiſſet. Calefactum hoc fuit aliquoties, & fuerunt, qui revera in illo ſeſe lavarunt. Talis igitur fuit facies hujus artificioſi ædificii, atque illud ipſum ab initio Januarii usque in Martium fere in tali ſtatu immutatum perſeveravit, quo quidem tempore, ob ingruentem mitiorem tempeſtatem, ſenſim ſenſimque diffluxit.

Præter oblectationem, quam ædificium hoc præbuit ſpectatoribus, ſimul exinde cognoſcere licet, quod acri frigore vigente glacies tornari, terebrari, cædendo lævigari coloribusque tingi queat; immo, quod etiam ex tormentis, ex glacie paratis, mediante pulvere pyrio globi projici poſſint, id quod ob minorem reniſum, quem ipſa glacies exhibet, omnemque humiditatis defectum, in ſolide congelata tali glacie occurrentem, facili utique negotio fieri poteſt.

(*Vratislavia Erfordiam miſſa*
d. 29. *Jul.* 1743.)

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. JOANN. ADAMI KULMUS.

De

Spaſmo validiſſimo, oſſa femorum prorſus diffringente; itemque de arteriis in oſſeam ſubſtantiam degenerantibus.

Virgo quædam 32. annorum, mercatoris notiſſimi filia, tenerrimæ ac macilentæ corporis ſtructuræ, temperamenti phegmatico-melancholici, a parentibus podagrico malo adfectis fuit generata. Hanc puellam avus jam a prima ætate,

ætate, ob nimium amorem, frequentissime in lecto suo detinuit, eo etiam tempore, quo adfectu podagrico intensissime decubuit. Cum illa postmodum vix decimum ætatis annum attigisset, mox prima indicia morbi arthritici in apricum veniebant, qui morbus vel ab hæreditaria dispositione, vel a contagio in lecto avi, vel ab utraque causa deducendus erat. Nihilominus tamen postea justo pubertatis tempore fluxus menstruus rite adparuit & per quinque annos debito modo continuavit; postmodum vero per annuum spatium naturales leges non solum quoad copiam, sed etiam quoad intervalla valde mutabat, donec tandem penitus cessaret: ob nimium autem virginis pudorem remedia ad menstrua restituenda plane nulla fuerunt adhibita, unde procul dubio adfectus arthriticus identidem reversus altiores semper egit radices, qui ante aliquot annos corporis artus adeo valde jam occupavit, ut in digitis manuum insignes tophi, in juncturis vero pedum summa debilitas existeret, quam ob causam etiam gressus pedum admodum difficilis reddebatur. Malum istud mox a tenerrima ætate inveteratum omnino sanguini & reliquis corporis humoribus nutrientibus gravissimam contraxit labem, eosque semper impuros servavit, quare totum corpus debile & emaciatum, viscera invalida, & ipsa quoque ossa minus firma, sed potius fragilia evaserunt, unde etiam casus noster recensendus facile evenire potuit.

Anno 1741. mense Martii novus paroxysmus arthriticus manus pariter ac pedes hujus puellæ graviter occupabat, ita, ut in lecto plane decumbere cogeretur. Post aliquot dies, trigesimo scilicet Martii subito corripiebatur virgo ista in ipso lecto

atrocissimo dolore spastico, per universum quidem corpus diffuso, maximum tamen dolorem in sinistro sentiebat pede, ubi in femoris latere externo superius confestim ingens tumor durus (secundum ejus opinionem) elevari visus fuit.

Postquam deinde has circumstantias audiveram, ordinavi quædam remedia antispasmodica & analeptica interna; tumorem vero subito enatum curæ chirurgi ordinarii commisi, cui tamen nec ocularis istius tumoris inspectio, neque manualis exploratio, ob nimiam virginis verecundiam, concedebatur, quare Chirurgus tantum adstantibus commendavit, ut fomentationes resolventes & emollientes per vices adponerent. Gravissima incommoda, doloresque intensissimos sentiebat ægra, quoties ex lecto deferri, aut situs corporis mutari cogebatur: præterea quoque semper pes sinister in situ erecto utrinque firmari debuit, qui secus facile sua sponte introrsum flectebatur, quæ circumstantia ab initio summæ debilitati pedis tribuenda videbatur. Quia autem vires hujus ægrotæ a longo tempore per frequentes gravissimos morbos penitus erant exhaustæ, adpetitus quoque & somnus deficiebant, sanguis etiam, ac reliqui corporis humores plane corrupti existebant, ideo eventus hujus morbi mihi videbatur periculosissimus & incurabilis, inprimis quia pulsus admodum debilis & frequens atque calor præternaturalis cum sudore subinde copioso hecticam febrem mentiebatur.

Nihilominus post breve tempus ægra variis adhibitis remediis ad statum morbi idoneis præter omnem spem meliori jam valetudine frui incipiebat: somnus enim noctu dieque per nonnullas horas revertebatur, ventriculus iterum alimenta citra nauseam adpetebat, motus febriles minuebantur, graves do-

lores

lores pedis infirmi sensim remittebant, & animus mœrore antea prostratus denuo ad optatam tranquillitatem componebatur. Tali statu morbi in melius mutato suadebam, ut ægrota per vices surgere & quadantenus pedis robur explorare conaretur, quia de recuperanda valetudine optima spes evidentissime adfulgeret. Illa vero mente contristata respondebat, se quidem corporis sui valetudinem adpropinquantem jam ipsammet sentire, attamen claudicationis metum verendum esse, quia pes sinister multo esset brevior dextro: se quidem hanc deformitatem antea validæ tendinum constrictioni, sed perperam, tribuisse; nunc enim palam constare, quod vel luxatio quædam, vel alia gravis causa subesse debeat.

Ad hujus circumstantiæ hactenus me latentis effatum ego attonitus plane obstupui. Ut autem de pedis vera constitutione certior fierem, omni, quo valui, suasu expetebam necessariam mali explorationem, quam Chirurgus huc usque ob modestiam erga sexum sequiorem, in hoc casu fere noxiam, pervestigare intermiserat, ea solummodo relatione contentus; quod in femore tumor existeret. Postquam vero ego pariter atque Chirurgus partem læsam penitius indagavimus, adparuit confestim pes sinister ad palmæ latitudinem brevior dextro, & quoniam genua similem differentiam monstrabant, hinc ischia pariter explorabantur, an forsan os femoris propter defluxiones humorum ex acetabulo suo fuerit depulsum? qualem morbum aliquoties antea observaveram: putabam enim, eundem adfectum in hoc casu eo faciliorem, quia ista virgo gibbosa, quoad plurima membra admodum deformis & ratione humorum impurorum valde morbosa existebat. Attamen deprehendimus etiam hanc articulationem femoris rite comparatam,

 qua-

quapropter nullam aliam pedis abbreviati causam suspicari licuit quam fracturam ossis femoris a validissimo spasmo factam.

Quamprimum tandem ipsa pars femoris tumida attingebatur mox evidenter adparuit os femoris diffractum, sub carne valde emaciata & laxa tactu luculenter distinguendum, cujus ossis femoris pars superior a parte inferiori validissimo spasmo avulsa et extrorsum eminens, illum supra memoratum tumorem mentiebatur. Hujus adserti veritas adhuc certior fuit reddita, cum postea hujus femoris partem superiorem deprimerem, inferiorem vero tibiæ adfixam elevarem, quo motu præternaturalis flexura ibidem deprehensa jam præsentem fracturam luculentissime indicabat.

Facta fuit hæc exploratio demum decimo sexto die post prædicti potentissimi spasmi paroxysmum, quo momento femur omnino jam diffractum fuit, quia eodem tempore tumor ibidem subito elevari videbatur. Facile autem quilibet colligere valet, quales dolores gravissimos misera hæc puella per hoc temporis intervallum perpessa sit, dum inferior femoris pars abrupta intra pedis musculos introrsum, versus genitalia & perinæum potenter attracta, ibidem in partibus carnosis & tendinosis acuminata sua extremitate intensissimos dolores excitavit, potissimum quoties pes fuit commotus aut elevatus.

His circumstantiis observatis illico fracti pedis repositio ac deligatio citra moram suscipiebatur: extensio membri disrupti in hoc negotio admodum erat facilis, quia musculi femoris valde flaccidi & emaciati haud adeo fortiter renitebantur. Ægra deinde post hanc operationem præter omnem spem sensim meliori fruebatur valetudine. Ut autem corporis humores corrupti iterum quam citissime in meliorem statum

redigerentur, insimul præscripsi Decocta atque infusa, cum aliis remediis ad hanc indicationem spectantibus, per aliquod tempus continuanda, quibus ita debite adsumtis callus opinione citius fracturæ adcrescens tactu jam evidenter dignosci potuit; attamen consolidationem satis firmam post idem temporis intervallum, quo alias evenit, in hoc casu, ob nimiam humorum dyscrasiam vix sperare potui, hincque sollicite prohibui, ne justo citius cum incessu pedis læsi periculum fieret, quod tamen post dimidii anni decursum tandem feliciter factum fuit.

Quemadmodum vero haud raro infortunium novum priori vix remoto citatis passibus occurrit, ita quoque contigit, ut virgo nostra calamitosa sequenti Anno 1742. die 21. Januarii ex improviso per scalam decideret, quo lapsu os humeri in brachio dextro prope superiorem condylum frangebatur. Fractura ista mox debito modo conjuncta, fasciis rite deligata fuit. Quia vero sub isto inopinato casu non solum animus insigniter fuit perturbatus, totumque corpus valde concussum, sed inprimis in pede vix sanato magna iterum debilitas, novi spasmi, atque insultus podagrici supervenerunt, ideo remedia analeptica, antispasmodica & roborantia per vices fuerunt præscripta, immo majoris securitatis causa consultius judicavi, ut totum crus antea fractum novis fasciis firmaretur.

Fractura ista humeri duorum mensium intervallo iterum fuit consolidata, ita, ut brachii motus ex voluntate ad negotia peragenda satis valeret: interea tamen inveteratum malum arthriticum, ob tempestatem per aliquot menses inconstantem ac valde rigidam, novo insultu artus occupabat diuturna mora, donec ab initio mensis Julii idem morbus podagricus majori sævitia extremitates corripuit.

Cum

Cum itaque infelix nostra ægrota per aliquot dies iterum lecto perpetuo adfixa, tranquillum animum exactamque diætam servaret, novus denuo ex improviso spasmus per totum corpus singulasque extremitates subito vim potentissimam excitabat: spasmus autem iste potentissimus adcessit die sexto Julii, hora quinta pomeridiana, cum sequentibus circumstantiis. Cum nempe virgo nostra cum parente suo tum temporis de rebus domesticis loqueretur, sentiebat illa uno impetu nauseam, postea fulgorem in oculis vibrantem ac vertiginem, quæ symptomata subsequens spasmus concomitabatur, quo spasmo utrumque brachium graviter introrsum contorquebatur, caput vero simul retrorsum flectebatur, oculi insimul erant rigidi & ex ore profluebat sputum copioso sanguine commixtum, qui tamen sanguis, ut postea innotuit, ex lingua & buccis, morsu dentium ab inscia ægra læsis, recessit. Postea conquerebatur illa de dolore vehementissimo in pede dextro hucusque sano, & in scapula sinistra sese exerente.

Postquam deinde ad eandem adcessi, dictasque circumstantias audivi, statim verebar, ne fractura quædam in pede dextro esset facta, quam quidem patiens se sentire negabat: cum vero egomet ipse dextrum crus palparem, mox manibus & oculis evidenter adparuit vera fractura, in medio loco femoris dextri oborta. Confestim igitur Chirurgus requirebatur, qui, me præsente, ossis diffracti partes apte sociavit, femurque rite deligavit. Cum autem crus istud deligatum alteri pedi sinistro adponeretur, evidenter adparuit ingens horum pedum differentia, qua videlicet pes dexter sinistro multo longior videbatur, unde mox judicabam, sinistrum pedem ab isto spasmo pariter fuisse læsum, quamquam patiens nullum

in

in hoc pede dolorem observaverit: quam ob causam debita peragebatur exploratio, qua constabat, quod femur sinistrum revera denuo sit diffractum, non tamen in eo loco, ubi prior fractura contigit, sed paulo magis deorsum, quapropter etiam ista fractura similem repositionem ac deligationem tempestivam omnino requirebat.

Quanto terrore non solum infelicissima ægrota, sed omnes quoque cognati & adstantes propter hunc inopinatum calamitosumque eventum perculsi fuerint, quilibet facile perpendere valet. Attamen illa gravissimam hanc calamitatem æquo semper & patienti ferebat animo, utpote cujus naturalis indoles quieta placidam tranquillitatem in morborum diuturnis doloribus per vitæ suæ decursum sufficienter comprobaverat.

Postquam antea prima femoris sinistri fractura restituta & deligata fuit, tunc post quorundam remediorum cordialium ac antispasmodicorum usum, mox cessabant dolores vehementiores; post has autem fracturas novas, secunda vice factas, intensissimi dolores spasmodici indesinenter fere perseverarunt, ita, ut ægra propterea die noctuque nulla plane quiete frueretur. Et quamquam varia medicamenta antispasmodica fuerunt adhibita, persistebat tamen spasmus in utroque pede fracto adeo validus per vices, ut impositi asserculi fasciis firmati, identidem reciprocato motu elevarentur, & stridulus fractorum ossium adfrictus, sub tali motu spasmodico excitatus, admodum distincte perciperetur. Hæ tam perversæ morbi circumstantiæ omnem præripuerunt spem futuræ consolidationis fracturarum recuperandæque valetudinis.

Aliud præterea adhuc, illudque rarum omnino observabatur in hac virgine, quod sanguinem ac reliquos humores

valde impuros, partiumque solidarum structuram perquam corruptam esse testabatur. Etenim jam ante tres menses monstrabat mihi illa duros nodulos atque tuberculos lenticulares in temporibus & occipite, quos (uti adserebat) jam pridem, sed minoris molis, observaverat, eosque gravissimæ cephalalgiæ, a longo tempore perpessæ, causam crediderat. Ego postmodum non tantum in dictis locis, sed etiam in brachiis similes nodulos ubique secundum arteriarum tractum manifesto distinguere potui: ex qua circumstantia probabiliter conjiciebam, hos nodulos, hinc inde justa serie sociatos, nihil aliud esse, quam ipsas arterias in osseam substantiam mutatas. Quæ conjectura, eo tempore præsentibus cognatis a me prædicta, tandem post mortem, quæ die 21. Julii eveniebat, verissima fuit observata.

Post mortem deinde mihi & Chirurgo membra in utroque pede læsa concedebantur pervestiganda. Hac occasione in sinistro femore utraque fractura diverso tempore facta evidentissime invicem distingui potuit: prior etenim fractura, quæ anno præcedente contigit, firmissime consolidata conspiciebatur, callus namque amplus ac validus paulo infra trochanterem minorem latiori suo ambitu a reliqua femoris diaphysi optime poterat dignosci, quia Chirurgus, me suadente, fascias ossi tum temporis fracto justo laxius adaptaverat, eum in finem, ut callus largiter accrescens membrum, cæteroquin debite, eo majori tandem robore firmaret. Sub isto callo adeo manifesto occurrebat altera fractura nova, ad dimensionem unius & dimidii pollicis remotior versus tibiam, a priori fractura luculenter discernenda, ubi plane nullum consolidationis vestigium adparuit, sed extremitates partium ossis fracti valde acuminatæ, ca-

rie

rie correptæ, atque periostio suo denudatæ conspiciebantur. Multæ præterea in hoc femore diffracto obveniebant hinc inde foveæ, a carie plus minusque profunde excavatæ, quarum una, haud procul a fractura, per omnem ossis substantiam in ipsum meatum internum tendebat, quæ simul tam late patebat, ut quilibet adstantium per eam digito immisso medullam reconditam attingeret. Cum autem extremitates hujus ossis fracti invicem adaptarem, tunc magna profecto pars in ipsa commissura omnino deficere videbatur, procul dubio a carie penitus exesa, quare etiam os in hoc loco facillime a spasmo frangi potuit.

Dextri deinde femoris fractura a carnibus denudata ultra medium ossis paulo declivius versus genu facta obveniebat: extremitates partium separatorum pariter carie corrosæ atque adeo porosæ & fragiles existebant, ut levi vi quædam frusta, veluti de ligno putrido, abriperentur: præterea etiam in hoc femore periostium variis in locis desiderabatur; foveæ quoque & foramina in ossis superficie permulta reperiebantur. Ex his ergo circumstantiis satis evidenter concludendum erat, impuros potissimum & acres humores scorbuticos, a longo jam tempore in corpore generatos, ossa diuturna mora tandem adeo spongiosa & fragilia reddidisse.

Lubentissime simul scapulam sinistram debito modo exploravissem, ut (quemadmodum hariolabar,) certior fierem, an in hac quoque scapula caries, aut forsan quædam fractura extitisset, quia defuncta in hac corporis parte de eodem gravissime dolore, similique spasmo vehementissimo, uti in femore dextro, semper conquesta fuit; ast hujus membri perlustratio ad voluntatem nostram nequaquam concedebatur.

Hac occasione, qua femora post mortem dissecui, simul arterias ibidem obvias paulo curatius pervestigavi, quas singulas, tam ramos majores, quam surculos minores, ubique induratas, atque in osseam substantiam redactas observavi, aliisque adstantibus commonstravi. Harum arteriarum ramum quendam insignem tum temporis resecui, in cujus exsiccati & diffissi cavo postea copiosæ squamulæ ac lamellæ, tunicæ internæ ubique adnatæ, adparuerunt. Probabile omnino est, hanc arteriarum ossificationem ulterius per aortæ tractum protensam fuisse, quoniam in temporibus & in brachiis pariter osseæ indurationes arteriarum jam sentiri potuerunt, dum virgo hæc adhuc viveret. Similes arteriarum degenerationes antea aliquoties in diversis hominibus post mortem observare mihi contigit.

Hanc equidem ossificationem, multo tamen adhuc magis illas fracturas ossium a solo spasmo productas, atque inprimis priorem fracturam femoris sinistri, post 16. demum dies uniti in corpore adeo morboso tandem feliciter consolidatam, quilibet mecum magnopere mirabitur.

OBSERVATIO CXXVIII.

Dn. D. JOANN. ADAMI KULMUS.

De

Infantis post matris obitum partu.

Militis cujusdam gregarii, nostræ civitatis, *Jo. Henrici Mülleri*, uxor, fœmina 28. annorum, floridi ac spongiosi habitus corporis, hoc anno tertia vice erat gravida. Hæc instantem partum die 23. Maji tempore meridiano ex conatibus sibi jam cognitis sentiens, confestim obstetricem accersere jussit; quæ quum fœtum situ minus congruo insistentem explo-

exploraret, adeoque partum hunc admodum difficilem sibi conciperet, mox inversionem fœtus in utero suscipere tentavit: verum ad hoc negotium plane imperita, ut eventus docuit. Ea namque puerperam transversim in lectum ita reposuit declivem, ut prono capite, scilicet facie deorsum spectante, multo profundius, quam reliquo corpore decumberet, sicque capiti inniteretur: pedes autem illius imposuit humeris aliarum mulierum adstantium, eosque tali modo divaricatos firmiter tenere jussit immotos, quo fœtus proprio pondere recedens facilius inverteretur.

Sub hoc tamen miro & inusitato parturientis situ plane nihil efficere valuit obstetrix, licet per aliquod horas cum ingentibus puerperæ doloribus laborem continuasset, donec maritus adveniens ab uxoris gemitu, clamore & querelis commotus obstetrici omnem ulteriorem opem ferendam interdiceret: quare circa vesperam parturiens ordinario modo in lectum reponebatur, a quo demum tempore omnes dolores partus penitus cessarunt, relictis tamen aliis doloribus gravissimis in abdominis partibus internis, quos ab incauta obstetricis manu cum læsione interna productos constanter adseruit parturiens. Sequentem noctem misera ista mulier plane inquietam transegit, quæ altero deinde die 24. Maji, circa meridiem frigidum horrorem per universum corpus diffusum sentiebat, subsequente demum calore intensissimo, pulsu celerrimo, tandemque sudore colliquativo, ipsaque morte, quæ hora 7. vespertina ingruit.

Post obitum jam corpus more solito lavatum tandem, sequente die, 25. Maji, mane adportato sarcophago immittebatur. Multæ tum temporis aderant fœminæ agnatæ & vici-

næ, deinde quoque diversis vicibus, ante & post meridiem adcesserunt aliæ, quæ omnes mulieris mortuæ corpus insigniter distensum, partesque genitales admodum deformes & contritas vel novitatis causa, (ut mos est,) vel misericordia commotæ sollicite explorarunt, nullo tamen adhuc adparente fœtu. Tandem postea hora 8. vespertina mater defunctæ adveniens, filiam, ejusque ventrem, quem insigniter læsum percepit, adhuc adspicere cupiebat, quæ cum adstante marito mox aperto loculo infantem jam natum intra pedes matris cum adnexis secundinis attonita conspexit. Confestim aliæ mulierculæ plures, quibus hæc res plane insolita denunciabatur, accelerarunt & veritatem istius partus mirabilis propriis oculis explorarunt. Fœtus autem reperiebatur prono capite antrorsum usque ad suras matris extenso procumbens, pedibus intra matris femora relictis, cum adhærentibus secundinis pariter exclusis. Quam primum postea infans fuit protractus, conspexerunt omnes caput eius penitus diffractum, & corpusculum variis in locis euidenter læsum, unde obstetricis violentas contrectationes facile augurari potuerunt. quare maritus defunctæ hoc factum in foro competenti explorandum denunciavit.

Facta deinde legali inspectione, in præsentia quorumdam Medicorum & Chirurgorum, universum corpus matris observabatur quaquaversum insigniter tumidum, ita, ut quoque abdomen adeo distensum cerneretur, ac si nullus adhuc contigisset partus: per genitalia vero externa valde contrita ac inflammata effluebat putridus humor sat copiosus: præterea totum corpus iam sphacelo erat correptum, splendidoque colore plumbeo, & vesiculis ichore turgidissimis adeo defœda-

tum,

tum, ut odor graveolentus eius sectionem plane impossibilem redderet. Fœtus tandem sexus sequioris, vere posthumus, considerabatur quoad corporis atque membrorum magnitudinem satis perfectus. Ossa cranii & maxillarum penitus erant in parva frustula comminuta, & a cute sua plane separata: adeoque frustula calvariæ intra cutem flaccidam contenta perinde ac pecunia in marsupio quaquaversum commoveri potuerunt, eoque facilius, quum substantia cerebri iam putrida per nares & palatum diffractum leni commotione diffflueret. Præterea in humero dextro, itemque in thorace & abdomine variis in locis versus idem latus dextrum cutis valde erat dilacerata, ut etiam musculi conspicerentur nudi. Quæ circumstantiæ nimis rudem obstetricis tractationem luculenter ostendunt.

Non desunt aliæ quoque observationes fœtuum post mortem matris demum ex ergastulo suo liberatorum, qualem etiam ante aliquod tempus nova publica Berolinensia adnuntiarunt: desiderantur tamen in omnibus, quas videre nobis contigit, necessariæ circumstantiæ concurrentes, ex quibus vera partus ejusmodi mirandi causa erui ac innotescere posset. Præterea nosmet ipsi in praxi clinica duabus vicibus observavimus fœtus mortuos sub agone parturientium, ab obstetricibus imperitis nimis defatigatarum, exclusos: quorum partum dolores antea insistentes promoverunt, valida vero & profunda morientium inspiratio repetita eum tandem absolvit.

Duo adhuc notari merentur exempla, memoratu dignissima, a quibusdam fautoribus honoratissimis nobiscum nuper communicata, quorum alterum refertur in *CRAMERI* Pommerischen Kirchen-Historie inter res anno 1567. gestas, pag. 180. sequen-

sequentis tenoris: In diesem Jahre ist etwas denckwürdiges in dem Lande zu Cleven zwischen Daventer und Sutphan geschehen. Es haben die Spanier den 15. Junii einen Mann und seine Frau, welche grob schwanger gewesen ist, wegen des Bekäntniß des Evangelii aufgehengt. Nachdem aber das Weib schon 4. Stunden todt gehangen, sind 2. lebendige Söhne von ihr auf die Welt gebohren worden.

Alterum casum commemorat M. *Jo. Matthias GROSS*, im andern Theile des Historischen *Lexici* Evangelischer Jubel-Priester und *Theologorum*, *pag.* 79. sequentibus verbis: Von dieses Joh. Hartranffts (eines Pastoris zu Greiffenberg in Schlesien,) Tochter führet Herr *EBERT in Leorino erudito p.* 18. aus *Heinr. GROSSENS Sideribus Silesiæ & Lusatiæ manuscriptis*, einen denkwürdigen casum an, daß sie, Nahmens Anna, mit Herrn Tobias Herfarten, einem Handelsmanne zu Greiffenberg verheyrathet gewesen, und im 4ten Jahre ihres Ehestandes sich mit Leibes-Frucht gesegnet befunden; da sie nun bey herannahender Geburths-Zeit, mit den Wehen angegriffen worden, kamen dieselbe so geschwinde und hefftig, daß sie darob in ein Fraisch (epilepsiam) gerathen, welches biß 9. Uhr Abends continuirte, darüber sie ihren Geist mit verschlossen gebliebener Geburth und Leibes-Frucht aufgegeben. Worauf der verblichene Leichnam in einen Sarg gebracht, und in einem Gewölbe biß zur Begräbniß bewahret wurde, welches am 4ten Tag, nemlich Sonntag Reminiscere, angestellet gewesen; als man aber früh um 8. Uhr, da man zur Amts-Predigt geläutet, den Sarg eröffnet, hat man zwey wohlgestallte todte Leibes-Früchte, ein Söhnlein und ein Töchterlein

gefun-

gefunden, die von dem eingesargten todten Leichnam, und zwar biß nach Verfertigung des Sargs wenigstens erst nach 24. Stunden, oder noch länger nach dem Tode der Mutter, waren zur Welt gebohren worden, welche die Hebamme von ihr genommen, gesäubert und der Mutter jedes in einen Arm geleget. Dergleichen 2. solche partus post mortem sind auch vor wenig Jahren in dieser Gegend zu Neuhoff und Neuherberge geschehen, darüber sufficientes rationes zu vernehmen wohl zu wünschen wäre, wie ein solch schon so lange todter Leib noch zugebähren, und todte Geburthen von sich zu treiben, Krafft haben könne?

Quoniam in utroque casu adducto pariter desunt circumstantiæ antecedentes, & ex adlatis saltem causæ probabilis & conjecturales erui possunt: nos igitur, sola duntaxat observatione nostra fusius jam enarrata contenti, ex ipsis circumstantiis mox enucleandis veram demum causam perspicuam reddere conabimur.

Insignem sane præstant utilitatem veræ observationes omnibus scientiis, potissimum autem Medicinæ. Quum enim Medicina duobus nitatur fundamentis, videlicet *ratione* & *experientia*, hæc autem ex variis & repetitis observationibus, cum omnibus circumstantiis concurrentibus notatis acquiratur, quilibet facile hujus adserti veritatem agnoscit. Multum tamen omnino interest, ut in observationibus comparandis singulæ circumstantiæ & causæ concurrentes probe notentur; quodsi enim quædam harum vel negliguntur, vel falsæ veris substituuntur, talis certe experientia nullius erit valoris, & ad novas veritates eruendas, inutilis, immo plane noxia, quia falsa hypothesis nullas veritates, sed lubricas saltem conjecturas, meras opiniones & figmenta producere valet. Ut itaque ex circumstantiis in hac observatione occurrentibus vera ratio mirandi partus pateat, ideo non acquievimus in ea relatione sola, quam maritus defunctæ statim ab initio protulit, cum inspectionem uxo-

ris atque filiolæ a nobis expeteret; ſed poſtea in ædibus ejus omnes circumſtantias hiſtoriæ, modo memoratas uberius percepimus ex relatione matris puerperæ, ipſius obſtetricis, aliarumque mulierem, quæ in hoc partu & poſt eum fuerunt præſentes. Et quoniam omnes teſtes in dictis circumſtantiis uno ore obſervabantur conſentientes, jam eas paulo uberius conſiderabimus.

Partum noſtrum fuiſſe inter difficiles numerandum facile concedimus, licet obſtetrix veram difficultatis cauſam aut propriam uteri conſtitutionem, verumque ſitum hujus fœtus in utero nobis rite deſcribere neſciverit: alias enim puerpera hæc, non primipara, naturali partu fuiſſet reſtituta. Attamen infantis ſitum perverſum exſtitiſſe vix adparet, quoniam poſtmodum fœtus capite antrorſum protenſo, eoque prono in ſitu plane naturali excluſus reperiebatur. Frequenter autem obſervamus, quod capita fœtuum oſſibus pubis puerperarum innixa imperitis obſtetricibus facile imponant, & plane perverſum infantis ſitum mentiantur, quæ tamen capita certa ἐγχειρέσει haud difficulter reponuntur in ſitum plane naturalem. Similis fortaſſis in caſu noſtro contigit alliſio capitis, quæ tandem poſt moram diuturniorem a doloribus continuo inſiſtentibus, fœtumque undiquaque prementibus iterum mutata ſitum infantis reddidit naturalem: quod tamen certo adfirmare non licet.

Infantes in utero perverſe poſiti inverſionem omnino requirunt: quam in noſtro caſu obſtetrix pariter, ſed præter neceſſitatem, tentare ſtuduit. Verum modus ejus procedendi fuit contra omnem rationem ſuſceptus, adeoque fruſtra tentatus. Etenim plane inverſo ordine negotium hoc ſuſcipere voluit, dum puerperam pronam, i. e. in ventrem reclinavit, cum tamen eam ſupinam, ſcilicet dorſo imponere debuiſſet parum declivem, ut taceamus reliquas inconvenientias ſuſceptas: multum autem abeſt, ut ſub tali ſitu

prono

prono caput infantis vel ossi pubis vel iliis insistens removeatur, ut potius validus adhuc his partibus infigatur, omnemque opem ferendam penitus eludat, atque gravissimos dolores inducat. Non autem solum obstetricis ignorantia in arte sua ex his satis elucescit, quia præter necessitatem inversionem fœtus, & quidem præpostera methodo tentavit: Sed nefanda ejus audacia est quoque notanda, dum qualemcunque inversionem annisa rigida & incauta manu cranium infantis arreptum penitus comminuit, adeoque fœtum ipsum peremit, præterea corpusculum tenellum variis in locis vulneravit, ipsique matri gravissimos dolores procreavit.

Frigidum parturientis horrorem per totum corpus diffusum excitaverat potissimum fœtus ab improvida obstetrice peremtus: talis enim horror gravidarum semper est signum diagnosticum fœtus in utero jam mortui: postquam enim obstetrix negotium suum adeo audacter subiit, & caput infantis tam potenter conquassavit, ut cranium ejus in frustula minutissima diffringeretur, & cerebrum deinde ex naribus atque palato diffluerét, sane infans ab hac rudi pressura & violenta contrectatione necessario mori debuit.

Fœtu autem mortuo & in utero remanente mater quoque ab humoribus embryonis putridis, in massam sanguineam regressis omnino inflammationis labem contrahere debuit; & quoniam illa adhuc in partu constituta de gravissimis doloribus in latere dextro abdominis conquesta fuit, eosque ab incauta obstetricis manu productos constanter adseruit, facile colligere licet, quod ab obstetrice imperita sub rudi fœtus attractione matris quoque uterus insigniter compressus & quocunque modo læsus sit, unde nova atque ingens inflammationis causa oborta, quam postea sphacelus, ipsaque mors, fidelissimi ejus comites, subito exceperunt. Universum autem corpus insigniter tumidum & abdomen mirifice distensum causam habent in humoribus post mor-

tem putridis, in motu inteſtino conſtitutis & ſphaceloſa inflammatione, in continuam fermentationem concitatis, quemadmodum inferius luculentius patebit.

Tandem etiam circumſtantias ipſius partus conſiderabimus: poſtquam exſtincto jam fœtu puerpera crudeliſſimos dolores ab obſtetrice ſuſcitatos amplius perferre noluit, & in lectum ordinario modo collecta fuit, ab eo tempore omnes ceſſarunt jam dolores partus; contigit hoc die 23. Maii circa veſperam. Altera deinde die, hora 7. veſpertina, moriebatur parturiens, gravida adhuc relicta. Poſtea corpus ejus lavatum ſarcophago fuit immiſſum; hoc tamen membrorum motu & corporis agitatione nulla facta fuit fœtus excluſio, quam nonnullæ mulieres agnatæ & vicinæ tum temporis præſentes facile obſervaſſent. Tandem 25. Maii hora 8. veſpertina adparuit fœtus enatus, qui per *viginti quinque horas* poſt matris ſuæ mortem in utero adhuc detentus fuit. Quare neceſſe eſt, ut veras partus hujus inſoliti cauſas naturales etiam perquiramus.

Quemadmodum omnis effectus naturalis varias agnoſcit cauſas efficientes, invicem concurrentes, ſic variæ quoque ſunt *cauſæ naturales*, quæ partum facilitant & abſolvunt. *In omni partu naturali* cauſa principalis, eaque proxima eſt *uterus*, qui ob ſtructuram, qua gaudet, muſculoſam propria ac reiterata conſtrictione, ſæpe validiſſima, fœtum in ſe contentum expellere conatur. Alia cauſa particularis eſt ipſe *fœtus*, ab utero coarctato per vices fortiter compulſus, cujus caput orificio uteri inſiſtens, & verſus illud a partibus vicinis poſt tergum prementibus identidem adactum vias anguſtas, potiſſimum ſi vivit, aperire, ſibique exitum quærere nititur. Cauſam minus-principalem dant *muſculi abdominis* cum *diaphragmate*, quorum potentia auxiliatrice cavitas abdominis coarctatur, uterusque ſimul cum contento fœtu comprimitur, quorum vires hac ratione fortiores redduntur.

Sic

Sic etiam *Pulmones* causam constituunt particularem, qui sub doloribus partus fortiter inflati valido conatu diaphragma & omnia viscera in abdomine contenta potentissime deorsum premunt, talique renisu uteri potentiam ad modum ad augent. Alium renisum præbent quoque utero ejus *ligagamenta lata* & *rotunda*, quæ valida sua tensione uterum ad novos conatus per vices suscitandos sollicitant. Idem facere videntur *vasa arteriosa* in utero & partibus vicinis existentia, quæ pulsu ac vibratione oscillatoria novum subinde robur utero conciliant. *In partu* tamen *difficili* nonnunquam accedunt aliæ adhuc causæ externæ, vel singularis *obstetricis dexteritas*, vel *instrumenta idonea*.

Singulæ hæ causæ agunt in partu communibus ac repetitis viribus, donec infans excludendus removeatur. Contingunt tamen ordinario modo plerumque *tres gradus laborum*, seu conatuum, ab uteri fundo versus orificium ejus prementium. Primi labores sunt leviores naturæ conatus, adeoque saltem *motus* partum *præparantes*, quibus sensim fœtus ad legitimum situm componitur: postea quiescit quasi natura per aliquam moram, donec alii conatus fortiores subsequantur, qui *motus reserantes* paulatim uteri orificium atque reliquas vias distendunt: hos iterum nova excipit requies ad refocillandam puerperam destinata, & tandem accedunt conatus validissimi, *motus expellentes*, quorum beneficio fœtus ex vinculis suis disruptis jam in apricum progreditur.

Aliæ autem causæ & alius plane ordo jam requirebantur ad partum nostrum adeo insolitum excludendum, quia in corporibus mortuis vires naturales deficiunt, & elastica agendi potentia fibrarum musculosarum penitus cessat. Ab initio quidem omnes illæ causæ adductæ fuerunt ad hoc negotium impensæ, quarum ope motus reserantes vias jam adeo patulas reddiderunt, ut obstetrix manum utero immitteret,

teret, extractionemque fœtus moliretur, & demum infans præternaturali modo progrederetur. Attamen debitos motus expellentes absolvere non potuerunt causæ illæ naturales: procul dubio, quia puerpera ab obstetrice injusto modo defatigata, immo violenter læsa, & omnibus viribus ad hunc actum necessariis orbata fuit. Non quidem negamus, ipsum fœtum ab initio aliquam remoram injecisse, forsan ob causam adductam, quod tamen obstaculum obstetricis manus facile removere potuisset. Sic magis accusanda est obstetricis ignorantia, quæ remoram hanc prævertere nescivit, quam tamen postea temporis mora & novi naturæ conatus supervenientes adeo feliciter sustulerunt, ut non solum caput, sed totus fœtus, quasi sponte, prodiret.

Postquam autem fœtus & post eum etiam ipsa mater extincti fuerunt, eorumque partium vires naturales cum agendi potentia cessarunt, jam ultimi motus, qui infantem naturaliter expellunt, non amplius ab iis expectari potuerunt: quare etiam puerpera loculo fuit immissa, mox sepelienda. Cum vero præter spem & opinionem factum sit, ut viginti quinque post matris obitum horis fœtus ex utero egressus conspiceretur, sane nova adfuit potentia in corpore mortuo ex causis præternaturalibus generata, quæ hunc effectum præstitit mirandum, & quæ cum suis causis concurrentibus jam erit perpendenda.

Quoniam universum corpus puerperæ post mortem undiquaque in externa superficie colore plumbeo splendente, atque vesiculis ichore turgidis defœdatum fuit, facile exinde percipimus, fœminam hanc ex sphacelo fuisse mortuam, quia talis corporis constitutio est infallibile sphaceli signum, quod etiam odor graveolens, sectionem impediens, satis superque testatur. Et quoniam simul putridus humor ex genitalibus externis valde læsis effluxit, puerpera quoque de gravissimis doloribus internis in abdominis latere dextro,

ab

ab obstetricis incauta manu productis conquesta fuit, sic palam liquet, sphacelum prius in internis partibus corporis fuisse generatum, sensimque reliquum externum corporis habitum occupasse. Oritur autem sphacelus ab inflammatione: omnis enim inflammatio, quæ non resolvitur, aut indurescit in tumorem scirrhosum, aut convertitur in purulentam materiam sub nomine abscessus, aut in gangrænam, & tandem in sphacelum abit. Ergo inflammatio, gangræna & sphacelus solo gradu inter se differunt.

Humor ille putridus, nauseosus, ex genitalibus fat copiosus profluens; itemque totum corpus, secunda jam post mortem die insigniter tumidum, evidenter commonstrant, sphacelum in visceribus internis jam produxisse fermentationem humorum, qua aër in istis humoribus contentus vehementer incaluit, & hac ratione vi sua elastica partes corporis externas flaccidas validissime distendit, illamque corporis turgescentiam produxit. *Fermentatio* autem est motus intestinus humorum stagnantium, quo aër in iis contentus incalescit, & vi sua elastica ipsos humores viscidos resolvit, valideque distendit, ut jam sensim majus spatium occupare nitantur. Sic frequentissime observamus, cerevisiam lagenas, & vinum dolia diffringere, quando in fermentatione sunt constituta.

Facilis nunc erit ratio, qua veræ causæ partus nostri insoliti eruantur. Puerpera, dum adhuc viveret, jam subiit inflammationem, partim a doloribus partus gravioribus, partim ab aliis, quas cum læsionibus obstetrix imperita ei induxerat, generatam: hanc inflammationem sensim magis auctam excepit gangræna & subsequens sphacelus, quo etiam extincta fuit. Sphacelus deinde produxit fermentationem humoribus putridis, stagnantibus; qua fermentatione vis elastica aëris in humoribus contenti adeo fuit attenuata atque distensa, ut universum corpus admodum elevaret ac tu-

midum

midum redderet: & quoniam hæc vis aëris elastica pariter abdomen, adhuc post exclusionem fœtus, adeo vehementer distensum reddidit, ac si nullus nec dum contigisset partus, facile quoque ista potentia validissima tam fortiter uterum comprimere potuit, ut contentus in eo fœtus per vias successive relaxatas & jam patentes tandem post matris obitum expelleretur: quia humores in fermentatione constituti ea gaudent potentia, ut etiam lagenas & dolia diffringere valeant.

Sic valida *potentia aëris elastici* in humoribus fermentantibus sensim aucta, fuit causa principalis & proxima hujus partus insoliti: *inflammatio* vero *gangrana* & *sphacelus* sunt causæ antecedentes: *obstetricis* autem *præpostera tractatio*, quæ dolores, læsiones & subsequentem inflammationem induxit, erit causa magis remota: aliæ denique causæ minus principales, attamen pariter efficientes, sunt *musculi abdominis* atque *diaphragma*, quæ, corporis partes abdomen undiquaque cingentes, valido suo renisu vi aëris elasticæ obicem posuerunt, ne illa ventrem distensum penitus disrumperet, sed fœtum per viam ordinariam, jam apertam, facilius propelleret. Hæc dum perpendimus, venerabimur benignissimum Creatorem, qui partum nobis feliciorem constituit.

(*Gedano Erfordiam missa d. 3. August. 1743.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXIX.

Dn. D. JOANN. MARTINI WOLFFII.

De
Abſceſſu in inguine rupto, indeque prodeuntibus lumbricis, flatibus & cibis ſemicrudis.

SUtoris cujusdam atque civis Suinfurtenſis uxor XLII. annorum, quatuor liberorum mater, nonnunquam paſſione hyſterica ſe adfligi putabat, cujus paſſionis paroxysmus cum anno 1741. menſe Aprili recurrere videretur, ego hinc die 14. dicti menſis in conſilium vocatus fui. Adivi ægrotam, eamque maxime debilem, aſt non paſſione hyſterica, ſed potius iliaca laborantem deprehendi. Dolores enim ſæviſſimi tyrannidem in abdomen exercebant, per os flatus fœtidi nauſeoſique eructabantur, quin immo vomitus non ſolum contentorum ventriculi, ſed & fecum alvinarum inſequebantur. In horum ſymptomatum cauſas inquirens, an hernia adſit ? interrogavi, quod negabatur, & tantum obſtructio alui pertinaciſſima in quartum usque diem durans, incuſabatur. Clyſteres itaque emollientes frequenter adplicari & abdomini externe pinguedinem anſerinam inungi juſſi, hisque aliquoties repetitis, aluus quidem ſoluta fuit, ſed vomitus cum doloribus abdominis continuaverunt; hinc ſcrobiculo cordis Empl. de cruſta panis cum anatica quantitate Empl. de baccis Lauri, imponendum, & interne potionem ex aqua Cinnamomi cydoniata, Menthæ leniter ſpirituoſa, Nitr. depur. & Syrup. cort. aurant. cochleatim ſingulis horis porrigendam, ſuaſi, ſub quorum remediorum uſu duo lumbrici per vomitum ejiciebantur, vomitu ipſo

 non

non multo post cessante. Octavo ab invasione morbi die iterum conatus ad vomitum & dolores abdominis oriebantur, quo tempore ægrota ea, quæ hactenus celaverat, mihi aperuit, tumorem nempe ovi gallinacei magnitudinem æquantem, in inguine dextro jam dudum exortum, nunc vero ex cujusdam obstetricis consilio cataplasmatibus emollientibus & maturantibus adplicatis ruptum esse. Hunc ergo abscessum propriis oculis inspiciens, gangrænosum cadaverosumque odorem exspirantem deprehendi, simulque observavi ex illo tres lumbricos viventes, longitudine ad dimidium ulnæ adcedentes, provenire, quos flatus, materia fœtidissima, cibi semicrudi, videlicet membranæ prunorum Damascenorum, unacum pisis antea adsumtis, sequebantur, quin immo clysteres per anum injecti aliquam partem exinde effluebant. Statim itaque mixturam balsamicam ex spiritu Mastichis, Therebinth. spir. vini camphorat. Essent. Myrrh. & balsami Peruviani paratam pro injectione præscripsi, interne vero amaricantia aliaque anthelmintica adhibui, simulque auctor fui, ut ægrota per aliquod tempus abstineret a cibis solidis & tantum ova sorbilia cum jusculis adsumeret, tranquillumque regimen ratione animi æque ac corporis servaret, nec non interdum clysmata ex lacte & melle tam ad alvum obstructam reserandam, quam ad vermes eliciendos, injicerentur. His ita observatis gangræna tandem mitigata & vulnus angustius redditum fuit. Speravi itaque fore, ut hoc ipsum intra breve temporis spatium plenarie consolidetur; licet enim interdum adhuc ichor quidam flavus & fœtidus exigua in quantitate effluxerit, feces tamen & omnia solida remanebant, & per ordinariam viam rite excernebantur. Dolendum autem omnino fuit, quod ægrota præscriptum illud regimen tam facile neglexerit, siquidem, cum intestinum perforatum vix coalescere inciperet, illa iterum solida & duriora alimenta ingessit, corpusque crebrioribus mo-

tibus

tibus exagitavit, unde vulnus iterum dilatabatur & exinde denuo ſolida prodibant. Nulla arte poſtea ulcus ſanari potuit, & ad huncusque diem apertum manet, ita quidem, ut quotidie aliquid fecum alvinarum per illud, reliquum vero per aluum exeat, ægrota tamen negotia ſua domeſtica ſine notabili incommodo peragente.

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. JOANN. MARTINI WOLFFII.

De Cœcitate ex menſium obſtructione & perverſa hujus curatione.

Virgo quædam XXII. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, gracilioris corporis conſtitutionis, circa decimum quartum ætatis ſuæ annum Ophthalmia humida in utroque oculo corripiebatur. Poſtea quolibet fere menſe per aliquot dies in capite aliquo adfectu, & quidem aut otalgia, aut odontalgia, aut cephalalgia, aut eryſipelate faciei, aut ophthalmia, laborabat, quæ vero pathemata, cum decimo nono ætatis anno fluxus menſtruus prima vice erumperet & typum legitimo modo per duos annos ſervaret, ceſſarunt quidem, ſed etiam recurrerunt, cum vigeſimo primo anno, menſe Aprili, menſtrui fluxus obſtructionem eadem paterentur. Quoties enim purgatio menſtrua recurrere debuit, toties unus vel alter ex antea adductis adfectibus rediit. Tandem menſe Octobri ophthalmia gravis oculum dextrum occupavit & brevi tempore ita exacerbata fuit, ut humores oculi turbarentur, cornea tunica corrumperetur & viſus plane periret. Temerarius quidam in conſilium vocatus Chirurgus cataplasma calidum, ex variis herbis cum vino coctis paratum, oculo impoſuit, adeo ſiniſtro vero cum effectu, ut

ſtatim dolor & inflammatio in morboſo oculo incrementum majus ſumeret, & alter quoque oculus ſiniſter omnibus numeris ſanus, rubore & dolore pariter adficeretur. Nihilo minus & huic oculo admovit Chirurgus idem illud cataplaſma & interne exhibuit Tincturam quandam ſudoriferam, itemque pilulas Francofurtenſes, quibus omnia in pejorem ſtatum mutavit. Ad alia hinc confugiebat remedia, inungebat oculo unguentum quoddam, nuchæ multa veſicatoria adplicabat, bis venam pedis ſecabat, fonticulum in brachio dextro excitabat, dentes aliquot evellebat, oculo varia cataplasmata & epithemata admovebat, interne vero decocta aliaque ſanguinem exagitantia medicamenta adhibebat, quæ omnia tamen plus damni quam levaminis adferebant. Dexter enim oculus manſit deſtructus & ſiniſter quotidie ad deſtructionem magis magisque inclinare deprehendebatur. Chirurgus hæc conſiderans, ad ſacram ſuam anchoram, eſſentiam nempe quandam emmenagogam, confugiebat, cujus uſu intra 48. horarum ſpatium fluxum menſtruum (quem tandem ipſe pro cauſa hujus mali agnovit,) in ordinem ſe redacturum pollicitus fuit. Porrexit igitur hoc ſuum ſummopere deprædicatum ſpecificum, quo guttatim adſumto ægrota tantis doloribus capitis & inprimis oculorum adfligebatur, ut iisdem ferendis vix par eſſet. Attamen Chirurgus, optima quæque ſpondens, ægrotæ perſuaſit, ut ſecunda, tertia & quarta vice eſſentiæ iſtius uſum repeteret, utut ſemper doloribus acerbiſſimis, ebullitione ſanguinis aliisque malis toties excruciaretur, quoties illam adſumſerit. Emanſit vero ſalutaris ille menſtruus fluxus, & loco ſperatæ hujus excretionis in oculo ſiniſtro, antea bene conſtituto, viſus quotidie imminuebatur, & tandem Eſſentia ultima vice adhibita, quod decima ſeptimana ab incepta Chirurgi curatione eveniebat, prorſus ille peribat. In his ergo anguſtiis conſtituta ægrota meum tandem implorabat auxilium, mihi-

que

que ostendebat oculos valde inflammatos, tumidos, largo simul stillicidio humoris acris, turbatione humorum, & ruptura corneæ adflictos. In sinistri oculi cornea, versus angulum majorem, tumor adparuit instar pisi, ex quibus manifeste adparebat, cœcitatem oculi dextri ex obstructione mensium, oculi vero sinistri partim ex illa, partim ex Chirurgi perversa curatione, inductam fuisse. Cum vero structura oculorum nimium quantum jam corrupta mihi videretur, ut verum fatear, de visus recuperatione plane dubitavi, interim tamen fluxum catameniorum, quam primum illud fieri posset, in ordinem redigendum esse duxi, quem in finem decoctum emmenagogum, pilulas ad instar Beccherianarum paratas, & pulverem ex Sacch. Canar. Cort. Cinamom. & æthiope minerali præscripsi, simulque pediluviorum usum frequentissimum commendavi, quibus remediis adhibitis duodecimo die catamenia prodibant, & per trium dierum spatium continuabant, in simulque, quod notatu omnino dignum est, omnes dolores capitis, aurium oculorumque, sub usu horum remediorum, evanescebant. Licet autem virgo hæc postea singulis vicibus, sub continuato usu horum remediorum, debito tempore fluxum menstruum redire observaret, toties tamen oculi inflammabantur paululum, quoties adpropinquabat ordinarius hujus excretionis terminus, sub cujus dein successu inflammatio unacum dolore & tumore facile iterum evanescebat. Quoniam vero humores turbidi manebant, & ægrota vix lucem a tenebris distinguere valebat, tandem ad mercurialem salivationem confugiendum esse statui, revocans in memoriam observationes Ill. b. m. *Frider. HOFFMANNI* in variis ejusdem scriptis adnotatas. Elegi autem tutissimam æque ac jucundissimam methodum salivandi Excell. Dn. D. *TREW* in *Commerc. litter. Norimb. Ann. 1731. p. 410.* descriptam, qua quidem humo-

res oculorum magis pellucidi reddebantur, visus vero restitui nequaquam potuit, ut hinc virgo ista cœca miserrimam vitam adhuc ducat.

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. D. JOANN. MARTINI WOLFFII de Hæmorrhagia gingivarum cum maculis sanguinis subcutaneis.

PUer decem annorum, prægresso frigore & subsequente æstu in hæmorrhagiam gingiuarum incidit. Ex alveorum singulis interstitiis utriusque maxillæ sanguis floridus magna in copia proveniebat, id quod cibi, potus medicamentorumque adsumtionem plane impedivit, nec sanguinis ille fluxus ullis externis adstringentibus, per XII. horas continuo adhibitis, sisti potuit. Proveniebant simul in labio utroque vesicæ sanguine repletæ, sub cute vero totius corporis hinc & inde maculæ rubræ instar petechiarum, ex quibus nimiam quandam sanguinis resolutionem & rarefactionem suspicari licuit. De effectu igitur aquæ frigidæ in hæmorrhagiis jam olim certior redditus, auctor hinc fui, ut aqua frigidissima cum Clysso Antimon. Sulphurato remixta sæpissime in ore contineretur, ac postmodum exspueretur, interdum vero talis aquæ haustus sine mora deglutiretur, quod, cum vix sexies factum esset, paulatim fluxus sanguinis imminutus tandem plane cessabat. Vix autem sopita erat hæc hæmorrhagia, cum maculæ istæ rubræ sub cute magna copia in omnibus fere corporis partibus prodirent, redeunte simul appetitu & somno, & subsequente tandem plenaria orthostadia. Continuatus itaque ex meo consilio fuit usus aquæ frigidæ cum prædicto Clysso Antimon.

aci-

acidulatæ, tam prospero & salutari cum effectu, ut die morbi quarto vesicæ sanguineæ in labiis, successive exsiccatæ abinde secederent, maculæ autem post sex dies omnes prorsus evanescerent.

(*Suevoforto Erfordiam missa*
d. 19, August. 1743.)

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. D. JOANN. CAROLI ACOLUTHI.

Febris biliosa ardens lethalis.

Virgo quædam jam adulta honesti ac opulenti civis hujus loci filia, anno hujus seculi XXXIX. VII. Idus Maji hora matutina decima prima vice, nec non hora tertia pomerdiana, altera vice, a redituum regiorum collectore quodam, in loco publico, in conspectu multorum aliorum hominum, verbis durioribus & contumeliosis, præter meritum, ut adserebat, excepta, tanta ideo excanduit ira, ut locum hunc publicum deserenti pudore toti suffusæ, atque altum corde dolorem prementi, parentemque in foro ex taberna merces suas vendentem, adcedenti, quæ erat alias rosei coloris, nunc demortuæ instar pallidæ, vox faucibus hæreret. Signa hæc maximæ excandescentiæ animi extra se positi, mox corpori damnum inferebant, periculumque minitabantur. Conqueritur enim virgo hæc, eodem adhuc die circa vesperam, de doloribus capitis & frigore, quorum illi de die in diem augebantur, somno interea singulis noctibus magis ac magis evanescente. His incommodis tamen non obstantibus per integrum fere octiduum rebus œconomicis peragendis adhuc præest; die vero Veneris de amisso penitus somno, de augmento cephalalgiæ & lassitudine gravativa totius corporis, ac si membra plumbo repleta

pleta essent, continuo conqueritur, cumque per hoc octiduum menstrua ipsi bene repondissent, his finitis sanitatis quidem sperat reditum, sed frustra, quare proprio motu, nullo Medici utens consilio, feria prima pentecostali, incisa dextri vena brachii sanguinem mittit, quo facto illico, vena nondum deligata, mucum, a bile intermixta viridescentem, vomitu ejicit. Mox omnia ruunt in deterius. Symptomata febris biliosæ ardentis hucusque latentis prorumpunt, ægramque lecto tenent adfixam, quem ipsa cum prognostico funesto eodem die concendit, uti ex relatione adstantium intellexi. Advocantur successive duo Medici, qui ægræ ad VIII. usque Calendarum Junii diem remedia, nescio quæ, exhibuerunt, nullo vero inde secuto morbi levamine. Tandem ego vicinus die nominato in consilium vocor, diebus jam ab initio morbi sedecim elapsis. Invenio ægram calore interno ardente fere exustam. Summa adest prostratio virium, præsensque delirium confusi & sine connexione prolati sermones indicant. Pulsus est debilis, sed celerrimus, urina semper flammea & coloris aurantii absque sedimento, sitis ab initio vehementissima, nunc vero penitus sublata, fastidium ciborum & nausea, unacum continuo pervigilio. Morbo atrocissimo, totque symptomatibus gravissimis stipato oppono quidem, sed fere sine omni spe consequendæ salutis, nisi quam juventus præ se ferebat, remedia selectissima, quæ ars medica & prudens circumspectio suadent, sed proh dolor! incassum. Sequentibus enim diebus ægra oculis multoties ad unum ferme locum longissime defixis, vel plane nihil, vel inepte ad interrogata respondet, & ultimis diebus per intervalla mentis compos, de summo interno ardore in regione ventriculi conqueritur, id quod, teste *HIPPOCRATE*, in febribus continuis, si incendio alvus conflagrat cum stomachi morsu, malum, *Aphor. 65. Sect. IV.* notat enim inflammationem ventriculi & copiam

piam humorum acrium biliosorum. Mox alvum aliquo-ties cum fœtore intolerabili deponit, quod juxta eundem *HIPPOCRATEM Aphor. 47. Sect. IV.* calamitosum. Sequuntur vomitus spontanei materiæ biliosæ concretæ, tristissimi inflammatarum primarum viarum indices, quos die III. Cal. Junii (qui post venæsectionem decimus quartus, & post bilem ab ira commotam vigesimus primus erat,) critico, refrigeratio extremorum cum colore cœruleo excipit, citissima insimul & difficillima respiratione proxime instantem terminum vitæ fatalem luculenter satis indicante. Vid. *HIPPOCRATES, Sect. IV. Aph. 43. & Sect. VII. Aphor. 1.* Tandem eadem vespera mors placidissima omnibus his calamitatibus finem imponit.

Movebatur autem post obitum hujus virginis quæstio sequens haud levis momenti: An vena intempestive secta pro causa morbi hujus efficiente primaria & principali habenda sit, an vero potius, qua defuncta excanduit, ira, & quæ hanc commovit durior illa in loco publico, audientibus aliis hominibus, perpessa contumelia?

Ubi quidem negari non potest, Medicum Argentoratensium celebrem, *Georgium Philippum NENTERUM*, ad quæstionem: An venæsectio hic (scil. in febre biliosa ardente) aliquem habeat usum? negando respondisse, atque illam jure dissuasisse in verbis: *Cum ad totum cursum febris ea directe prorsus nil conferat, immo potius damna certissima circa dies criticos inferat, satius est, ab ea abstinere.* Vid. Ejusdem *Fundamenta Med. theoret. pract. Tab. 134. pag. 509.* Facile igitur quilibet intelliget, intempestivam venæsectionem ægræ nostræ plus damni, quam emolumenti attulisse, nequaquam vero pro causa morbum efficiente primaria & princi-

pali eam habendam esse, cum ante venam sectam ægra jam per octiduum ægrotaverit, atque, vana spe sanitatis recuperandæ inducta, venam incidi curaverit. Quid? quod historiam morbi hujus exactius ponderanti, statim manifesto adparebit, iram hic primario in culpa fuisse, eamque unacum bile nimium commota pro causa morbi efficiente habendam esse. Quotidiana enim docet experientia, cui nec obloquitur sana ratio,

1.) quod is, qui durioribus verbis vel factis, præsentibus aliis hominibus, contumeliose ab aliis excipitur, pro varia qualitate perceptionis, qua adficitur, plus vel minus ira soleat excandescere;

2.) quod, quo vehementior ira fuerit, & quo magis aliquis illatam injuriam & hinc obortam iracundiam supprimere coactus fuerit, inprimis paulo ante vel post cibos sumtos, eo majus inde damnum emergat, cum bilis effusa illico cum alimentis permisceatur & fermentet, ex qua commixtione tanta progignitur acrimonia, quæ arrosionem causticam ventriculi, duodeni & pylori inducit;

3.) quod, quo citius mala sequuntur symptomata, eo certius hæc prægressam vehementem excandescentiam, & quæ hanc produxerat, causam moralem pro causa efficiente agnoscant;

4.) quod, quo minus Natura materiam peccantem vomitu ejiciat, & quo tardius illud fiat, quin immo, quo Natura ad evacuandum per alvum materiam peccantem sit proclivior, eo periculosius hoc fit, & quod motus febriles multo vehementiores tum observentur.

Cum

Cum itaque in præsenti casu.

1.) Ægra nostra, ut supra diximus duplicem graviter irascendi causam nacta, atque inprimis a meridie de contumelia sibi illata maxime conquesta fuerit, illa quoque

2.) ut circumstantiæ superius indicatæ docent, ira gravissima, & quidem post elapsas a sumto prandio aliquot tantum horas, excanduerit, quam nocentissima bilis cum alimentis commixtio secuta fuit; cumque

3.) statim dolores capitis, frigus, defectum somni & lassitudinem totius corporis senserit, ac tandem

4.) neque vomitus, neque diarrhœa primis octo diebus subsequuta fuerit, sicque materia biliosa acris non sat cito & ab initio morbi sursum ejecta fuerit, sed potius canalem intestinorum impleverit, atque exitum per alvum quæsiverit, eaque ratione febris biliosa periculosissima orta fuerit: Quilibet hinc, vel me tacente, videt, iram & bilem, & quæ hanc commovit, duriorem illam in loco publico perpessam contumeliam, pro causa morbi hujus efficiente & principali merito habendam esse.

(*Zittavia Erfordiam missa d. 21. August. 1743.*)

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. CHRISTIANI GOTTLIEB FREGE.

de

Faciliori atque tutiori præparatione Mercurii vitæ.

Vulgaris præparatio Mercurii vitæ satis nota est, quemadmodum etiam varii eundem corrigendi modi hinc inde demonstrantur a *SCHROEDERO*, & quidem per falia, vel per detonationem cum Nitro, qui tamen admodum diffusi & pretiosi sunt. Proinde etiam abunde jam butyrum antimonii constare ex salis communis acido & parte regulina, seu arsenicali Antimonii, quæ omnem vim vomitoriam & drasticam in se continet. Hanc ergo quomodo optime & securissime corrigere atque immutare queamus, physicis quibusdam rationibus nunc demonstraturus sum. Primam occasionem mihi suppeditabat præparatio liquoris salini medii, ex spirituacido concentrato, præsertim vitrioli & oleo tartari, vel alio alcalico, *per saturationem* parandi, qualis liquor modo *antiquaritum Riverii* vocatur, & ab Illustri b. m. *HOFFMANNO* in *Medic. systemat. Tom. IV. de febribus cap. I. pag. 28.* eximie commendatur, modo alio nomine ab Auctoribus insignitur. Magni omnino usus est concentratus hic liquor salinus in variis morbis, ubi salia media, seu resolventia efficaciora requiruntur, veluti in febribus intermittentibus & compluribus adfectibus chronicis:

Est

Eſt enim medicamentum ſaponaceum, *præſertim ſi durante efferveſcentia dictorum ſpirituum guttulæ aliquot olei cujusdam deſtillati admiſcentur*, quale & in uſus phyſicos maximopere quoque laudatur a *BECCHERO* in *Phyſica ſubterran. ſupplem. II. p. m. 88.* ubi ſpeciatim monſtrat, quomodo ex variis liquoribus & ſolutionibus, v. gr. ex acido vitriolico & urina, ex oleo Tartari & ſolutione aluminis, ex borrace & urina ejusmodi ſalia media parari queant.

Simile quid hinc etiam tentare mihi placuit cum butyro antimonii, cum quo alcali quidem primo ſatis vehementer efferveſcebat, quum vero dein ſedimentum atque flocculi adparerent, mox aliam hujus butyri partem, nempe regulinam, ſeparari judicabam, ſiquidem ſimiles quoque flocculi præcipitantur, ſi ſpiritus vini butyro huic additur. Abſolvebam tamen ſaturationem cum ſolutione cinerum clavellatorum cum aqua florum Sambuci facta; adjiciebam quoque in principio hujus experimenti portionem quandam Concharum uſtarum, quæ itidem in butyro antimonii cum efferveſcentia ſolvebantur; Spiritus autem vini cum butyro parum imbutus, ſi ſolutio alcalica aquoſa addebatur, primum fere ut *offa Helmontiana* concreſcebat, tandem vero ſolutio alcalica aquoſa ſuperabat, tam acidum butyri, quam offæ formam in ſpiritu, ita, ut ſpiritus aquoſus alcalicus ſupra nataret, & odorem ſpiraret gratum, colorem vero citrinum, & ſaporem alcalicum concentratum monſtraret, relicto in fundo ſedimento gravi, albo, ſaporeque alcalico imbuto,

 Liquo-

Liquorem istum priorem filtratum saturabam rursus oleo Vitrioli, & pro usibus medicis adservabam; præcipitatum autem antimoniale salsum, aqua edulcoratum dein siccabam.

Prædictus ille liquor dum oleo Vitrioli saturabatur, sedimentum quoddam cineritium salsum rursus præbebat, dein vero iterum filtratus & cum alio liquore salso, ex aqua forti & alcali quodam parato, commixtus, nescio quanam ex ratione salem adhuc album purumque medium deponebat.

Præcipitati prioris, sale adhuc imbuti, grana 5 - 10. alvum leviter movebant, edulcoratum vero similem purgantem virtutem cum aliqua nausea exserebat, immo paulo diutius adservatum, post tres horas semper vomitum aliquem leviorem facilemque provocabat; exhibebam autem pro dosi dimidiam drachmam.

Siccum itaque hoc præcipitatum & a sale liberatum adhuc est emeticum, quamvis lenius, simul tamen quoque catharticum, & quidem satis blandum, insuper etiam demonstrat, tali præcipitatione non plane corrigi vim regulinam, igne vero fortiori, seu detonatione cum salibus, vim laxantem omnem adimi, ut in antimonio diaphoretico, quod cæteroquin quoad externam conditionem huic remedio non plane dissimile est. Extat autem de ejusmodi correctione inpri-

inprimis eximium encomium in Commentariis *AGRICOLÆ* ad *POPPIUM Parte I. p. m. 208.* Monſtrat quidem in proxime præcedentibus ejusmodi mercurii purgantis præparationem per modum ſublimationis cum acido vitrioli & nitri, qui idcirco ordinario mercurio dulci fere ſimilis eſt; aſt loco jam citato præcipitationem butyri Antimonii cum oleo Tartari per deliquium, immo tantum triturationem vulgaris mercurii vitæ cum ſale communi adducit, multisque laudibus hanc correctionem extollit, denuoque eandem in *P. II.* de Antimonio *p. 70. ſqq.* repetit.

Eandem quoque ſententiam fovere poſtmodum deprehendi celeberr. Dn. D. *POTT*, qui in adnotationibus manuſcriptis ad *BOERHAAVII Chemiam*, & quidem ſpeciatim ad proceſſum de butyro Antimonii, expreſſe refert, quod hoc ipſum, ſi cum oleo Tartari præcipitetur, præbeat pulverem per inferiora commode purgantem, quemque *Glauberi panaceam ſolarem diaphoreticam* quidam adpellent, necnon quod idem illud butyrum, cum ſale ammoniaco per aliquot ſeptimanas digeſtum, ſiſtat oleum quoddam antifebrile arcanum & rubicundum. Confer. etiam Illuſtr. *HOFFMANNI* Tr. de *Cinnabari Antimonii*, ubi hanc correctionem cum oleo Tart. per deliquium, ita tamen, ut alcalicum ſal abundet, ſimiliter *p. 52.* commendat.

Facile ergo exinde nunc concludere licet, quomodo etiam correctio partis regulinæ arſenicalis ſuſcipienda ſit, utpote

pote cui ſpeciatim draſtica & emetica vis adſcribitur, quoniam inprimis ex ſale minerali acido-volatili, ſicut & ipſum arſenicum, conſtat. Per ſe enim jam liquet, quod acida corroſiva, corpori noſtro per ſe inimica, optime mitigentur alcalicis, quorum ope etiam volatilia figuntur, adeoque tali ratione ex venenis ſæpe efficaciſſima producuntur medicamenta. Optima autem mihi videtur illa correctio, quam *PARACELSVS* in *Chirurgia p. m. 389.* cum ſale urinæ ſuſcipere jubet, quemadmodum etiam non immerito huc referenda ſunt ea, quæ doctiſſ. *KRAMERVS* in *Commerc. litterar. Norimberg. ann. 1735. p. 237.* refert, quod nimirum ſymptomata graviſſima, ab adſumto Mercurio ſublimato excitata, decocto albo Sydenhami, aquis deſtillatis anodynis, cum oleo Tartari mixtis, aliisque hujus commatis, intra breve temporis ſpatium ſublata fuerint.

(Lipſia Erfordiam miſſa d. 7. Sept. 1743.)



APPEN-

APPENDIX
AD
VOLUMEN SEPTIMUM
ACTORUM
PHYSICO-MEDICORUM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.



Diſqui-

DISQUISITIO PHYSICO-MEDICA
DE
VINI TOKAIENSIS
CULTURA, INDOLE, PRÆSTANTIA ET QUALITATIBUS,

CONSCRIPTA

A


DN. JOANNE MATOLAI DE ZOLNA, Hungaro,

ET COMMUNICATA

A

DN. JOANNE JACOBO NEUHOLD,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORE, CIVITATIS SOPRONIENSIS PHYSICO ORDINARIO, ET ACADEM. NAT. CURIOSOR. ADJUNCTO.



VIRO
PRÆNOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,
DN. JOANNI JACOBO NEUHOLDO,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, CIVITATIS SOPRONIENSIS PHYSICO ORDINARIO, ET ACADEM. NAT. CURIOSOR. ADJUNCTO,
JOANNES MATOLAI DE ZOLNA,
S. P. D.

---

§. I.

Recte mones, clarissime mi NEUHOLDE, ut ea, quæ de *vino Tokaiensi*, in nupera totius illius orae lustratione observavi & consignavi, clarius nunc exponam. Magna utique hujus fama est; plures illorum sunt, qui id bibunt & laudant, quam qui indolem & culturam ejus norunt; neque deerant, qui litteris id monstrare conarentur, a nemine vero horum adeo exacte id factum est, ut scire possis, quæ vina eo nomine, quove ordine veniant,

quomodo colantur, qua ratione alia prae aliis excellant, & qua virtute gaudeant, aut quo vitio laborent. Ex hac ignorantia vinis Tokaianis ea sæpe adnumerantur, quæ locum inter illa non merentur, & quæ reapse eo spectant, vel excluduntur, vel etiam sine discrimine commendantur. Vidimus id nosmet ipsi, quum ibidem, ex officio, quo Cl. *Matthiæ BELIO* juncti sumus, scrutandæ ejusdem regionis gratia, viveremus. Ea propter, cum dolore, ob tantum circa tam celebrem potum occurrentem errorem, tum monitis incolarum instigati, peculiari libello paulo fusius de hac materia, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσωμεν, commentari constituimus. Nunc vero, ut officio in Te nostro fiat satis, præmittemus breviter, quæ prolixius postmodum tractemus.

§. II.

Quod ad nomen vini hujus attinet, dicitur id a *Tokaio*, castro olim in insula confluentis Bodrogi & Tibisci celebri, nunc oppido solummodo, quum illud solo aequatum sit, satis vili in ripa dictorum fluviorum, famaque sua minore. Adsurgit ab hoc oppido in occasum mons eximius, & ob fructus nobilitatem, pulchritudinemque formae in toto hoc regno suavissimus, amœnissimusque. Nam uti ex plano solus, extra aliorum nexum, in altum se erigit; ita in longitudinem magis, quam latitudinem, ab oriente in occidentem panditur, & hinc *Tarczalum*, illinc *Tokai* oppida in radice sua tenet, totoque ambitu milliare fere unum complectitur. Is quum primus fortean ex ea parte, qua Tokaium situm est, in conspectum prodeat, vinum ejus ante omnia *Tokaianum* vocari cœpit: sed postquam eiusdem vitis plantatio longius quoque processit, montiumque vicinorum latera & radices occupavit, *submontani* nomen sensim acquirebat; adpellaturque hodienum incolis *Hegyallyai bor, vinum*

num submontanum, licet, ob discrimen vini, quod inferiore in Hungaria gignitur, *Felfeldi bor*, der Ober-Unger-Wein, *vinum superioris Hungariæ* vocitetur.

§. III.

Alioquin ob parem fructus colorem, saporem, atque virtutem, *Tokaianum* omne illud, quod submontanum, quodve in vicinis his clivis genitum, nominatur. Nam quemadmodum mons ille Tokaianus solus inter oppida, quæ diximus Tokainum & Tarczalum, metæ instar eminet: ita parva planitie interjecta, alii se, sed paulo humiliores, æquali vini feracitate erigunt, & primo quidem anguste, ad *Keresztur* oppidum, cuneum veluti formant; deinde semper latius diffunduntur, & illinc orientem versus, hinc recta inter occidentem & septentrionem decurrunt, pariaque ex utraque parte latera ponendae viti exponunt. Sed quo longius in utramque plagam discedunt, eo magis fructus quoque nobilitatem amittunt.

§. IV.

Gaudens tamen eadem fama, eodemque nomine, quæ illinc versus *Ujhellyinum*, tribus fere milliaribus, hinc duobus versus *Szantò* oppida porriguntur, nominaque singularia ab oppidis atque vicis, illic *Szegi*, *Bènye*, *Lisska*, *Toltsva*, *Vamos Ujfala*, *Zsadany*, *Olaffi* & *Sarospatak*; heic *Zombor*, *Mada*, *Radka* & *Tallya* sortiuntur. Multi quidem vina illa, quæ in Ujhely, Szantò, Olaffi & Sarospatak gignuntur, nomine vini Tokaiani indigna putant; neque perperam, si partem eorum potiorem, quæ vilior est, aestimes: sed quia effundunt quoque nonnihil meliusculi, idcirco id, quidquid est, aude ejus nominis nequit defraudari, tametsi neque com-

parari possit cum illis, quæ eodem nomine præcipuo quodam jure & prærogativa gaudent.

§. V.

Uti enim inter clivos, qui principes vocari possunt, miscentur alii, partim, qui mediam laudem meruerunt, partim vero, qui posterioris notæ sunt: ita locis quoque vilioribus & abstrusis intersunt clivuli quidam meliores, qui, licet illos, qui alibi antecellunt, generositate haud exæquent; poterunt tamen posterioribus illis aliqua minimum ex parte comparari. Nam pari sub cœlo siti sunt, neque solo differunt multum, ac de reliquo eædem ibi vites plantantur, eademque culturæ ratio observatur.

§. VI

Subsunt autem omnium istorum montium clivi & latera directe Austro, & quemadmodum septentrionem versus in horridos abeunt montes, ita ad meridiem abruptis quasi montium ripis in planitiem descendunt, & late patentes campos amœna quadam elatione despiciunt, perpetuisque æstibus expositi, vitem quasi materno sinu & hospitio exceptam fouent. Intersunt quidem, qui heic quoque, partim in ortum, partim occasum, partim vero septentrionem obvertuntur: sed ii vel perdepressa tantum latera, vel a tergo simul occurrunt, ideoque viliorem fructum præbent. Frigidiuscula enim ob Carpatum regio, plagam vinearum, si utiles esse debent, meridianam (*a*) exposcit.

§. VII.

(*a*) Conf. *Tremellius SCROPHA* apud *COLUMELLAM Lib. III. §. XII. p. 102.* item *PALLADIUS in Januar. §. XIII.* & *VIRGILIUS Georg. II, v. 188.*

§. VII.

Sed quocunque terræ hæ respiciant, solo sunt ubivis vario diversoque. Tokaianum enim Claris. Dn. D. *Daniel FISCHER* (*b*) album, rufum, nigrum, rubricum, pingue, gelatinosum, densum, sed resolutum, nimiumque friabile deprehendit, id quod nosmet ipsi quoque observavimus. Sed si totum montem illum respicias, qui inter Tarczalum & Tokainum attollitur, per latera tegitur solo albicante & resoluto, instar cineris, quod neque purum sabulum, vel etiam argilla, aut creta est, magis tamen cretosum quiddam dici potest, qualem terram *COLUMELLA* quoque iudicat (*c*) *utilem haberi viti*. Ceterum uti in suprema montis superficie, ita & interius petra est & saxum perpetuum, nigrum externe, interne albidum humidumque, a quo humectari solum & imbui virtute tam generosa credunt multi, quod & nobis haud displicet. Sed vinitores illud heic optimum existimant, quod lapillis e saxo decussis, vel etiam glarea minutiore permistum est. Alibi diversum pene videtur, ut in districtu Toltsvensi, Tallyensi, Madensi, Bényensi & reliquis vicis oppidisque. Heic enim id placet maxime, quod densum, quod spissum, quodve ita glutinosum est, ut suffossum bipaliis adhæreat, & difficulter queat abstergi. Id incolæ *Nyirok* adpellant, estque duplicis generis, nigrum aliud, aliud rubellum, utrumque pingue & ferax, sed hoc præ illo gratius meliusque. De reliquo occurrit & solum aliud, quod partim in glaream, partim calculum, partim lapidem mobilem, mistum gleba pingui, partim silicem, amicum etiam viti (*d*) resolvitur, disparisque virtutis

(*b*) In Differt. de *Terra Tokaiensi §. XXVII. seq. p. 53. sqq.*

(*c*) *De re rust. Lib. III. §. XI. p. 102.*

(*d*) Idem ibidem.

virtutis vinum progignit. Non desunt qui solo regionis hujus aurum innasci autumant. (*e*) Certum est, repertas esse virgulas aureas, vitibus adnatas, partim Tallyæ, qualis Viennæ in Cæsareo Gazophylacio adservatur, partim Madæ, qualem se habere refert *D. Dan. FISCHERUS*, (*f*) partim acinos, uvasque & racemos aureos Tokaini, uti infra testabimur. Clariss. Dn. *Io. Georg. SIEGESBECKIUS* addit, terram se habere, e districtu Tokaiensi allatam, fuscam, lapillisque mistam, & repletam aureis quibusdam flammulis: (*g*) cuius tamen opinionem refellit *FISCHERUS* idem. (*h*) Illud nemo negare potest, qui hanc regionem novit, reperiri passim lapillos pretiosos, quemadmodum nosmet ipsi in Toltsvensi agro Iaspidem & Hyacinthum deteximus.

§. VIII.

Etsi vero in tanta soli disparitate, subinde, vel quod bonum est, imbribus & torrentibus eluitur, vel, quod iniquum, sterilescit; tamen utrimque succurrere norunt submontani; quod elutum est, aggerunt nova terra, alte e vinea eadem sæpe effossa; stercorant contra, quod sterile est & effœtum. Qua nigrescit ager, non stercoratur, sed solummodo perspergitur sabulone, aut lapide mobili & albicante.

§. IX.

Sed quia hæc regio haud procul abest a Tatris, seu Carpatho, hinc non parum etiam incommodi sustinet ab ejus-dem

(*e*) In Annalibus med. physicis Wratislau. an. 1721. Mens. Novembr. Class. IV. Art. XV. & passim.

(*f*) l. c. §. XXXVI, p. 62.

(*g*) l. c.

(*h*) l. c.

dem tempestate. Quidquid ille adflat frigoris, grandinis & Aquilonum, in vineas istas fertur, nocetque viti, nisi contrariis Austris & Favoniis repellatur. Sed dum hinc æstus, illinc frigus contrarie concurrentes inter se quasi dimicant & digladiantur, pariunt sæpe grandines, vel carbunculos, a quorum malo raro tuta esse possunt vineta hæc submontana. Accedit, quod mox pluuiis, mox siccitate præpediantur, ne gignant.

§. X.

Si quid gignitur, quo melius est, hoc pluribus admodumque diversis injuriis & periculis succumbit. Quam primum vernat, volucribus roditur, exclusas gemmas dispungit bruchus & alia ejus generis insecta, quorum noxam etsi crebra convolvulorum detractione & ipsius soli pastinatione amovere studeant nostri, nequeunt tamen impedire, quin postea, quod maturuit, depascantur vespæ, sturni, turdi, graculi, psittaci, picæ, canes, etsi quæ sunt alia animalia & volucres viti nociva. Omni quidem modo student accolæ, ut constitutis passim custodiis, clamore & strepitu, aut jactibus, crepitaculisque, abigant aves, sed subinde tam parum proficiunt, ut desistere cogantur, multitudine & copia avium, omnem vim clamoris & strepitus eludente. Vidi ego in districtu Zomboriensi diffugisse, relicto agro, custodes, cum non sufficerent abigendis sturnis.

§. XI.

Tot & tantis injuriis exposita regio, sæpe, quod profert, magna sui parte amittit; interdum & temporum revolutionibus impeditur, quo minus vel progeneret quidquam, vel progeneratum maturet & perficiat. Certe quum nuper Clariss. Dn. *Jo. Adamus* RAYMANN in *Annalibus*

Uratislaviensibus, ab anno 1717. usque huc; quotannis quædam de vindemia Tokaiensis regionis enarraret, nullius tamen anni fructus commendauit, quin vel dé nimii æstus, (*i*) vel grandinis & volucrium, vel pluviarum injuriis, (*k*) defectuque vini melioris conquereretur. Parem sortem ante *RAVMANNUM* majores jam observarunt, præsertim dum malis his domesticis accederent infortunia externa, a bellis & motibus orta. Non recensebo nunc priscorum temporum casus, tacente historia. Neque enim vini hujus fama increbuit prius, quam ubi Reges Hungari deficere jam cœperunt. Olim enim Sirmiensi unice tota laus & gloria deferebatur, sive, quod omnium primo auctoritate *PROBI* Imperatoris plantatum erat, sive ob virtutem quoque in alio vino ignotam. Ei licet Tokaianum præcellat, serius tamen seri cœpit, imitatione Romanorum. Qui nam vero primi ejus plantatores fuerint, ignoratur; sed, sive jam Jazyges ipsi, sive Gothi, sive Hunni conseruerint, subinde tamen pari cum accolis mutationi, periculo & vexationi fuit obnoxium. Mox advolarunt Tartari, mox Turcæ, mox ipsi etiam Hungari & Germani, qui ibidem belligerantes, vineis quoque bellum indixerunt. De *ALBERTO* diserte tradit *ISTHUANFFIUS*, (*l*) eum nempe, quum *ULADISLAO* fratri, fœdere rupto, arma inferret, totam hanc oram rapinis & prædis exagitasse, vindemiamque in Poloniam transtulisse. Parem ejus calamitatem adscribit idem *TELEKESSIO* & *DERSFFIO* ad annum MDLIX. Altero anno ad Nonas Majas vitem, pruinis frigidioribus justo, adustam dicit.

(*i*) Ad ann. 1717. Mens. Octobr. Class. III. Art. I.

(*k*) Ad ann. 1718. Octobr. Class. IV. Art. III. IV. p. 1716. sqq. item ad ann. 1719. 1720. 1721. 1722. 1723. 1724. Class. III. Art. 3. 4. p. 403. 388 398.

(*l*) Lib. II. f. 12.

dicit. (*m*) Rurſus annis MDLXVI. & MDLXVII. Sigismundi Tranſylvani à vaſtatoribus vindemiam deſtructam addit, (*n*) ut reliquas vaſtationes, quæ annis MDCV. XIX. XLIV. LXI. LXXII. LXXXV. XCVII. & MDCCIII. inciderunt, taceamus. Noſtra ætate anno hoc 1733. menſe Majo frigus & gelu ex inſperato obortum ſpem vindemiæ propemodum totam dejecit, præſertim in vineis, quæ in planioribus clivis ſitæ erant.

§. XII.

Eam ob rem, quod crebro disjiciebantur accolæ, pauci ipſorum poterant ad aliquam ſaltem modicam poſſeſſionem adſpirare, inprimis cum aliarum urbium & Comitatuum optimates quævis melioris conditionis vineta coëmerent. Itaque nunc etiam optimis horum dominantur vel ipſe Cæſar, vel alii viri nobiles, domeſticis propemodum ad cuſtodiam & culturam vinearum alienarum reſtrictis, parumque, & non niſi, quod vilius eſt, poſſidentibus.

§. XIII.

Ii vero quum Hungari potiori parte ſint, Slavos etiam, Ruthenosque & Polonos ad ſocietatem vini culturæ admittunt, mixtimque operas omnes perſequuntur. Inter has vero præcipua eſt vitium conſitio, quæ heic fit per taleas, dum detractæ inter putandum virgæ meliores vel illico deponuntur, vel conſervantur in terra, donec florente ſiligine deponi poſſint. Deponuntur autem in ſulcis bipedali altitudine & obruuntur primum fimo, ſi ſolum ſterilius fuerit,

 poſt-

(*m*) Lib. XX. f. 253. & 258.
(*n*) Lib. XXIII. f. 311. & 328.

postmodum terra ita obteguntur, ut una saltem gemma super eandem emineat. Species vitis heic etiam diversa est, & infinita.

> *Quam qui scire velit, Libyci velit aequoris idem*
> *Discere, quam multae Zephyro turbentur arenae,*
> *Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,*
> *Nosse, quot Jonii veniant ad littora fluctus.*

Sed quae ad fructum faciant, & maxime ab omnibus conferuntur, duae sunt tantum, eaedemque praecipuae. Unam vocant Hungari *Formint*, quam nos alias (*o*) diximus *tumidulam*. Genus est vitis optimum, materia crebra, rubeo cortice, pampinis latis & mediocriter scissis, uvis neque spissis adeo, neque raris, uberibus tamen & tumidi acini, gustusque gulam ob dulcedinem jucunde exasperantis, fortis vini & generosi, praesertim dum passulis exuberat; nam haec ante alias pro vino praestanti maturescit, & aestu contrahitur, fitque passa. Altera est *albula*, non tantum ob fructus, sed etiam materiae & pampinorum colorem: Albicat enim tota fere sua forma, ideoque Hungaris *Fejèr Szölö* adpellatur; sed acino rariore est rotundioreque, & flaccido magis, quam dapsili, succo vero gaudet quasi aqueo & liquido, ideoque laxandae alvo apprime idoneo, alioqui ita dulci, ut priori etiam eam ob rem praeferatur, in passas tamen non abit, nisi aestu prorsus inusitato contracta, quod rarius fit. Certe in vinea nostri Augustissimi, *Szarvas* nomine, quae in monte Tokaiano, Tarczaliano districtu, reliquis omnibus clivis amplitudine, & benignitate soli coelique antecellit, potio-

(*o*) in Prodr. Beliani Operis de Vino Semproniensi Lib. III. memb. II. §. V. f. 171.

potiorem vitium partem in *albulis* vidimus; in reliquis paucissimæ erant *tumidulæ*. Caussam subesse hanc credimus, quod aliæ vineæ, vicinæ huic, *tumidulis* magis abundant, quibuscum has *albulas* miscere decet, quamvis quælibet vinea seorsim vindemiari, neque aliis misceri consueverit. De reliquo, uti tumidulæ vino virtutem, ita dulcedinem albulæ conciliant, ideoque maxime ab omnibus adprobantur, & ubique, quanta possunt copia, conferuntur. Immiscentur his tamen plures, præsertim quæ proventu, & ubertate priores subsequuntur, qualis est *Harslevelö*, aliis *Juhfark*, Græcis *προβατόνουρος*, qualis *Gyöngy-Fejér*, latinis *Gemmea*, qualis *Portsén*, *Gerset*, *Rosa-Szölö*, *Bakator* & reliquæ. Hæ enim & fructu affluunt, & benignitate prioribus prope accedunt. *Polyhos* & *Boros-Bial* amplitudine uvarum, & acini præstant omnibus, tum etiam materia, quippe multum convalescunt, sed quod succo tenui & aqueo sunt, vini gloria privantur. His addunt quasdam ad escam, ut *Thureas*, ut *Apianas*, seu *Moschatas*, ut *Aegomastos*, *Bumastosque*, & quæ primum locum meruit, *Augustas*, die *Augster*, *Goher Szölö*. Ita enim has in prodromo Beliani operis nominavimus. Sed quum illic Augustas parvi usus diximus; hac in ora in passas quoque contrahuntur, vinumque, quod generosissimum, augent. Reliquas uvarum, quæ addi possent, species omitto.

§. XIV.

Has ergo, & istarum similes, ubi consitæ in vinea adhuc novella convaluerunt, vel etiam veterana, ac vere novo iterum detectae sunt, deputant nostri vel ad vnum oculum, vel ad duos pluresve, si robusta sit ad fructum, & solo insistat macro, contra in pinguiori etiam paucissimis nodulis submittitur, si infirma & macilenta fuerit. Ubi autem cum fructu in plures ramos excrevit, & brachia firma ostendit,

dit, propagatur, ita, ut in putatione submissæ virgæ ternæ, quaternæ & quinæ, in oculos denos, duodenos, scrobe pro singulis circa matrem ipsarum facto, in diversas partes deprimantur prosternanturque, & fimo pinguique terra obruantur, relictis binis tantummodo gemmis super eminentibus. Exinde dein quot virgulæ, tot fiunt vites, quæ seorsim germinant, donec rursus, ubi excreverunt, pari modo prostratis & obrutis ramis propagentur. Id operæ genus nostri *Homlétás* vocant, quasi dicas *humiliationem vitis*.

§. XV.

Postquam autem vitis sic & putata & propagata est, pastinatur. Pastinationem vero hanc binis ad summum hebdomadis ante festivitatem D. Georgii fieri debere ajunt submontani universim. Pastinant autem ligonibus in monte Tokaiano; in reliquis, præsertim ubi solum durius, tenax, siliceum, & glareosum, saxosumque est, bipaliis, seu bidentibus fere sesquipedalibus, ut in tractu Benyensi, Tallyensi, Lisztiensi aliisque observavimus. In prima hac pastinatione id requirunt, ut quam alte fieri poterit, humus perfringatur, materque vitis ad surculos usque terra adoperiatur.

§. XVI.

Peracta vineæ prima pastinatione, sequitur & heic pedandæ cura. In ejusmodi opera, pali, seu ridicæ viti dantur quercinæ, longitudinis pro vitium varietate diversæ, potissimum, quæ palmos VII. exæquent. His vites, seu palmites, adnectuntur junco, aut ulna, quod fieri consuevit passim post ferias Pentecostes. Circa D. Joannis Baptistæ festivitatem, prope initia messis, vinea, dum grandiores evaserunt uvæ & colorari incipiunt, convertitur altera vice, ita

ut

ut apertis truncis abradi possint radiculæ, ne iterum progerminent, & vitibus debitum succum suffurentur. Deinde, quidquid ex pedamentis concidit in terram, elevatur & erigitur, vitibusque & earum luxurie detruncatis, vineæ quasi denuo repurgantur. Et ubi cœperunt uvæ emolliri, tertia vice hæc repetuntur, ablaqueatis iterum truncis, caudicibusque resertis a codice, ut sursum versus succum queant propellere, uvasque veluti fœcundare.

§. XVII.

Post has, quæcunque erant, operas, restat nihil aliud, quam ut autumno maturanti relinquantur. Ad uvarum vero maturitatem necesse est, ut jam mense Julio incipiant emolliri, maturescere Augusto & reliquis mensibus dulcedinem acquirant. Huc vero requirunt nostri, ut æstatem fervidam & affatim humidam, calidus æque ac siccus autumnus comitetur, noctibus interdum frigidis gelidisque intercedentibus. Credunt enim nocturno algore uvas contrahi & edulcorari. Idem Clariss. *RAVMANNVS* quoque requirit. (*p*) Signa vero maturitatis ostendit partim uvarum pellucidus & flavus color, partim vero passarum copia. Interdum & punctula speciei aureæ folliculis, dum uvæ maturuerunt, adhærere observantur, quæ maturitatem arguunt. Sunt, qui grana, acinos, immo integros racemos aureos vidisse & eruisse se adfirmant; certo sacerdos Tokaiensis, octogenario major, asseveravit nobis, in vinea ejus oppidi, quam *Aranjos* nominant, repertum fuisse acinum aureum, eumque se *Francisco Rakotzio*, anno circiter MDCCIV. ibidem grassanti obtulisse, qui dein ab hoc *PETRO*

(*p*) l. c. ad. ann. 1717. mens. Octob. Class. III. Art. 1.

TRO I. Russorum Imperatori transmissus esset, magnamque in ea regione admirationem excitasset. Ejusmodi plura aliis etiam nota sunt exempla, quæ alibi recenseri debent. Utrum vero revera aurum, an auro simile quiddam fuerit, disquirit sat erudite D. *RAUMANNUS* noster, (*q*) ast ubi in igne probari eos advertit, negat esse aureos, quamvis ipsi in eo contradicat D. *FISCHERUS* (*r*) adductis virorum aliorum documentis.

§. XVIII.

Ubi autem uvæ sic maturuerunt, ut non tantum dulcedine exuberent, sed & passæ in majori copia adsint, tandem more consueto colliguntur. Incipit autem vindemia circa finem Octobris, aut initium Novembris, modo ante, modo post diem D. Apostolis *Simoni* & *Judæ* sacrum. Anno MDCCXXXII. quum nos ipsi adessemus, die XIII. Octobris publicata fuit vindemia. Quoniam enim regio diversis Dominis subjecta est, hinc nemini licet vindemiæ immittere manus ante, quam permissum sit ab horum præfectis, nisi forte possessio sit libera, quæ præceptis Dominiorum non subest.

§. XIX.

Fit autem vindemia bipartito, per classes vindemiatorum duas, quarum una demit recentes, pastas altera, quælibet in diversos cados. Recentes conquassantur ibidem, ad calcem vineæ, palis, demptoque succo devehuntur ad torcular,

(*q*) l. c. ad ann. 1718. mens. Octobr. Class. IV. Art. 3. p. 1734.
(*r*) De Terra medicin. Tokaiens. §. XXXVI. p. 62. 63.

cular, & ibi ab aliis ſemel, ab aliis bis premitur. Qui ſemel tantum exprimunt, ii dein expreſſos uvarum folliculos, una cum ſcapis & vinaceis, conjiciunt in unum locum, & aquam iisdem ſuperfundunt, mixta dein ſimul fermenteſcere permittunt eo usque, donec ſubſidente liquore, vinacea conſcendant ſurſum. Tum viciſſim exprimuntur & quod effluit, vocatur *Lora.* (*s*) Qui vero tam hujus, quam vini, malunt copiam, altera etiam vice addunt aquam, & ubi conferbuit, exprimunt rurſum. Contra quibus Lora diſplicet, bis torculari ſubdunt vinacea. Itaque ex uvis recentibus muſtum fit duplex, aliud excuſſum palis, quod Hungaris vocatur *Szin-bor*, Germanis Schein-Wein, aliud *expreſſum prelo*, *Sajtolò bor* illis, his der Preß-Wein. Utrumque eſt nobile & generoſum, ſed pro diverſa temporum qualitate æque diverſum. Dum favet annus, expreſſum prelo eſt melius, contra, quod palis excutitur, præſtat anni tempeſtate viliore. (*t*) Utrumque tamen infunditur doliis recentibus, ſeu novis, non plus, nec minus, quam CLXXX. heminas, vulgo medias, amplis, quæ heic loci non fumo illo ſulphureo, neque myriſtica nuce præparantur, ſed ſaltem eluuntur aqua munda fervida, interdum etiam cocto muſto, aut pampinis.

C §. XX.

(*s*) Ita etiam *VARRONI* Lib. I. §. LIV. *PALLADIO* lib. XII. §. XL. vocatur.

(*t*) conf. *RAYMANNUS l. c.*

§. XX.

Uvarum passarum acini detrahuntur e scapis prorsus, detractique conjiciuntur in œnophorum. Ejusmodi alii singula, alii bina, terna alii, & plura, qui pinguius malunt passum pro singulis vasculis, XC. heminas capientibus, quæ ipsis *altabag* vocantur, destinant. Id ubi fecerunt, congerunt in unum locum, & quod suapte sponte emanat, nominant *essentiam*, reliqua conquassant & conculcant pedibus eousque, donec comminuta corpori adhæreant, deinde adfundunt succum, quem optimo ex uvarum genere excusserunt. Hæc probe invicem mixta operculantur & obteguntur, donec ipsis sic simul fermentantibus, succus subsideat & vinacea efferantur: tunc eximunt iterum & liquorem transmittunt per cribrum, volis autem manuum vinacea exprimunt, & rursus conculcant, rursusque adjecto succo sinunt fermentare, dein altera vice per cribrum transcolant & exprimunt, quod postea passum fit notæ secundæ.

§. XXI.

Utriusque generis productum *mustum* vocatur, donec fermentescat. Id nunc citius, nunc tardius fieri solet. Sæpe intra unius mensis spatium penitus eliquatur, si aër fuerit temperatus, interdum prius, quando calidus, serius autem, si frigidus existat. Quo magis lenta contingit fermentatio,

tatio, eo majoris valoris eſt. (*u*) Ea vero ut opportune retardetur, communiter vaſa muſto repleta extra vinarias cellas in cameris torculariis relinquuntur, quippe quæ auræ frigidiori liberius patent, vnde fermentationis actus protrahitur. Deinde, ubi penitus ſunt eliquata, reconduntur in cellaria, quæ hac regione in tenaci & petroſo excauata ſunt ſolo, & cuniculorum formam referunt, ideoque per æſtatem frigida, calida contra per hiemem hoſpitia vinis præbent. In ejusmodi cellis vina iſta per decem & viginti pluresque annos conſervari poſſent, niſi venderentur, & quoniam poſſeſſores vini curas ſuſcipere ſive nolunt, ſive ignorant, ſive etiam coacti neceſſitate & petitionibus emptorum, eadem, quam primum poſſunt, divendere ſolent, hinc neſciunt definire, quam diu adſervari illa queant.

Hæret adhuc vitis pretioſior uva ſub umbris
Nec cumulant altos fervida muſta lacus,
Jam currit vario numeroſus quæſtor ab orbe
Et pergit noſtrum ſollicitare merum.

Sic ergo ad Polonos potiſſima pars ejus divehitur, qui dein id per triginta, quadraginta, imo & plures annos conſervant. Quid? quod, Polonorum quemdam principem centum annorum vinum convivis ſuis exhibere conſueviſſe,

 Polo-

(*u*) Annal. Wratislav. Ann. 1718. Menſ. Nov. Claſſ. IV. Ann. 3. p. 1855.

Polonus haud parvæ fidei nobis nuper adfirmavit. Propterea etiam id, quod melioris est notæ, potissimum exportatur, viliora vero domi solent distrahi, raroque attingit fructum novum anniculus, nisi fortean in cellis adservatus ditioribus.

§. XXII.

Fit autem vinum ex musto durabile, dum abundat *spiritu*, ut vocare solent, *ardente* (*v*) Is autem nil est aliud, quam vis quædam ex attritione partium oleosarum, salinarum aquearumque & terrearum, quæ vinum formant in fermentatione perfecta. Quo pinguius igitur mustum est, eo fortiorem spiritum gignit; qui postea salis instar vino est, ne putrescat. Etsi autem ejusmodi spiritu vina gaudeant omnia, tamen præcipue nostras, quod oleo & pinguedine abundat. Nam & tunc soli & cœli annorumque diversitas, de qua supra locuti sumus, eam vini efficit disparitatem, ut alterum altero sit fortius, nobilius generosiusque. Certe, quod fit annis fervidis, quod sub Austro, quodve in solo resoluto, pingui, fertili gignitur, exsuperat illud, quod duro, macro, versus occasum & Septentrionem sito provenit, præsertim, si anni accedit asperitas & nimia tempestatis inclementia. Itaque & heic reperies vina macra, austera, elumbia, & quæ vix unius anni spatio durant, quin vel acorem,

(*v*) Conf. clariss. *BELII* Prodromus Lib. III. cap. X. memb. III. §. 1. f. 187. & Annal. Wratisl. l. c.

rem, vel lentorem contrahant & corrumpantur. Sed quæ annorum cœlique & ſoli gaudent benignitate, non modo non laborant his vitiis, ſed omnibus, quæ alibi meliora haberi poſſunt, palmam relinquunt dubiam. Multum dixero, ſi cum Poëta, Tokajenſium encomiaſte, adfirmavero:

Palmitibus cedit quælibet uva meis.

Sed ſi expendatur ut res eſt, neſcio, an aberarim.

§. XXXIII.

Si cui vino alii, *Cos* illud, quod a quolibet nobiliore vino requiritur, competit, noſtro ita competit, ut præcipua quadam prærogativa lætetur. Color ei aureus, & qui neſcio, quem alium ſuperet. Odore autem tam grato, tamque penetrabili eſt, ut cum fragrantiſſimo quovis certare poſſit.

Non redolens ſimilem Phæacia ſpargit odorem,
Nec quem progenerat fertilis Hybla thymus:
Sic nec Niliacum ſudans opobalſama lignum,
Sic nec Arabs olidis aëra mulcet aquis.
Non ita Cretæo demiſſa cydonia ramo,
Floſue Iberapnæus, vel melilotus olent.

Accedit dulcedo & ſuauitas, quæ ſaporem addit maximum.

Hæc si vina simul biberis, vinumque Falernum
Is simplex dices est liquor, illa favus.
Erravi, quid dico favus? dulcissima divum
Pocula, vel si quid suavius esse potest.

Conciliat autem ei hanc laudem pinguedo illa, cujus mentionem fecimus, salis incomparabili mixtione temperata, non sine aquæ melioris & fragrantioris terræ nexu.

§. XXIV.

Itaque quum vinum nostras tanta gaudeat virtute, non potest non vitæ mortalium esse, nisi cum abusu bibatur, emolumento. Primum in illis, qui integra valetudine gaudent, concoctionem egregie adjuvat, dum calore suo adfluit, deinde digerit, quæ cocta sunt, dispertitoque per corpus meliori sanguine, reliqua extrudit foras, præsertim quibus benignior natura est & temperata. Etsi namque nec illis noceat, qui bile exæstuant, tamen magis prodest frigidis, ob calorem, quo ipso, frigore superato dilutoque & resoluto sanguine atro, etiam qui luridus & macer est, pinguescit quasi, vividumque colorem induit. Non dicam, quantopere exhilaret, quippe hoc vinorum omnium est proprium:

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero. (*)

Sed

(*) *OVIDIVS* de Arte amandi I. 238.

Sed quod alia efficiunt potu largo, hoc parcitate etiam compensat nostrum:

Nam modice sumtum mox dispensatur in artus,
Cordeque lætitias prodit & ore sales.

Itaque illis maxime, qui ad mœrorem inclinant, prodest plurimum, si moderate bibatur. Impinguat vero sanguineos, ferventiores inflammat. Hi si in excessu eodem utuntur, facillime abinde enecantur; siquidem iis præcipue immoderata ejus ingurgitatio adfert capitis dolores, viscerum inflammationes, creat hecticas, phthises, febres malignas, apoplexias, podagram, & si qui sunt morbi ejus generis alii.

§. XXV.

Contra vini hujus temperatus usus roborat ventriculum debiliorem, mitigatque dolores capitis, ex vitiis diætæ primarumque viarum obortos, juxta versus:

Disjicit insanos stomachi bis mille dolores,
Et totidem capitis pessima damna fugat:
Immo scit exangues depellere corpore morbos,
Aegraque Pæoniis ora levare modis.

Noti mihi sunt homines haud postremi subsellii, qui vino Tokajano, velut optimo antidoto, ad præservandos varios morbos utebantur. Notæ etiam sunt feminæ, quæ sui sexus dolores atque morbos crebro, sed modico, potu vini Tokaiani cura-

curabant. Sed de his & aliis dicemus, si Deus vitam viresque largietur, in peculiari libello, prolixius. Hæc interea placuit prælibare, ut petitis voluntatique Tuæ, *optime NEVHOLDE*, fieret satis. Tui erit arbitrii, æstimesne, an contemnas, utrumque feremus animo aequo ac patienti : hoc, quoniam fugitivo calamo & sine cura conscriptum esse negare non possumus, illud, quoniam constat, Tuam esse humanitatem, rebus nostris largius, quam meruerunt, blandiri. Itaque cape & vale. Dabam Posonii d. XXII. Maj. cIↄ Iↄ cc XLI.



HISTO-

HISTORIA NATURALIS URBIS VERDAE

JUXTA OMNES EO PERTINENTES CIRCUMSTANTIAS, SUB ASSIDUA ET DIUTURNIORI OBSERVATIONE DEBITE INDAGATAS, BREVITER DELINEATA

A

JOANNE CONRADO TRUMPHIO,
MED. DOCT.
OPERAR. METALLICAR. SYLVÆ HERCYNIÆ INFERIORIS, QUÆ SERENISSIMÆ DOMUI BRUNSVICENSI SUBEST, MEDICO ORDINARIO, ET ACADEM. NAT. CURIOSOR. COLLEGA.

PROOEMIUM.

BRevem Historiam naturalem urbis *Verdæ* tradituri, in limine statim indicamus, quod tractationem istam in tria dividere placeat capita, secundum inscriptionem nempe libri *HIPPOCRATIS*: περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων. Caput igitur primum aget de *aëre*, & atmosphæræ conditione, varietate ejus secundum anni tempora, & de ejus commotione, quæ *ventorum* nomine venit. Secundo capite tractabitur de *aquis* nec non de potus generibus, quorum quippe potiorem partem aqua constituit. Pro tertio capite reservabimus ea, quæ supersunt de historia naturali dicenda, uti terræ vel soli conditio, incolarum diæta, habitacula, frequentiores morbi & alia nonnulla, quæ juxta mentem *HIPPOCRATIS*, *REINESII* & *BAGLIVII* ad cognoscendam regionis cujusdam naturam requiruntur. Opus sane adgredimur, quod, si juste perageretur & ad perfectionis gradum, quantum hominum imbecillitas permittit, perduceretur, non parvi existimaretur a rerum harum peritis; ast tale nos daturos esse non promittimus, tenuitatis & imbecillitatis nostræ bene conscii. Parvam itaque tantum opellam sumus præstituri, idque & ob hanc rationem, quod primi talem laborem susceperimus. Equidem relatum persuasumque nobis fuit, prostare jam opusculum, olim a Physico hujus loci, D. *Lœbero*, ante 70, circiter annos elaboratum editumque, in quo Historia naturalis Verdensis satis exacte descripta extaret; verum, quamvis omnem moverimus lapidem, quo dicto illo libro potiremur, tamen ne titulum quidem genuinum explorare potuimus, dum ille, qui possessorem ejus se esse jactitabat, nullo tamen modo in scriniis suis eundem reperire poterat. Qua propter, si sterilis fuerit nostra tractatio, aut & aliquid dicatur, quod jam dictum sit prius, si nimirum revera publicatum esset prædictum opusculum, excusatione tamen dignos fore nos speramus, ob rationes hactenus adductas, quas etiam Lectorem benevolum non penitus improbaturum esse confidimus.

CAPUT I.

DE AERE.

ACturi nunc de *Aere*, in ipso statim limine notamus, quod hoc nomine nobis minime veniat illud fluidum, quod à compluribus pro elemento

mento corporum naturalium una cum terra, aqua & igne, accipitur cujusque natura & indoles nondum exacte satis est demonstrata; sed quod potius, dum in notioribus subsistere lubet, per aërem unice intelligamus *atmosphæram*, seu eam regionem, quæ proxime globum nostrum terraqueum ambit.

Atmosphæra autem, dum vi vocis, quæ græca est, proprie regionem, sive globum effluviorum denotat, facile inde patet, quod ejusmodi regio varia esse possit, secundum loca nempe globi terraquei, ex quibus effluvia prodeunt, & in sublime feruntur.

Per barometrum, instrumentum satis notum, explicatione hinc non indigens, qualitas aëris, sive atmosphæræ, in tantum cognoscitur, ut ejus diversa pressio ad minimum per illud indagari queat. Quoniam autem hoc parum facit ad cognoscendas reliquas atmosphæræ proprietates, & in medendo minorem adhuc usum præbet, hinc non solliciti erimus de illo, sed externos saltem sensus in subsidium vocabimus, qui sufficienter quoque qualitates atmosphæræ Verdensis demonstrare valent. Neque etiam longinquius petita & deprompta experimenta adducemus, qualia suppeditant *HIPPOCRATES*, *REINESIUS* & alii, sed talia saltem, quæ undique ac creberrime occurrunt & cujuslibet incolæ suffragio corroborari possunt.

Pronunciamus autem nostrum aërem humidum, hoc est, multis effluviis aquosis repletum, id quod ab experientia nunc probandum erit. Vasa stannea maculis vix delendis conspurcantur; vestes in cistis & scriniis fiunt mucosi, lintea humida; libri in repositorio mucidum squalorem concipiunt; ligna, quibus hypocausta farta & decorata sunt, albicantem mucorem in superficie monstrant, situque obducuntur, qui etiam non tantum in inferna domus parte deprehenditur, sed & in superioribus observatur. Existimaret forsan aliquis, hæc tantum animadverti in partibus urbis inferioribus, sciendum autem est, etiam in editioribus idem hoc evenire, & ita promiscue in quacunque urbis regione talem mucorem in utensilibus deprehendi.

Insignis autem hæc aëris humiditas à variis provenit causis & primo quidem multum huc conferunt fluvii magni: Allera nempe, non adeo exiguus fluvius, mœnia urbis alluit; Visurgis in vicinia alveum varie inflexum absolvit, qui ex majoribus Germaniæ est fluviis. Quantam vero aquarum copiam hi vehunt! Hæcce quantitas immaniter crescit, quando nives liquescentes ita eos adaugent, ut, alveis relictis & per-

ruptis aggeribus, totam undis tegant regionem hi ipsi fluvii. Istæ aquæ dein neque omnes defluunt, neque a terra absorbentur, sed hic illic stagnant, ut & parvi lacus æstatis tempore relinquantur, qui raro toti exsiccantur. Confert porro ad aëris humiditatem, quod & regio sabulosa aquis scateat; in aliquibus enim locis sabulosis vix ad aliquot pedes terra removetur, quin statim aquarum venæ reperiantur. Non dubitandum ergo est, quin per terras etiam arenosas effluvia aquosa eleventur. Augere denique potest aëris humiditatem in ædibus nimia & arcta nimis harum inter se connexio: Ita enim sunt ædificatæ, ut omnes contiguæ sint, fronte versus occidentalem vel orientalem regionem directa. Venti igitur pluviosi orientales & occidentales (quorum uterque hic locorum non raro pluviam inferre solet) in spatiis ædibus interjectis quasi colliguntur, sicque aëer humidus ibi detinetur. Accedit, quod etiam magna satis depluentium aquarum quantitas in interstitiis colligatur, nisi promte & cito defluant. Hæ ergo potiores sunt causæ, quantum perspicere potuimus, humiditatis aëris Verdensis.

Humidus aër sanus dici haud potest, sana enim sunt temperata; hinc hieme non sine ratione eum diceres insalubrem. Interim tamen etiam pro sano haberi potest, & quidem æstivo tempore, quoniam ob terras circumjacentes sabulosas calor tunc nimis foret fervidus, nisi aëris humiditate quadantenus temperaretur.

Nunc vero considerandum etiam venit, qua ratione aëris vicissitudo secundum anni tempora heic loci sit constituta. Enarrabimus itaque historice conditionem anni, rationes horum effectuum non addentes, utpote aliunde, ex scientia nempe physica generaliori, repetendas.

Ver ab *HIPPOCRATE Sect. III. Aphor. 9.* saluberrimum vocatur anni tempus, quod tamen potissimum de terris meridionalioribus, quas ipse inhabitabat, intelligendum. In multis enim Germaniæ oris pro salubri non potest venditari, neque etiam nostro in loco. Notum enim est, quod morbi in illo non deficiant; ægroti autem morbis chronicis detenti, eo tempore plerumque finem suæ vitæ inveniant. Æstas salubrior est, nisi nimis sit sicca, quippe quæ & febres malignas & dysenteriam inducit. Autumnus frequentiores habet morbos, siquidem statim circa ejus initium, mense nimirum Septembri, Dysenteria homines invadere & quandoque per totum Octobrem atque Novembrem stragem suam edere solet. Tempore enim messis multi sibi fomitem hujus morbi adsciscunt, tum nimio labore, tum potu frigidiore, corpore calente

lenre adſumto. Forte etiam comeſſationes in nuptiis, quæ tunc temporis inſtituuntur frequentius, cauſam huic aliisque morbis ſuppeditant. Hiems non minus morborum eſt ferax, præſertim ſi tempeſtas vel nimis frigida, vel plus juſto tepida eſt. Tali tempore pleuritis admodum frequens eſt, imo ſæpe epidemice graſſatur. Hæc vero omnia in plerisque Germaniæ locis ita accidunt, ut ideo ratione anni temporum locus noſter præ aliis nequaquam inſalubrior vocari queat.

Supereſt ergo, ut de ventis quædam addamus. Ventus ab oriente ſpirans, *Eurus* alias dictus, vernali & æſtivo tempore ſiccus eſt & calidus utplurimum. Interim tamen in regione Verdenſi eum frequentius deprehendi pluvioſum, quam Goslariæ, & quidem non tam æſtivo, quam hiemali tempore, quo ipſo non ſolum notabile frigoris augmentum, ſed & multas inſuper nives adfert, quæ inprimis Anno 1736, in quo ſæpius ille ſpirabat, copioſiſſimæ erant. An autem erucas inferat, aut ſuſtentet, Verdenſibus quidem magis ignotum eſt, quam Goslarienſibus, obſervavi tamen omnino, quod æſtate anni 1735. in qua itidem ſatis frequenter recurrebat, erucis magis proficuus, quam infenſus fuerit. Meridionalis, ſeu *Auſter*, calidus eſt & humidus, non quidem quod pluvias pariat, ſed humiditatem inſenſibiliter ſecum vehat, quæ tamen in parietibus & corpore humano ſatis exacte percipi poteſt. Eſt quidem ventus hicce incolis regionum ſeptentrionalium minus ſalubris, ſed rarius & communiter non admodum diu ſpirare ſolet. Ventus occidentalis, ſeu Zephyrus, plerumque quidem ſiccus, heic tamen loci frequentius pluvioſus eſt, quam Goslariæ, ubi rariſſime pluvias infert. De aquilonari tandem vento per ſe abunde jam conſtat, quod ſiccus & frigidus ſit, quemadmodum etiam ab *HIPPOCRATE* ille talis jam olim declaratus fuit *Sect. III, Aphor. 17.*

Hi itaque ſunt venti cardinales; qui vero medii interiacent, eorum nonnulli peculiares habent proprietates. Sic qui inter Eurum & Auſtrum ſunt, (*Sud-Oſt*) magis ad Euri qualitatem accedunt, nempe rigidi ſunt & ſicci; inter Eurum & Boream (*Nord Oſt*) rigidi & magis humidi. Medius inter Auſtrum & Zephyrum (*Sud-Weſt*, *Africus* aliquibus vocatus, eſt calidus & pluvioſus; inter Zephyrum & Boream (*Nord-Weſt*) *VERULAMIO Circius* vocatus, eſt frigidus & pluvioſus.

Quod ad meteora attinet, de iis nihil peculiare notavi, ſiquidem eodem plane modo adparent, ſicuti in tota Germania inferiore. Sic tonitru

nitru hic loci æque, ac circa ſylvam Hercyniam hieme auditur, idque non leve. Lumen boreale equidem Goslariæ etiam non infrequens eſt; num autem adeo frequens ſit uti in Verdenſi regione, ex defectu obſervationum eodem tempore inſtitutarum mihi non conſtat, probabile tamen, quod adhuc frequentius ibi occurrat. Non minus etiam reliqua phænomena ab aëre dependentia in omnibus fere conveniunt cum illis, quæ reliquis in locis hujus climatis in Germania occurrunt, niſi quod regio ſylvæ Hercyniæ uno gradu cum tribus milliaribus ab hocce loco diſtans, non parum differat. In Verdenſi enim tractu horrida tempeſtas plerumque deſinit circa veris initium, quando ſol ſignum arietis intravit, circa Sylvam autem Hercyniam tunc temporis per integrum fere menſem illa adhuc continuat, imo in intimioris hujus ſylvæ regione adhuc diutius durat, & citius iterum ingruit, ut rariſſime avena ad meſſis perfectionem perveniat. Nives quoque atque glacies multo majori ibi ſunt in copia. Eſt inſuper differentia in ventis: Eurus enim atque Zephyrus Verdæ frequentius ſunt pluvioſi, quam Goslariæ. Procella crebrius oritur hic loci ex vento Circio (*Nord-West*) uti & fit in oris Maris Balthici, quam ex Africo, ex quo ea plerumque Goslariæ conſurgit.

Peculiares ventorum effectus, præter jam notos, quod nempe auſtrinus dolorem capitis inferat, & aquilonaris fructibus horæis infenſus ſit, &c. non obſervavi; neque etiam innotuit mihi, quod aquilonaris atque Circius aſthmaticis adeo noxius ſit, vti Goslariæ, paucos enim aſthmaticos hucusque hic deprehendi. Ex his ergo patet, aërem Verdenſem ſatis eſſe ſalubrem, quoniam juxta criteria a *Thoma REINESIO* in *Schola Juridicorum medica* jam olim ſuppeditata, hæc urbs ſita eſt in regione elatiore, venti ibi ſunt boni; gaudet etiam eodem Solis adſpectu, dum nec in valle, nec in nemore eſt extructa; adſunt ibi opportunitas aquarum, ſolum non nimis ſabuloſum, nemora & ſylvæ proceras arbores alentes, ut idcirco ſola tantum humiditate, quæ morborum cauſas aliquas ſuppeditare poteſt, quadantenus inculpandus ſit aër Verdenſis, hujusque tantummodo intuitu quadam correctione indigeat.

CAPUT II.

DE AQUA.

AQuis utuntur Verdenſes quoad maximam partem putealibus; pluviales non niſi quidam artifices aliique ad quosdam ſaltem uſus culina-

ſinarios adhibent, poſſunt enim nec commode colligi, nec etiam puræ obtineri. Fontana non niſi unica datur, quæ vero ſolitarie uſui medico inſervit, prout inferius monſtrabitur. Neque etiam opus habent incolæ, ut pluvialem colligant & fontanam deſiderent aquam; quoniam ea, quæ ex puteis hauritur, abunde ſufficit, & optimæ notæ eſt, quod & incolæ bene norunt, & exteri fatentur. Originem autem illa ducit ex venis, quæ terras ſabuloſas percurrunt, quod vel exinde probabile ſatis eſt, quoniam non niſi unicus in tota civitate deprehenditur puteus, cujus aquæ cum aquis Alleræ vel detumeſcunt, vel augentur. Quamvis autem regio, in qua urbs hæc ſita eſt, in ſe ſpectata elatior ſit, tamen reſpectu reliquarum, orientem verſus ſitarum, declivior eſt. Hinc aquæ verſus eandem copioſius ruunt, indeque fit, ut ſatis magna earum copia putei abundent. Eſt tamen quædam differentia inter has aquas, ita, ut interdum in una domo duplex occurrat, ex quo infertur, quod procul dubio venæ per diverſas terrarum ſpecies tranſeant.

Aqua ex puteis hauſta colore & ſapore eſt gratiſſima. Quædam tamen excipienda venit, quæ reſpectu aliarum in exteris terris, ſatis grata eſt, ſed noſtrarum intuitu ſapore minus eſt accepto. Taliusmodi & in celſiore urbis parte, auf dem Sandberge, & in depreſſiori, in der Fiſcher-Straſſe, deprehenditur. In genere autem, quæ ſalibus ſcatet, gratioris ſemper ſolet eſſe ſaporis, qualis inprimis in media urbe & ſeptentrionali ejus parte hinc inde occurrit.

Hydrometrum ei ad gradum quintum, imo ſextum immergitur, id quod vix in pluviali contingit, & idcirco non contemnendum bonitatis ſignum præbet. Huc accedit, quod a frigore vix alteretur, ſiquidem ſub eodem commode adſumi & in ore detineri poteſt, absque tamen ulla perquam moleſta frigida ſenſatione. Putarunt equidem aliqui, differre aquas noſtras ſecundum diei tempora; nos autem neque anni, neque diei tempora diverſitatem qualemcunque inferre deprehendimus.

Examinavimus porro aquas haſce per ſic dicta reagentia, indeque ſequentia obſervavimus: Gallæ pulveriſatæ injectæ colorem earum non alterant, manifeſto indicio, nullum ibi latitare vitriolum, aut ſpiritum proſapiæ vitriolicæ. Neque etiam ſpiritus vitrioli mutationem qualemcunque iis inducit, quod indicat, non adeſſe merum & purum quoddam alcali, aut terram alcalinam. Nonnullæ neque a ſyrupo violarum, neque a ſale tartari per deliquium ſoluto, quod oleum nominatur, in colore mutantur. Quædam autem, & quidem plurimæ earum, quibus cum inveſtigationem talem inſtituere potuimus, ab hoc oleo tartari per deliquium

evadunt

evadunt turbidæ; ex quo satis patet, easdem continere terrestres & salinas quasdam subtiles particulas. Aliquæ quoque a Syrupo Violarum in superficie levem concipiunt viridem colorem. Hoc phænomenon quidem, secundum hactenus receptam plurimorum opinionem, principium alcalicum in aquis latens prodere debet; quoniam vero ante plures jam annos contrarium edocti sumus, atque præcipue alii viri celeberrimi, uti *HENCKELIUS*, *NEUMANNUS* atque in Suecia Dn. *HIÆRNE* demonstrarunt, non indicari proprie per viridem colorem a Syrupo Violarum aquis inductum, particulas alcalicas, sed in nonnullis terrestres quoque ac sal culinarium; difficulter autem indicari potest, a quonam principio viridescens hic color in aquis Verdensibus proveniat, utpote quæ omnino quidem particulas terrestres, non vero sal culinare in sinu suo fovent; interim tamen ex aliis tentaminibus clarius adparebit, quidnam hoc proprie sit.

Certi enim ex hisce experimentis redditi, quod aqua in multis talibus puteis sit prosapiæ mineralis, euaporationem quoque ejus instituimus, quo ex remanentia pateret, quidnam speciatim ea contineat. Hac igitur facta deprehendimus, quod quædam in libra una medica saltem tria grana habeat intimius immixta; quædam etiam quatuor. Durante hac evaporatione nihil aqua mutatur; si autem illæ evaporantur, quæ quinque aut sex continent grana, tunc, si ad dimidiam usque partem peracta fuerit evaporatio, sal in superficie jam fit conspicuum. Illa tandem, quæ decem grana contentorum salino-terrestrium postmodum præbet, statim post incalescentiam monstrat in superficie cuticulam variegatam, salis manifestum indicium, quod magis adhuc conspicuum est in illa, quæ una in libra sedecim grana abscondita habet. Hæc enim earum, quas investigavimus, maxima est quantitas.

Residuum hocce est quoad maximam partem salinum; & quoniam in minoribus illis portionibus separatio a terra non commode fieri poterat, hinc majores pro hoc scopo adsumsimus, atque in residuo sedecim granorum, salium grana duodecim, terræ autem quatuor, & in illo, quod decem erat granorum, salium octo & terræ duo obtinuimus grana. Ipsum vero hoc sal ita separatum diversæ dein indolis, tum ex sapore, tum etiam sub injectione in carbones deprehendimus. Quoddam enim magis alcalinum saporem monstrabat, non tamen purum; atque tale inprimis occurrebat in illis aquis, quæ parciori in quantitate id continent, & idcirco puriores reputantur. Proximius ergo accedit ad indolem salis cujusdam medii, v. g. Tartari vitriolati, aut arcani duplicati. Proinde etiam facile solvitur hocce

ce ſal, non tamen totum deliqueſcit, ſed quædam pars remanet, ſaporem non admodum ſalinum exhibens. Inde adparet, ſal alcali facile ſecedere a terra, ſiquidem alcalica ſalia citius ſolvuntur, quam media. Adſervavimus dein hæcce ſalia itemque reſidua nondum ſeparata in capſulis chartaceis, in quibus ſcriptura atramento facta mutata quidem fuit, ratione coloris, non tamen prorſus deleta, quod ab acidis alias evenire ſolet.

Certum hinc eſt, ſpiritum quemdam acidum non contineri in hiſce aquis, cum inſuper neque per ſaporem, neque per injectas gallas ſeſe prodat. Interim tamen in ſale abſconditum adhuc eſſe quoddam acidum, exinde eluceſcit, quoniam non eſt purum alcalicum, ſed potius medium, & inſimul indolis adhuc peculiaris: Salia enim media, uti ſal commune, tartarus vitriolatus, &c. prunis candentibus injecta crepitant, & quædam illorum plane immutata perſiſtunt; noſtrum autem ſal ſimiliter carbonibus impoſitum ſtatim, prævio emiſſo fumo, vel fluit, vel accenditur cum aliquo fulgore. Sunt equidem nonnulli, qui ad cognoſcendum nitrum in aquis contentum requirunt, ut Spiritus nitri inde queat deſtillari, quos inter inprimis Celeberr. *SEIPIUS* referri meretur. Illuſtris autem *HOFFMANNUS* in totum plane negat, dari nitrum in aquis mineralibus, & hinc ſaltem nitrum illud vocat calcarium, in quo etiam *LISTERUM, WEDELIUM* & *BERGERUM* conſentientes habet; interim tamen Dn. Hiærne dudum pronuntiavit, aliquas aquas puteales eſſe nitroſas. Vulgo quoque noſtræ aquæ, quæ præ aliis ſunt minerales, a vulgo vocantur nitroſæ, forte a quodam docto viro ita edocto. Cur igitur ſal illud non adpellabimus nitrum, ſeu nitroſum, cum proprietatem inflammabilitatis habeat. Quoad ſaporem quidem magis cum nitro antimoniato convenit; ſed hoc carbonibus injectum non deflagrat, unde noſtrum peculiare adhuc prædicatum meretur, & hinc cum prædictis celeberrimis Viris etiam nominari poterit *Nitrum calcarium*.

Nihil tamen refert, quo nomine veniat; ſatis eſt illud deſcripſiſſe. Reſtat ergo nunc terra examinanda. Hæc plerumque alba & alcalina eſt. Magnes ex ea martiales quasdam particulas attrahit, ſed in minori ſaltem quantitate. Terra cum ſale juncta ſaporem exhibet magis adhuc alcalicum, quam ſi ſal ab ea ſeparatum eſt. Proinde etiam a minerali hacce qualitate dictarum aquarum procul dubio dependet, quod quædam ex illis ſub coctione turbulentæ evadant, unde etiam plebeii tales pro cibis parandis non adhibent, ſed puriores ſeligunt, quibus etiam non deſtituuntur. Perſpici hoc quoque inde poteſt, quod quædam cereviſia lac coagulet, ſi id cum ea coquatur, nec minus quod ova non ſatis diſſolvi in ea poſſint,

quod omnino aquæ adſcribi debet, quoniam aliæ cereviſiæ tale quid non monſtrant. Quamvis autem Verdenſes incolæ ejusmodi nitroſas aquas non adhibeant ad coctionem tamen innoxias eas eſſe judicamus, quoniam nihil continent, quod qualecunque inferre queat damnum. Interim ad conſueta infuſa & decocta herbæ theæ & fabarum Coffee puriores adhiberi omnino poſſunt. Illæ autem, quarum libra una tantum grana ſex ſalis & terræ continet, absque noxa & ſaporis depravatione culinaribus uſibus generaliter inſerviunt.

Salubribus igitur gaudere aquis Verdenſes cives, ex hactenus adductis ſatis ſuperque patet. Notum enim eſt, quod aquæ qualitercunque minerales tum ſanis, tum ægrotis conducant. Vehiculum quippe partium mineralium, aquæ elementum leviſſimum & puriſſimum eſt, talesque aquæ dein facile per corpus tranſeunt. Nitrum calcarium virtutem habet viſcidos humores diſſolvendi. Terra alcalina, una cum exiguis martialibus particulis humores acidos abſorbet, quæ virtutes in aliis aquis mineralibus maxime extolluntur. Illæ vero, quæ parum ſalis continent, ob ſolam puritatem & levitatem ſe jam ſatis commendant. Loquitur proinde ipſa experientia, quod ordinarie bonus effectus virtutem aquarum excipiat. Qui enim homines aliunde adveniunt, & retentione urinæ interdum laborant, ſi per aliquot dies hicce degunt, infuſum theæ & cereviſiam ſecundariam bibentes, copioſam inde obtinent urinæ excretionem. Sic etiam nullum nobis innotuit exemplum de calculo veſicæ grandiori in quopiam ſubjecto invento, vel obſervato, qualia tamen exempla Bremæ non admodum rara ſunt. Exinde ergo per rationem & experientiam ſufficienter confirmatur, quod aquæ, quibus Verdenſes utuntur, omnino inter ſaluberrimas ſint numerandæ.

Putealis itaque, uti jam monuimus, communiter in uſum vocatur; interdum tamen expedit fluvialem Alleræ adhibere, quoniam fluviales molliores & tepidiores ſunt, præſertim æſtate, hinc ad emolliendos cibos quosdam, uti piſa, piſces marinos, &c. præferendæ ſunt tales putealibus. Refertur autem Allera inter Germaniæ fluvios, qui mediæ ſunt magnitudinis. Prima ejus origo, quantum quidem novimus, eſt incerta & ſolum in genere Ducatui Magdeburgenſi adſcribitur. Præter uſum, quem navigatione præſtat, inſignem quoque præbet ob piſces, quos magna in copia fovet. Alveus ejus tortuoſe flectitur, ad inſtar Havelæ. Quantum de ea innoteſcit, quousque navigabilis eſt, non flui per petroſa, ſed ſabuloſa & juncoſa loca, & quamvis ſerpentino ductu progrediatur, tamen motus aquarum non eſt rapidus, ſed lentior, id quod ad alendos piſces multum omnino

nino facit. Color aquarum ad fuscum vergit, plerumque tamen simul satis sunt claræ, nisi diutius pluviæ terram inundaverint, aut Leina limum suum illis insinuaverit, tunc enim turbidæ sunt & straminei coloris, ad instar Visurgis.

Allera quando alveum suum excedit, agros non fœcundat, quoniam non secum vehit ejusmodi limum, qui ob salia & qualitatem unctuosam fertilitatem adferat, uti Visurgis, quæ copiosa animalium stercora absorpsisse creditur, quorum intuitu multum ad fœcunditatem confert. Interim vix vero est simile, quod Allera fœcunditatem prorsus auferat, nisi eo sensu, quod arenis terras tegat. Interim quamvis hæc aqua Alleræ non adeo pellucida sit, tamen hydrometrum admittit usque ad gradum quintum. Spiritus vitrioli, nec non oleum tartari per deliquium eandem plane non mutant, sufficienti indicio, non adesse in ea sal aliquod alcali, neque terrestres particulas intimius ipsi nuptas; quoniam, quæ turbidam eam faciunt, aliunde saltem sunt admixta. Syrupus violarum è contrario in superficie aquæ vitro exceptæ levem producit viridem colorem. Indicavimus vero jam superius, incertos nos esse, quidnam proprie hoc designet, quapropter etiam ad hoc jam attendere non Jubet. Patet interim ex hisce productis, quod aqua sit levis, ideoque ad emolliendum & lavanda lintea apprime vtilis. Est quoque plerumque pellucida, & quoniam anguillis scatet, hinc etiam propterea, judicio *PLINII Lib. XXXI. cap. 3.* salubris est reputanda. Id interim adhuc addimus, aquas nivales Hercyniæ, quæ mediante Okera & Leina Alleræ infunduntur, tertio demum die, quando a montibus Hercyniæ delapsæ sunt, urbem hanc præterlabi. Alveus vero Alleræ non procul ab urbe terminum suum habet, dum nimirum parallelo fere ductu initio Visurgi jungitur, ita, ut utriusque aqua prope se invicem fluat, neque statim commisceatur: Dicunt enim nonnulli, quod interdum etiam adhuc prope Bremam utraque aqua adhuc a se invicem queat discerni. Illo certe in loco, quo junguntur, satis aperte distinctio talis patet. Hæc de Allera.

Secundus fluvius, qui Verdensem districtum transit est Visurgis. Usus hujus, quem incolis nostris præstat, in eo potissimum consistit, quod nonnullos agros exundatione fœcundet, pisces præbeat & navibus cursum præstet; ad culinarem autem usum non adhibetur, etiam vix a rusticis prope ipsum hunc fluvium habitantibus. Origo ejus itidem hei: loci non satis est nota, generaliter saltem constat, quod in confiniis Hassiæ atque Franconiæ oriatur. Per satis magnum terrarum tractum alveum suum ille perducit, ut hinc inter fluvios Germaniæ majores locum obtinuerit.

Color aquarum ejusdem est plerumque flavus, ipse vero fluvius admodum turbidus, quoniam rapido suo cursu terram argillosam absorbet, quam in agris deponit, iisque sic fertilitatem conciliat. Ex quibusnam autem terris argillam istam ordinarie abradat, huc usque non constat. Interdum tempestate serena, per plusculos dies durante, aquam vehit similiter pellucidam, sicuti Allera. Quemadmodum autem aqua Visurgis neque ad ciborum coctionem, neque ad lotionem apta est, ita & putei nonnulli fluvio huic propinquiores ad ejusmodi usum similiter sunt inepti, ut hinc rustici, qui ex fertilitate agrorum, a Visurgi proveniente, pinguiores dicuntur, dicke fette Masch-Bauren, plerumque salubri non gaudeant aqua. Pisces in Visurgi capti non tam grati sunt saporis, quam illi, qui ex Allera obtinentur, quoniam hæc puriorem vehit aquam. Plura de hoc fluvio adducere non possumus, quoniam ob ejus distantiam reliqua indagare non licuit. Hinc etiam nos latet, an in sabulo micas aureas contineat, quæ in nonnullis Germaniæ fluviis, per montosas regiones fluentibus, deprehenduntur.

Præter hos fluvios magnos regio civitati Verdensi propinqua non caret rivulis & fluviis minoribus, qui non minus, ac majores, pisces alunt non contemnendos, minori tamen in copia, sicuti etiam nec Visurgis eis abundat, utpote quod magis & proprie Alleræ tribuitur. Hi rivi non fluunt per loca petrosa, quamvis nonnulli per colles delabantur. Primus ex illis est rivulus molendinorum, der Mühlen-Bach, ab ortu versus occasum vergens, paucosque pisces continens. Oritur hic prope pagum *Scharenberst*, qui milliare circiter ab urbe est remotus. Multiplici sui collectione illum præstat usum, ut aliquas molendinarum rotas agat, dein serpentino ductu Alleræ infunditur. Rivulus inter pagos *Eitzen* & *Boste* occurrens, vix memoratu est dignus, quoniam parvulus tantum est; exoneratur itidem in Alleram, fluens a septentrione versus meridiem. Ille autem, qui oritur in præfectura Rehtenburgensi, cursumque suum versus pagos, *Speckel*, *Kerckiintel*, dirigit, dein molendinum Weiden vel Weißen-Mühle dictum, circumagit, ac tandem prope *Eitzen* Alleræ se insinuat, non adeo est parvus. Fluit itidem per declivia, sed solum non valde est petrosum, interim tamen truttas majores & minores boni saporis alit, quamvis non copiose; quoniam non semper in alveo suo naturali, sed ductibus arte factis vehitur. Tandem rivus adest pone *Ahnbergen* & *Wahnbergen* qui, per varios anfractus in planitie ista decurrens, statim Alleræ miscetur, vernoque tempore aquis magis abundat, quam æstivo. Hæc de fluviis & rivis. Superest tandem unicus fons, de quo existimo, quod

quod ſponte non proſiliiſſet, niſi foſſa ibi facta fuiſſet. Ea enim in regione ſtatim ſub cruſta terræ aqua invenitur. Quidquid interim ſit, quoniam ſub valle in foſſa provenit non procul a porta orientali, hinc fontis titulum obtinuit, atque aqua ejus, dum fontana communiter ſalubrior reputatur puteali; idcirco hic quoque ſanitati magis convenire creditur, quam alia; licet de reliquo nulla alia gaudeat prærogativa, niſi quod puritate, ſubtilitate atque levitate præ nonnullis putealibus, quæ ſalinas atque terreſtres continent particulas, ſe commendet. Nihil enim hæc aqua mutatur a reagentibus; Syrupus violarum leviter tantum in ſuperficie eam reddit viridem; poſt evaporationem unius libræ remanent duo tantum grana ſalis cujusdam ſaporis fere nitroſi, parum tantum amariuſculi, quod carbonibus injectum ſtatim Nitri inſtar deflagrat. Exinde facile patet, convenire contenta hujus aquæ cum illis, quæ in putealibus inveniuntur, atque ob minorem horum quantitatem ſaltem iis puriorem eſſe.

Aquis hactenus enumeratis merito nunc ſubjungimus deſcriptionem *Cerevisiæ*, de qua ſimiliter, quoniam aqua multum ad ejus proprietates confert, aptus hic agendi eſt locus. Ejus quidem conficiendi ratio nobis exacte non eſt nota, certum tamen eſt, polentam ex ſolo hordeo paratam, ad eandem capi, quod non, uti Goslariæ moris eſt, in tabulato quodam tepido ſuperiori ad germinationem diſponitur, ſed in cella ſubterranea, uti & *Walsrodæ* in uſu eſt. Polenta hæc torretur dein mediante igne & fumo, ſed maxime fumo, neque tamen fumum ſapit cereviſia, uti *Gardelegienſis* & aliæ. Lupuli majorem ordinarie quantitatem ſub coctione addunt, quam Goslariæ, ſpecies vero cereviſiæ tres tantum per reiteratam polentæ cum aqua coctionem, parare ſolent, nempe primam, ſeu *primariam*, ſimpliciter Bier dictam, ſecundam, aut *ſecundariam*, quæ Halb-Bier, & tertiam, quæ Trinken vocatur. Nullum autem eſt dubium, quin cereviſiæ coctores artificium noverint, cereviſiam melioris notæ, quam quidem ordinaria eſt ſibi comparandi & adſervandi, quemadmodum etiam quilibet incolarum primam & ſecundam ſpeciem ita miſcere poteſt, prout palato & ſanitati ſuæ id convenire autumat; publice autem ex ædibus non niſi unica ſpecies venditur, quæ inſuper etiam non adeo magni eſt pretii, dum e contrario Bremenſis atque Goslarienſis varii ſunt pretii.

Quamvis autem cereviſia hæc Verdenſis, diverſa aliquatenus ſit tum ratione modi conficiendi, tum intuitu aquæ & per conſequens etiam ſaporis & virtutis, ea tamen indiſcrete coloris eſt fuſci, ſæpe quoque non admodum clara, ſaporis plus vel minus amari, & idcirco plerisque peregrinis eſt nauſeoſi, præſertim, ſi non in ampullis vitreis, aut lapideis, ſu-

bere obturatis adservata fuerit, utpote quæ semper gratioris est saporis. Habet proinde illa virtutem nutriendi, insimulque non admodum flatulenta est, ob lupuli flores, in satis magna quantitate additos. Constat quoque per experientiam, non retardâri urinam in his, qui cerevisiam hanc bibunt, sive incolæ fuerint, sive advenæ. Notandum vero insimul est, speciem quandam (forte & plures, quæ mihi nondum cognitæ sunt,) hujus cerevisiæ lac coagulare, quando cum illa coquitur, & ova, si eadem pro jusculo conficiendo adhibetur, non satis in ipsa dissolvi, id quod a sale nitroso provenire deprehendi, siquidem aquam, ex qua hæc cerevisia coquitur, illius grana novem in qualibet libra continere, evaporatione edoctus fui.

Ceterum negandum haud est, cerevisiam hanc, speciatim primariam admodum saturatam spissamque esse, & hinc litteratis minus convenire, quoniam in iis citius, quam aliis robustis, caput & ventriculum gravat. Virtutem enim inebriandi eidem inesse facile ex eo liquet, quod libræ duæ ejus a rusticis haustæ, spiritus excitent, plures autem, quatuor nempe vel quinque adsumtæ, illos titubantes reddant, etiamsi satis robustæ fuerint constitutionis. Qualitatem autem hanc eidem potissimum a Lupulo conciliari existimo, utpote qui secundum diversitatem ætatis, aut loci, in quo prognatus fuit, magis vel minus sulphure vaporoso & narcotico abundat. Id enim cerevisiæ coctoribus ita simpliciter imputare nequaquam audeo, quod vulgari circumfertur rumore, eos nempe præter Lupulum insimul quoque addere herbam *Post* dictam, quæ hic loci est *Cistus Ledon, foliis laurinis*, (quam in aliis locis etiam Rorismarini foliis vidi) hæc enim, quemadmodum & absinthites cerevisia, nisi corrigentia addantur, ob conjunctum tale sulphur stupefaciens, capiti perquam est noxia. Patet hinc, cerevisiam Verdensem communem etiam minus convenire febricitantibus, calculo vexatis, scorbuticis, hypochondriacis, cholericis, dysentericis, corpore teneriore capiteque debili præditis, itemque frequentioribus cephalalgiis obnoxiis. Interim tamen in plerisque his affectibus (sola dysenteria excepta, quæ optimam etiam cerevisiam non facile admittit,) absque ulla metuenda noxa, admitti potest cerevisia secundaria, dummodo sufficienter illa fuerit cocta & defecata, quod vero cum rarius fiat, hinc etiam eadem tunc rarius in usum trahitur, sed ditiores plerumque aquam cum vino mixtam, & reliqui triticeam illam, quæ vulgo *Breyhana* vocatur & aliunde huc defertur, substituere solent, licet hanc ultimam iis, qui semel Verdensi cerevisiæ adsueti sunt, minus adhuc convenire deprehendamus.

Ultimo

Ultimo tandem loco, antequam tractationi huic de Verdensibus aquis finem impono, mentio etiam facienda erit fontis cujusdam medicati, de quo ultimis ante discessum meum temporibus fortuito referebatur, quod ejusdem virtus ante aliquot annos quidem innotuerit, dein vero iterum neglecta fuerit. Idcirco igitur mearum esse partium duxi, ut paulo exactius fontem istum examinarem, an ea adhuc gaudeat virtute, quæ antea ipsi adscripta fuit, an vero eandem amiserit, hacque occasione talem illum inveni, qualem nunc sum descripturus.

Est vallis quædam prope Verdam, quam rivulus perluit, cujus jam supra mentionem feci, qui molendinorum nonnullorum rotas circumagitat, hincque nominatur **der Mühlen-Bach**, vallis vero ipsa inde **der Mühlen-Thal** adpellatur. Prope ergo unum horum molendinorum, quod **die neue Mühle** vocant, scaturigo medicatæ hujus aquæ deprehenditur. Prosilit autem illa ex colle, non exiguo, arenoso, orientem versus, & quidem interdum non uno ex loco, unde dein varii exinde consurgunt rivuli; tunc vero temporis uno saltem in loco ad digiti circiter altitudinem prorumpebat, dubitandum tamen haud est, quin pluribus in locis exitum invenisset, si terra remota fuisset. Mineralem autem prosapiam hujus aquæ, statim indicat ochra, quæ in rivulis ad lapides & gramina deponitur, atque coloris flavi & saporis terrei parum adstringentis est. Ulterius vero eandem qualitatem confirmant sequentia: Aqua non ita est pellucida, uti pluvialis, sed albida; sapor ejus aperte convenit cum illo Pyrmontanæ, in qua tamen major percipitur aciditas, quam in nostra, interim tamen quilibet gustu statim percipit vitriolicum quendam acorem. Gallæ injectæ prope fontem illico rubrum aquæ induxerunt colorem, ast non plane puniceum; permansit tamen color iste satis diu absque immutatione. Cum vero aquam hanc domum ferri curarem in vitro, ob suberis defectum saltem charta obturato, ibidemque post unicam circiter horam idem hoc experimentum repeterem, ruber ejusmodi color in ea non adparuit. Solutio vitrioli nullam in ea producebat mutationem. Ab admixto Syrupo violarum saturate viridis emergebat color. Oleum tartari per deliquium pelluciditatem leviter tantum immutabat; spiritui autem vitrioli nullam mutationem inferebat. Hydrometrum aquæ recenter haustæ immissum primo non multum mergebatur, post aliquam vero moram sensim usque ad gradum quintum descendebat. Mercurio sublimato, itemque etiam Sacchharo Saturni adfusa aqua non mutabatur, quod similiter post adfusionem spiritus salis ammoniaci vinosi contingebat; ast Lacca musica injecta illico purpu-

purpureo rubellum induebat colorem. Conchæ inditæ nullam efficiebant effervescentiam, quemadmodum etiam aqua calcis vivæ admixta pelluciditatem hujus aquæ non turbabat.

His peractis etiam evaporationi eandem subjeci, utque tanto citius hujus ope finem meum adsequerer, sumsi aquæ tantum uncias sex, quas fornaci imposui, & sic humidum omne lenissime secedebat. Quamquam autem jubente & suadente Dn. D. *Kuntzio*, in dem Bericht von dem Oelberschen Brunnen, tribus vicibus non mutaverim vasa, tamen lenta hacce & cauta evaporatione contenta æque accurate obtinui, quam secundum illius procedendi modum, siquidem etiam alias sæpe in evaporatione aquarum observavi, salia & partes terreas seorsim aut ad fundum, aut ad latus secessisse. Sub hac itaque evaporatione non statim in superficie cuticula adparebat, uti in putealibus quibusdam aquis Verdensium, sed abacta demum parte dimidia. Sedimentum exsiccatum miculas splendentes monstrabat, coloremque obscure albicantem; pondus ejus duorum tantum granorum, & sapor terreus ac leviter amaricans erat. An miculæ istæ splendentes martialis aut salinæ fuerint indolis, determinare non audeo; hoc vero adfirmare possum, magnetem ex hoc sedimento aliquid attraxisse, quod similiter fuit pellucidum, ad instar materiæ seleniticæ, cum qua etiam universum sedimentum microscopio subjectum conveniebat. Interim, licet in hoc sedimento unico tali experimento ferrum non potuerit exacte demonstrari, inesse tamen aquæ illud exinde luculenter adparet, quia ex ochra aquæ magnes aperte miculas ferri attrahit. Remanentia ista porro carbonibus candentibus injecta, sine fluore aut crepitatione in nigrum mutatur pulverem. Porro etiam institui comparationem dictæ ochræ cum croco martis, mediante calcinatione parato, & cum conchis, adfundendo singulis his spiritum Vitrioli, qui neque cum ochra, neque cum croco martis effervescebat, sed solummodo cum conchis aceto saturatis. Interim tamen hanc inter crocum illum & ochram deprehendi differentiam, quod spiritus vitrioli hanc solvat, odoremque suum acidum quoad maximam partem retineat, crocum vero intactum relinquat, & simnl fœtorem, qualis in cavernis metallicis observatur, adsumat, qui vero successive evanescit.

Ex omnibus hisce allatis merito nunc concludere licet, aquam hanc esse mineralem, ususque non plane contemnendi, licet Dn. D. *Steigerthal*, autumet, eam tantum de genere illarum esse, quas *Moor-Wasser* vocant. Verum equidem est, dari talem aquam in udis & paludosis locis, quæ cuticulam variegatam monstrant, ac saporis sunt adstringentis

&

& ingrati, neque etiam negandum eſt, haſce aquas eſſe mineralis proſapiæ, ſeu ad minimum aliquantum martiales, quoniam ex Turfis conſurgunt, qui ſine dubio aliquid de minera martis interdum continent, quamvis per experimenta exacte id probari non queat. Obſtat autem inprimis adductæ ſententiæ Dn. D. *Steigerthalii*, quod noſtra aqua non proveniat ex locis paludoſis, quæ ſimul Turfis ſunt referta, ſed quod ex arenoſo colle ſcaturiat, inſuperque quoad plurima requiſita cum aliis aquis mineralibus conveniat. Poſſet etiam aliquis eam pro ſimpliciter martiali venditare, ad inſtar Lauchſtadienſis, ſed præferenda tamen eſt huic, quoniam color Syrupi violarum inde in viridem mutatur, quod non æque fit a puris martiatis. Convenit igitur magis cum Pyrmontana, ita tamen, ut eadem, longe debilior ſit, ob minorem contentorum copiam. Subtile vitriolum illi ineſſe probant gallæ, hocque ex ſententia Dn. D. *Lehmanni* martiale magis eſt, quoniam color a gallis inductus non ater eſt, ſed ruber; vitriolum autem tale mox diſparere, ſpiritumque illum acidum facile in auras abire, exinde patet, quoniam poſt unam alteramve horam color talis non amplius a gallis producitur. Tandem etiam, cum referente Dn. D. *Hiaerne*, aqua calcis vivæ omnes alias aquas turbidas reddat, præter ſolutionem Veneris, ac illas, quæ ſal calcarium continent, exinde, quod hæc noſtra non fuerit inde turbata, ſequitur, ſal ejusdem etiam eſſe calcarium, ſive ſeleniticum, ut a quibusdam vocatur.

Nunc ab experientia etiam demonſtrari deberet, quibusnam in morbis utilis fuerit hæcce aqua; hæc vero, quantum quidem conſtat, adhuc deficit, quoniam illorum nullus indagari a me potuit, qui ante aliquot annos ſalutari cum effectu aquis hiſce uſi fuerunt. Quodſi tamen experimenta repeterentur, dubitandum utique non eſſet, quin aqua hæc ſimilem cum alia martiali, imo adhuc majorem præſtitura ſit uſum, quoniam cum Pyrmontana proximius convenit, & per ſubjuncta alia congrua auxilia effectus ejus quadantenus debilior facillime exaltari poteſt.

CAPUT III.

DE LOCIS.

TRactanda nunc ſunt in ultimo hoc capite ea, quæ de Hiſtoria naturali Verdenſi adhuc dicenda reſtant, videlicet ſitus regionis, terræ conditio, victus ratio, incolarum domicilia, ætas, morbi & alia, quæ idcirco etiam, in quantum nobis innotuerunt, ſubjungemus.

Urbs Verda sita est in gradu 53. & minuto 13. latitudinis, longitudinis autem 28. 54′. Cincta olim fuit terris ejus Episcopo subjacentibus, sed postquam præfectura Wehstensis inde separata fuit, hanc habuit vicinam, & per consequens ditionem Sereniss. Ducis Cellensis in regione meridionali & occidentali; ad orientem vero & septentrionem sita est præfectura Verdensis, sicuti hæc ex mappa geographica cuilibet fiunt perspicua. Exstructa est dicta hæc urbs ita, ut longitudo ejus extendatur a meridie ad septentrionem, latitudo autem, quæ multo minor est longitudine ad regionem occidentalem & orientalem vergat. Circa latus occidentale præterfluit fluvius Allera, quem excipit terra pinguis, *Masch* dicta, ad quartam usque milliaris partem extensa. Visurgis hanc dividit, & trans illam iterum plerisque in locis est terra pingui, præcipue in præfectura *Hoyensi* & *Tedinghusana*. Alterum latus ad orientem & septentrionem cingitur illa regione, quæ *Geest* nostratibus audit. Est vero Geest, quasi dicas *Güst*, h. e. sterile. Constat enim hæc regio vel ex ericetis, vel sabulosis terris, inter quæ hic illic interjacet terra quædam humidior & sulphurea, ex qua Turfi eruuntur. Tales regionum constitutiones, quamvis in Ducatu Brunsuicensi & aliis elatioribus terris Saxoniæ inferioris non conspiciantur, in septentrionalibus tamen ejus circuli satis sunt notæ.

Ericeta maximam partem hujus tractus tegunt. Est vero Erica nunc humilior, nunc etiam altior, secundum soli, uti mihi videtur, differentiam. Nullum est dubium, quin & Ericeta coli possint; constat vero etiam, quod quædam terra fertilior sit præ alia, quæ forte laborum sumtus non ferret, qualis mihi videtur fusca illa, in qua quasi flos vitriolicus, aut aluminosus conspicitur. Quod interim ita inculta jaceant Ericeta, dependet a caussis tum physicis modo adductis, quibus accedit, quod solum nimis interdum sit saxosum; tum etiam ab aliis politicis & œconomicis. Hoc tamen non obstante omni utilitate non plane destituitur hæc terra Ericis adeo repleta, siquidem & ovibus & apibus alimentum præbet, hisce tamen copiosius, quam ovibus, quod ex ipsarum habitu satis est conspicuum, quoniam gramen, quod inter Ericam crescit, tenuius est, neque eam alimentosam virtutem habet, qua illud in sylvis & montosis locis proveniens gaudet. Effluvia tamen ex Ericetis provenientia non possunt esse insalubria, id quod vel ex ipso melle luculenter adparet, utpote quod copiose ex iis colligunt apes, manifesto sane testimonio, quod etiam aër, similibus effluviis refertus, nequaquam damnandus sit.

Succe-

Succedit his porro ſabulum, cujus intuitu incertum utique eſt, an ea regio ſemper ita conſtituta fuerit, an vero olim itidem quoque Ericam protulerit. Dantur enim quædam loca, quæ & hodie non niſi ſabulum monſtrant, & tamen culturam admittunt, ſi ſtercoratio ſimul in ſubſidium trahitur. Inprimis autem hoc ſingulare videtur circa hanc urbem, quod regio iſta arenoſa, æſtivo tempore valde exſiccata, tamen ſi ad duos tantum digitos transverſos arena removeatur, humida colorisque fuſci ſit, quod ab exhalationibus aquæ, qua hæc regio abundat, absque dubio dependet. Hujus rei ignarus merito miratur, arenam quaſi exuſtam, tamen fructus horæos & olera ferre. Non minus etiam ſingularem meretur attentionem, quod hæc regio, *Geeſt* dicta, bis in anno fertilis ſit: Quando enim peracta eſt meſſis, tunc varia genera graminis illa profert, quæ paſcua conſtituunt; quod alias nequidem in terris pinguioribus Ducatus Halberſtadienſis, Brunſuicenſis, &c. ita deprehenditur. Sunt tamen grana frugum utique minoris bonitatis, quam quæ in modo dictis regionibus progerminant.

Porro etiam circa urbem hanc varii occurrunt colles minores, ex quibus patet, dari & in hac regione ſtrata quædam terræ, quæ autem, quoniam profundiores putei, uti in montibus pro eruendis metallis fieri ſolet, non excavantur, idcirco etiam ratione qualitatis & numeri ignota manent; occurrere tamen hinc inde ſtratum ſaxoſum, cui fundamenta nonnullarum ædium majorum ſuperſtructa ſunt, hæ ipſæ domus probant. In ipſis illis minoribus collibus conſpicitur terra fuſca, nigra, ſolidior, vel dehiſcens, cum flore nonnunquam albo, quam idcirco martialis & ſimul vel aluminoſæ, vel vitriolicæ proſapiæ eſſe, probabiliter judicamus, quamvis ſpecialius eandem examinare non placuerit, ob parciorem inde expectandum uſum. Conſpicitur quoque proinde in ſummitatibus horum collium juncus, qui alias paludoſa amat loca, unde non absque omni rationis fundamento ſuſpicari licet, ſtrata hæcce per inundationem illam primam & univerſalem, in ſacris litteris indicatam, producta eſſe, ſub qua dein terra lutoſa in ſuprema ſuperficie remanſit. Interim tamen nihil in illis deprehenditur de marinis petrefactis. De cætero terra ſabuloſa circa Verdam non ubique ita eſt ſterilis, ut nihil, præter Ericam, proferat, ſed alit quoque alias herbas, & inter eas quasdam alexipharmacas, uti Serpillum, idque copioſe, Scabioſam, Hypericum, Melilotum, Barbam caprinam, ſeu Ulmariam, circa loca aquoſa, Valerianam, Millefolium, &c. Et quamvis etiam hæc terra minoris ſit fer-

tilitatis, tamen cum in arando ibidem laborem minorem requirat, utique hac ratione aliquatenus compenſat lucrum, quod alias fertilior, majori cum labore præparanda, adfert.

Iis in locis, quæ decliviora ſunt, & ubi aquæ magis confluunt, pinguedo quædam colligitur intermixta cum ſulphure, quod cum terra & radicibus ericetorum variisque herbis, foliis, ramuſculis & muſco combinatum conſtituit Turfos. Hi proprie nihil aliud ſunt, quam ceſpites bituminoſi, ſi per ceſpitem intelligitur non tantum ſuperficies terræ gramine tecta & in forma quadrata exſecta, ſed & aliud corpus terræ quadrangulum profundius erutum, ſubſtantiæ præ illis magis bituminoſæ. Ejusmodi regiones humidæ dicuntur *Moor*, per quas nulla peregrinantibus patet via, niſi quando æſtas easdem exſiccavit. Differentia eſt inter has terras tum intuitu ſulphuris, cujus nunc plus, nunc minus continent, tum etiam reſpectu ipſius ſubſtantiæ, quæ magis vel minus lutoſa, aut ob radices perreptantes poroſa eſt. Quoddam etiam illorum ſulphur magis præ alio eſt fœtidum, uti in pago *Campen*. Optimi ceſpites exiſtimantur, qui in pago *Holten* reperiuntur, quippe qui & compacti ſunt, neque tamen cinerem terreum relinquunt, neque fœtent, & quorum carbones diu ignem fovent. Interim vero dicta hæc regio ſanas exhalationes edere non poteſt, ſiquidem experientia confirmat, quod in quibuslibet terris udoſis nunquam ſalubris aër deprehendatur.

Supereſt nunc tertia ſoli ſpecies, quæ vocatur *Maſcu*, vel *Maſch-Land*. Nominis hujus etymologiam ipſe etiam celebris ille Juriſconſultus HAKMANNUS invenire haud potuit, uti fatetur in opere ſuo *de Aggeribus*, adeoque de illa in præſentiarum nihil monere poſſumus. Denotat autem *Maſch* terram pinguem & fertilem, lutoſam ſimul interdum, & quidem, quantum huc usque obſervavi, quæ facta ab aquis inundatione, fertilitatem accepit, unde etiam ea tantummodo circa flumina majora reperitur, & quidem heic loci intra Alleram & Viſurgim. Multo eſt fertilior præ terra, quæ *Geeſt* dicitur, ſimul vero etiam frigidior & humidior, neque facile fert ſiccitatem & æſtum aëris, quoniam lutum inde redditur compactum, ut humiditatem dein non facile recipiat. Multas interim illa protrudit herbas, hinc pinguia præbet paſcua pro ovibus, porcis, bobus & equis; exhalationes vero ejusdem, & pingue illud, quod hominibus æque, ac brutis, præbet pabulum, procul dubio ſunt in cauſa, quod frequentius ſenes reperiantur in ſterili illa *Geeſt*, quam in hac opima, id quod ex relatione viri ſpectabilis, in id olim inquirentis, mihi innotuit.

Circum-

Circumdata igitur est Verda solo non plane eodem, id ipsum vero non parum ad salubritatem aëris facere, palam est, quoniam quæ unus ventus forte adfert heterogenea & noxia, illa alter iterum corrigit. Siligo, qui in terra, quam *Masch* vocant, deficit, & triticum, quo regio *Geest* caret, aliunde importatur. Exhalationes ex terris siccis & sabulosis emendantur iis, quas pinguis terra præbet. Situs urbis est elatus, omnesque venti eam perflant, unde ille omnino salubris esse judicatur; quod etiam ad solem ea sit extructa itidem jam patet, adeoque & iis, quæ in vallibus densiorum sylvarum sitæ sunt, merito præferenda erit. *GALENUS* quidem dum hortorum aërem damnat, regionem circa urbem nostram quæ hortis non destituta est, pro minus salubri declararet, sed absque sufficienti fundamento, cum præter innocentem illam ex hortis capiendam voluptatem, plura omnino ex herbis & floribus odoriferis, quam ex putrescentibus proveniunt effluvia.

Domicilia in urbe magnificentiæ nomen tueri nequeunt, sunt tamen hodierno tempore ad vitæ commoditatem satis apta reddita, secundum cujusvis nempe conditionem. Hypocausta prope terram extructa communiter inhabitare solent incolæ totius Saxoniæ inferioris; cubicula tamen ita adornata non adeo sunt salubria, ob effluvia terræ ibidem copiosiora & humidiora, quam in superioribus contignationibus. Proinde etiam non pauci, ex infima inprimis plebe in ipsa area somnum capere solent, id quod, licet alias majorem adhuc sanitati offensam pariat, hyemali inprimis tempore, huic tamen hominum generi, utpote duriori vitæ adsueto, vix unquam obest, nisi forte sub intensiori frigoris gradu. Inprimis vero sanitas quam maxime læditur, vel ad minimum eximie retardatur, quando ægroti in præfectura Rotenburgensi, ob plenarium hypocaustorum defectum, in area decumbere coguntur: quamvis enim lecti asseribus undique sint muniti, nequaquam tamen præcaveri potest, quo minus aër frigidior intra illos penetret. Pro calefaciendis autem hypocaustis præcipue in usu sunt Turfi, qui etiam non adeo sunt noxii, nisi sulphur fœtidum exspirent. Interim tamen iisdem præferenda unt ligna, utpote quæ non tam copiosum, nec etiam adeo noxium emittunt fumum, sicuti Turfi, quorum fumus ordinarie gravior est, atque, nisi aër sit frigidior, in auras plane non elevatur, sed potius in cavernas se abscondit, insuperque plane ineptus est ad carnes & farcimina exsiccanda & condienda, quin potius iisdem saporem admodum ingratum & fauces moleste adficientem imprimit.

Victus incolarum Verdensium, quoad plurima convenit cum eo, qui in reliquis Saxoniæ inferioris regionibus usitatus est; magis vero differt ab eo, qui circa sylvam Hercyniam observatur. Sic v. g. fabæ minores ibi frequenti sunt in usu, quas alibi non nisi porcis projiciunt, quibus acceptissimus est cibus. Maxima autem intuitu panis observatur differentia, siquidem heic loci mere Westphalicus est, ibi autem juxta morem in superiori Saxonia receptum, confectus, nempe fermentatus deprehenditur. Licet autem per experientiam abunde constet, quod grossior & nigricans talis panis nullum sanitati detrimentum adferat, negandum tamen non est, quod stomachi delicatiores eum non ferant; hinc Verdenses ipsi infantibus ante quintum annum eum non præbent, nisi forsitan pauperculi fuerint. Non minus etiam hoc peculiare in hisce & Westphalicis observatur terris, quod inferioris sortis homines lac frequentissimo habeant in usu, idque coagulatum & cremore orbatum, non coctum, & quidem absque ulla noxa, licet alias æstivo tempore, in tanta copia adsumtum, facile diarrhœas & dysenterias accelerare queat. Fortassis etiam crebrior hic usus in causa est, quod rustici raro ruffos & fuscos, sed plerumque albos & flavos capillos in capite monstrent, lac enim sanguinem non reddit calidum, sed magis temperat, quorsum etiam accedit, quod in planioribus locis plerumque homines magis albicantis sint coloris, quam in montosis, ubi adscendendo & descendendo sanguinem nimium exagitant, sudoresque copiosiores eliciunt.

Porro etiam incolis nostris pro victu sunt olera, quæ nunc quoque Verdæ diligentius coluntur, quam olim, inprimis Brassica rubra, quæ magna in copia ibi occurrit, quam adeo sanitati conducere quidam autumant, ut etiam non indigere Medico talem regionem judicent, ubi illa frequentiori est in usu. Brassica vero capitata alba, vel muriatica infrequens magis est plebejisque plane inusitata, id quod etiam sanitati magis conducit, quam nocet. Ex animalibus pleraque, quæ in victum cedunt, ipsis suppetunt; notandum tamen est, quod utplurimum vitulina caro non tam grati sit saporis, sicuti in aliis locis, quoniam lacte dulci non nutriuntur, id quod etiam vel exinde facile confirmatur, dum nempe, si vitulus sponte id sugat in pascuis, magis etiam sapida tunc ejus deprehenditur caro. E contrario vero ovilla caro melioris heic loci est conditionis, quam circa sylvam Hercyniam, quoniam Verdenses lac omne agnis pro nutrimento concedunt, nescientes forsitan, quod tanta in copia emulgeri queat, ut butyrum & casei inde conficiantur, vel id ipsum etiam

ovibus ipsis noxium fore reputantes. Desunt hinc Verdensibus casei ovilli, itemque caprilli, quoniam capræ saltem paucissimæ aluntur, & quidem non nisi pro valetudinariis lacte earum sanitatis gratia utentibus: Pauci igitur sunt, qui pretium statuere valent istis caseis. Quoad reliquos cibos haud adeo magnus observatur defectus, dum pisces marini aliunde in copia adferuntur, cervi vero Zellis mittuntur; soli tantum cancri paulo carioris sunt pretii. Ceterum adsunt gallinæ, pulli, anates, anseres, domestici ac rurales, columbæ, palumbi, attagenes, perdices, lepores, avium nonnulla genera, non tamen tot, quot circa sylvam Hercyniam occurrunt. Inprimis autem fluviatilibus piscibus abundat regio Verdensis, id quod & exteris non ignotum est, utpote ad quos modernis hisce temporibus magna in copia mittuntur, ut & sæpe indigenis vel deficiant, vel tamen majori in pretio veneant. Sunt vero piscium tot genera, ut in quolibet fere mense novum quoddam adponi possit: Hieme enim præsto sunt Mustelæ, *Quappen*, Carpiones, vel alii his similes, *Aland-Fische* dicti, itemque *Saperda*; Vernali tempore frequentiores sunt Gobii, Alburni, Erythrini, *Roth-Federn* dicti, Barbones & Soleæ; durante æstate Anguillæ, Lucii & Percæ; autumno autem alii, quos *Brassen*, *Rund-Fische*, *Radau*, &c. vocant, & per integrum annum minores quidam, *Bläcken* dicti. Proinde etiam in rivulis interdum Truttæ, & in Allera Salmones, ast non prope Verdam, capiuntur; Carpiones autem, vel cyprini in piscinis aluntur. Lucii plerumque mediæ tantum magnitudinis sunt. Percæ vero & gobii ab ægrotis aut delicatulis inprimis comeduntur; alburnus denique & minores illi, *Bläcken* nominati, pro utilissimis habentur, quamvis & hi non admodum mali sint saporis. Nullus ex omnibus his piscibus insalubre præbet nutrimentum, nisi forsitan excessus committatur, quo respectu in genere etiam frequentior piscium usus nocet.

Considerato nunc victu ordinario Verdensium, superest adhuc eorum constitutio, tam ratione sanitatis, quam morborum iisdem magis familiarium.

De naturali ipsorum statu vix quidquam dicendum restat, præterquam quod plerique corpore satis robusto gaudeant, & ad omnis generis injurias sustinendas satis dispositi & firmi existant. Hoc tamen non obstante variis quoque pro diverso vitæ genere subinde obnoxii redduntur morbis. Hos inter inprimis frequentius occurrit *Phthisis*, maxime in juvenili & virili ætate, ad quam excitandam inter alia forsitan etiam Tur-

forum

ſorum fumus multum conferre poteſt. Occurrunt etiam inter illos non pauci calculoſi, ſpeciatim vero *renum calculo* laborantes, cui procul dubio copioſus lacticiniorum uſus, cereviſia craſſior, & in quibusdam aquæ lutoſæ favent. Non raro etiam obſervatur *Scorbutus*, qui, cum navigantibus inprimis quaſi proprius ſit, & heic loci ab aere humido & victu craſſiore originem trahere poteſt, id quod vel exinde confirmari videtur, quoniam anno 1735. & 1736. non inter plebejos tantum, ſed & inter complures melioris conditionis deprehendebatur, atque tunc tempeſtas humida magis, & ipſo hiemis initio tepidior erat. Porro etiam *febres intermittentes* ſatis copioſe, ſed magis inter ruſticos, quam civitatis incolas obſervavi, unde probabile eſt, utplurimum ad eas conferre lacticinia, diætam inordinatam & planitiem udoſam, quæ ſimiliter etiam in cauſa eſt, quod Guelferbyti eædem valde ſint frequentes. Tandem quoque multi hic deprehenduntur *gibboſi*, aut aliis *conformationis vitiis* laborantes, quæ tamen potius negligentiæ matrum circa faſciationem infantum commiſſæ, quam aliis cauſis adſcribi debet. *Strumæ* vero, quæ incolis Hercyniæ ſylvæ maxime ſunt familiares, inter Verdenſes rariſſime conſpiciuntur.

Hæc ergo ſunt, quæ de ſtatu naturali urbis & regionis Verdenſis obſervare & adnotare mihi licuit. Aequum nunc eſſet, ut coronidis loco ea adhuc adjicerentur, quæ quoad tria Naturæ regna curioſa æque, ac utilia ibidem occurrunt; aſt cum ratione vegetabilium & animalium præ aliis regionibus nihil plane peculiare habeat hæc noſtra, de minerali pauca tantum adduci poſſunt, cum illud exiguas heic loci præbeat divitias. Lapides figurati & marina petrefacta prope Verdam non inveniuntur, in præfectura vero Tedinghuſana hinc & inde colligi poſſunt. De aliis quoque lapidibus, pro exſtruendis ædificiis neceſſariis, tantum haud ſuppedit, quantum requiritur, lapides vero calcarii & ad gypſum coquendum idonei prorſus deficiunt, ac aliunde adportari debent. Limus quidem in ſufficienti præſto eſt quantitate, argilla autem minoris eſt bonitatis. Silices non niſi pauciores & minores, itemque lapides cornei, variorum colorum, ſeleniticus lapis, ſeu Spatum & exigua marmoris fruſta undique quidem occurrunt, exiguum vero uſum præſtanr. Omnium vero jam enumeratarum rerum defectus, cum ex vicinis locis facile & non adeo magnis ſumtibus reſarciantur, ſatis hinc patet, quod de felici ſuo ſtatu nihil fere decedat laudatæ huic Verdenſi regioni.

TANTUM.

ALBERTI RITTER
GYMNASII REGIO-ILFELDIACI PRO-RECTORIS ET SENIORIS, NEC NON ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM MEMBRI

SPECIMEN I.

ORYCTOGRAPHIAE CALENBERGICAE

SIVE

RERUM FOSSILIUM

QUAE SUB ADPELLATIONE RERUM NATURALIUM PLERUMQUE VENIUNT,

ET IN DUCATU ELECTORALI BRUNSVICO-LUNEBURGICO CALENBERG ERUUNTUR,

HISTORICO-PHYSICAE DELINEATIONIS.

Gregorius Moral. LXXVI. cap. 8.

Veſtigia creatoris per hæc, quæ ab ipſo ſunt, ſequendo, imus ad ipſum.

§. I.

STatutum cum animo noſtro deliberatumque habemus, rogatu atque inſtinctu quorundam amicorum nobis honoratiſſimorum & amiciſſimorum, ſtudio naturali potiſſimum, noſtrisque in hoc conaminibus, cum Naturæ Curioſis hactenus communicatis, faventium, deſcribere lapides figuratos, & quæ inſuper memorabilia & notabilia in Terra Hannoverano-Calenbergica occurrunt; quo magis nunc ad hocce humanitatis officium nos devinctos putavimus, propter plurima optimaque bona, quibus fruiti ſumus per ipſos triginta annos, quos his in terris Brunſuicenſibus commoramur, tandemque in illis, provida ſummi benigiſſimique Dei directione ſingulari, præter opinionem ſpemque noſtram, ſtationem firmam invenimus, eo lubentius, ad teſtificandum animum noſtrum gratum, id qualecunque officii in nos ſumſimus. Inſiſtemus vero eadem noſtra veſtigia, quæ in ſuperioribus Scriptis a nobis publicatis preſſimus, videlicet ſecundum ordinem geographicum recenſebimus omnia, præcognitis quibusdam præmiſſis, ad majorem rerum intelligentiam facientibus.

§. II.

Ducatus *Calenberg* jacet intra & circa duo flumina notiora Saxoniæ inferioris, *Viſurgim* & *Leinam*. Hanc regionem, cum aliis proximis, priſcis temporibus incoluerunt Cheruſci, (*a*) gens omnium Germanorum veterum validiſſima, bellicoſiſſima, famigeratiſſima, quorum Dux Arminius, vir fortis ac ſtrenuus, tres legiones Quintilii Vari (*b*) ducis Romani fortiſſimas A. M. 3959. vel A. C. 10. in ſaltu Teutoburgienſi interfecit, quare ipſe pectus ſuum ex deſperatione gladio transfixit; etiam hoc nuncium fatale & triſte Romam perlatum, cum perveniſſet ad aures Cæſaris Auguſti, ſic eum commovit, ut per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo incederet, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare Legiones redde*! diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem. Rudera ſatis ampla & conſpicua arcis ſedisque Arminii

g 2 adhuc

(*a*) *CLUVERII* Germania Antiqua libr. III. cap. 19.

(*b*) Cognomen *Varus* Romanæ nobili familiæ Quintilianæ propter naturæ vitium, quia plures in ea curvis contractisque cruribus, vel obtortis plantis, tollfüßig, ſchlämsfüßig, fuerint, auctor eſt *PLINIUS libr. II. cap. 45.*

adhuc hodie supersunt in monte, qui hinc audit *die Hermannsburg*, in ipsis finibus Pyrmontano - Lippensibus ad fluvium *Emmer*, haud procul Pyrmonto, quam Carolus M. vastasse fertur. (c) Confines habet hodierno die ab Oriente Episcopatum Hildesiensem, a Meridie Ducatum Brunsvicensem & Comitatum Pyrmontanum, ab Occidente Comitatus Lippensem & Schaumburgicum, a Septentrione Comitatum Hoyensem & Ducatum Lüneburgicum. In hoc Ducatu, Calenberg, sunt Abbatia Imperialis libera *Loccum*, cujus Abbas Primarius Provincialis status est; porro Monasteria Virginum religionis Protestantium, quæ simul tot Præfecturæ monasteriales, pro foro suo agnoscentes Cameram-monasterialem Hannoveranam, nominatim Marienvverder, Wunstorf, Mariensee, Barsinghausen Wennigsen & Wülfingshausen. (d) His præfuerunt quondam *Dominæ*, quibus vero Rex Angliæ & Elector Brunsvico-Luneburgicus, Georgius I. clementissime adscripsit titulum *Abbatissarum*, sub cujus felici regimine etiam pleraque dicta cœnobia novissime & splendide sunt exstructa; præterea habet Præfecturas Electorales, nimirum Calenberg, Coldingen, Ricklingen, Blumenau, Grossen Muntzel, Neustad am Rubenberg, Wœlpe, Rehburg, Lavenau, Hallerspring, Wittenburg, Lauenstein, Hastenbeck, Oehsen, Gronde, Bodenvverder, Polle, Ertzen, denique Præturam, vulgo die Vogtey Lichen, & Præturam præfecturalem, die Amts-Vogtey Langenhagen, ultima est sub mandato & ditione Magni Prætoris, communiter Groß-Vogt, munus certe in Ducatu Lüne-bur-

(c) *TACITUS* libr. I. Annal. cap. 55. 65. idem Libr. II. Annal. cap. 45. *FLORUS* libr. IV. cap. 12. *SVETONIVS* in Vita Octavii Augusti cap. 23.

(d) Adducta monasteria & Abbatias fundaverunt:

Loccum, Wulbrand, Comes Hallermundanus, A. C. MCLXIII. vel ut alii volunt MCXLVII regnante Cæsare Friderico Barbarossa.

Marienvverder, Conradus, Comes Rhodensis & Wunsdorpiensis, A. C. MLXIV.

Wunstorf, Dietericus, Episcopus Mindensis A. C DCCCLXXVI.

Mariensee, Bernhardus, Comes Wœlpensis A. C. MCCLV.

Barsinghausen, Widekindus, Comes Schvvalenbergensis & Gottschalcus, Comes Pyrmontanus A. C MCCIII.

Wennigsen, cujus fundator incertus, itemque annus fundationis; monasterium virginum 2. mill Hannov. distans; in veteri quodam diplomate adpellatur *Wenneßen* & *Wevelsen*. conf. *Polyc. LEYSERI* Hist. Comitum Wünstorpiensium, Edit. recentior. p. 50.

Wülfinghausen, Eques Oddieroda A. C. MCCXXXV.

neburgico magnificum & utile, quippe cui parent duodecim Prætores Nobiles, totque Præfecturæ quæstuosæ; Burg-Vogtia autem est in urbe Cella, flumini Alleræ adsita.

§. III.

Terra hujus regionis multiplex & varia, plerumque limosa & pinguis, segetibus idonea, quodammodo humida, præcipue quæ fluminibus adjacet, quæ facile magna fiunt & vehementia, ripasque superant suas, quando imbres maximi, aquæve e multa nive dilutæ defluunt, (e) hinc prata sunt fertilissima, quæ pecoribus pabula benignissime subministrant, nonnulla terra arenosa, apta culturæ hortorum, modo plana, modo montosa & sylvestris. Ex sylvis præcipuæ sunt der Deister, der Linds-Burger Wald, propter venationes & lignationes; insuper ad alendum ignem a rusticis proximis Lüneburgicis multa Turfa, itemque pro fabris ferrariis carbones fossiles ex comitatu Schaumburgico importantur; caret quidem cultura vini atque metallis nobilioribus & utilibus, verum enim vero primam inopiam duo emporia florentissima, Hamburgum & Brema, alteram fodinæ metallicæ Hercynicæ ditissimæ compensant.

§. IV.

Aquæ notabiliores erunt das Steinhuter Meer, cui adjacet oppidulum *Steinhute*, & est lacus cœnosus, aliquot horas circuitu emetiens, qui abundat varii generis piscibus, præcipue in illo, ni fallimur, pisciculi minores, qui raro digiti longitudinem superant, dicti *Stinte*, (*f*) rectius *Stincke* nominares, propter odorem minus svavem & jucundum, quem late spargunt, copiose capiuntur; hi sale conditi, recentesque farina involuti & butyro tosti, bonum & titillantem præstant saporem.

(e) Hoc malum omnino universæ Europæ, etiam his terris fatale, triste, lugubre, notavit notabitque seros ad posteros annum præteritum MDCCXL, quo inundationibus fluminum antea inauditis, tempestatibus procellosis horribilibus innumeræ milliones damni sunt factæ, multa centena navium in mari & fluminibus fracta, submersa, multa millia hominum, pecorum fluctibus obruta, miserrime vita privata, totæ regiones eversæ, plures urbes, oppida, pagi vastati, dejecti, deleti.

(*f*) Hi pisciculi non commiscendi cum animalculo vix absimili lacertæ ejusdem nominis, *See-Stint*, *Stincus marinus* dictum, quod est amphibium, & incola maris Tusci, carens odore, inserviens stimulationibus.

Fluvius *Visurgis*, qui ex confluentia Fuldæ & Werræ ad urbem nobilem florentemque mercatura Ducatus Gœttingensis, *Mindam*, ortum sumit, seque exonerat in mare Germanicum, commodissimus navigationi, etiam piscatu nobilis, inprimis captura Esocis delicatioris ad Hamelam, munitionibus fortissimis, officinis variis præclaram urbem.

Linius fluvius, qui oritur in provincia Thuringica, quæ audit das Eichsfeld, prope oppidum hujus primarium, *Heiligenstadt*, seque effundit in fluvium Alleram, piscibus variis suavibus dives, ripas habet demissas, hinc sæpius inundatione sua agris & pratis adjacentibus damnum adfert; hunc navigabilem reddi posse, docuit navicularius Bremensis, qui nave cibariis onerata, præsente aula regia, MDCCXL. Hannoveræ adparuit.

Rivus, *die Aue*, fontes habens suos ad oppidulum præfecturale *Lunau*, & rivus *die Haller*, ad oppidulum præfecturale *Hallerspring*, vel simpliciter dictum *Spring*, scaturiens, sese infundunt in flumen Leinam.

Rivus, *die Hamel*, ad præfecturale oppidum *Hamelspring* oriens, & rivus, *die Humme*, ex Comitatu Lippensi profluens, sese conjungunt cum Visurgi flumine.

Aquæ medicinales heic loci nullæ, etiamsi aquæ salubres Pyrmontanæ, fama satis celebratæ, (g) scaturiant in ipsis finibus Calenbergicis meridionalibus.

Fontes salinarii, in oppidulo nomen inde gerente *Saltzhemmendorf*, Præfecturæ *Lauenstein*. Hi quando incœperint scaturire, vel quo tempore sint detecti, plane non constat, quæstuosi pro Camera Electorali & incolis oppiduli, quibus potissimum aluntur & sustinentur.

Liquidum denique *in nigro rufum* effluit e fonte, qui est in radice montis Desteri, distantis ab Hannovera circiter quindecim millia passuum versus meridiem, non recta, sed ad occasum, quod bitumen clarissimæ fontis aquæ innatat; sunt verba *AGRICOLÆ libr. I. Fossil.*

§. V.

Hæc præfati rem ipsam nunc adgredimur, & ut supra demonstratum est, observabimus ordinem geographicum nobis hactenus consvetum in Oryctographiis, quas jam publici juris fecimus, initium igitur faciet.

Hannovera, urbs totius Electoratus Brunsvico-Lüneburgici primaria, nobilissima, optime ædificata, flumini Leinæ adsita, antiqua, a Duce Sa-

(g) De his legi meretur Excellent. D. *Joh. Phil. SEIP*, Consiliarii Aulici & Archiatri Waldeccensis *Pyrmontische Mineral Wasser*, Hannov. 1740. forma octava.

Saxoniæ, Alberto 1371. muro septa & privilegiis exquisitis donata, ut & ab Ottone Puero, Duce Brunsvicensi, quondam Hanseatica, a brachio fluminis dicti in urbem veterem & novam divisa, quæ altera 1714. ab Electore Georgio Ludovico accepit jura urbana, vallo valido, fossa aliisque munitionibus necessariis cincta, jacet in plano, & in amœnitatibus orarum, inprimis tibi dabunt maximam voluptatem horti ad urbem cultissimi, & sylvula jucunda proximaque, proceris arboribus & fruticibus consita, nominata *die Ellgerie*; superbit ædificiis publicis magnifice exstructis, nimirum arce satis ampla, supellectili pretiosa ornata, cum templo suo, (*h*) amphitheatro, gazophylacio ditissimo, vere regio; (hæc cum jam scripsissemus & prelo typico subjicere constituissemus, fama tristissima per omnes finitimas & longinquas terras percrebuit, de fatali incendio die X. Apr. anni currentis 1741. facto, quo repentino & crudeli Cancellaria civilis & militaris, Camera Electoralis, aliqua etiam arcis pars, unacum omnibus scriptis, irrecuperabile certe damnum, sunt consumtæ,) porro Cancellaria nova, domo procerum provincialium, curia urbana, armamentario instructissimo, palæstra equestri, stabulo aulico equestri; adhuc templis St. Georgii, St. Crucis, St. Aegidii, Neostadiensi, itemque reformato, & catholico; Bibliotheca regia, a B. *Leibnitio* undiquaque & studiose conquisita, in qua rara historiæ Brunsvicensis monumenta adservantur, (*i*) huic inserta bibliotheca B. *Molani*, Abbatis Loccumensis, egregia & præclara, octo millibus thalerorum emta, Bibliotheca vero Magni Prætoris *de Bülovv*, ultra 40000. Voluminibus constans, post hujus mortem novissime institutæ Academiæ Göttingensi 1734. donata. Olim heic quoque in Aula Loccumana non sine animi delectatione lustrabamus B. Abbatis *Molani* Collectionem raram, sumtuosam, ad quindecim millia thalerorum æstimatam, monetarum antiquarum, modernarum, præcipue historiam domus Brunsvicensis concernen-

(*h*) In hoc adservantur antiquitates Romano-catholicæ, pretiosæ, ex Terra sancta ab Henrico Leone 1172. Brunsvigam, inde vero huc translatæ 1671. a Duce Johanne Friderico; vide *MOLANI Lipsanographiam, sive Thesaurum reliquiarum Electoralem Brunsvico Lüneburgicum*, qui prodiit Hanoveræ 1713. Exemplar hujus, pergamenis membranis nitide inscriptum, ab Auctore Clementi XI. Papæ Romano oblatum, & bibliothecæ Vaticaneæ illatum.

(*i*) De hoc testantur *Godofr. Guil. LEIBNITII* Tomi tres scriptorum Historiam Brunsvicensem illustrantium, Hannoveræ 1707. publicati.

nentium, *(k)* itemque ejus Technophylacium, variis artificiis & naturæ singularibus refertum; attamen etiam nunc videri utique meretur Collectio lapidum figuratorum, rerumque naturalium plurimarum, Excellentissimi Domini D. *de Hugo*, Consiliarii Aulici & Archiatri Anglicano-Regii, singularis & eximia. Huic loco debemus primam inventionem potus incolis Saxoniæ inferioris gratissimi & communissimi, a suo inventore, *Cord Broihan*, Zythopœo, nomen gerentis *Breyhan*, vulgo Weißbier, 1526. primum cocti, de quo Poëta:

> Grandia si summo fierent convivia cœlo,
> Breyhanam superis Jupiter ipse daret,

& alius de tempore, quando Breyhana optimi est saporis:

> Mensibus erratis cancrum o mensæ fugiatis,
> Mensibus erratis chara Brihana sapis;
> Brühan cum crescis, cancrorum cauda vilescis,
> Cancros dum haud capis, en chara Brühana sapis. *(l)*

Ad latus septentrionale fluminis Leinæ, cui impositus est pons lapideus, pagus *Linden* situs, ab urbe dicto flumine sejunctus, in quo Palatium magnificum Comitum de *Platen*, cum horto suo spatiosissimo & amœnissimo, *(m)* post hunc vero lapicidina utilissima, ex qua cæduntur pro erigendis in urbe ædificiis cæmenta, lapidesque calcarii, pro calce ex iis coquenda; varia offendimus in illa strata, in quibus & reperiuntur lapides figurati multiplicis generis, videlicet

Cochleæ marinæ majores tortiles petrefactæ, communiter *Strombitæ*, coloris cinerei, elegantissimæ, non vulgari modo tortæ, sed figuram habentes cylindricam, sive conoideam gracilem, cui spiræ sunt circumvolutæ. *(n)* Vid. *Tab. I. Fig. I.*

Cochlitæ minimi, vix acus globulum superantes, grysei, brunni, lutei coloris.

Lapides

(k) vid. Commentatio nostra Epistol. de Fossilibus & Naturæ mirabilibus Osterodanis 1734. publicata pag. 7. seq.

(l) Conf. D. *BRUCKMANNI* Catalogus omnium Potus generum, p. 8. &c.

(m) vide sis Oryctographiam nostram Goslariensem, pag. 16.

(n) quales *LACHMUND* in Oryctographia Hildesiensi pag. 46. describit depingitque.

Lapides lyncis vulgares & parvi.

Aſteriæ bene radiatæ, copioſe adſunt.

Lapides Judaici, a patria dicti, vel Melones petrefacti habiti, elegantes, rariores, ab apice verſus pediculum ſtriis articulatis ornati, magnitudine vix ac ne vix quidem ſemi pollicem transverſum emetientes, plerumque carent caulibus, rari cum illis occurrunt.

Oſtreæ minores petrefactæ copioſiores.

Selenites rhomboidalis, a figura dictus, quam retinet, etiamſi in particulas minutiſſimas diffrangantur, cujus color eſt ſplendens & vel perlucidus, inſtar glaciei Mariæ, vel utplurimum lacteus, obſcurus, nec perlucidus; uſtus convertitur in Gypſum optimæ notæ: Hunc tranſeunt venæ luteæ pulverulentæ, inſtar *ochræ*, forſan pictoribus uſui eſſet, ſi lavaretur, a quisquiliisque purgaretur ſuis. (*o*)

In agro Lindenſi 1736., non minorem in admirationem, fluere incepit *Oleum terræ*, quod adverſus varia externa mala & ulcera pernicioſa efficax remedium adhibitum, quæ res mirabilis ſchedula publica ad notitiam pervenit omnium, (*p*) verum enim vero, parvo temporis ſpatio præterlapſo, exaruit iterum.

In agris ad urbem vomere a ruſticis eruuntur *Lapides lyncis* admodum copioſi, nonnulli habent cavitates conicas, marga alba repletas, quam margam mulierculæ ruſticæ ſecundo rei eventu adhibent tanquam medicinam, quando vaccæ ſanguinem pro lacte reddunt.

Item *Echini* pileati, rotundi, aculeis ſuis privati, petrefacti, coloris albicantis, diverſæ magnitudinis, in tota ſuperficie punctulis & pelcis nudo oculo vix conſpicuis, quibus inhæſerunt aculei, animal cum viveret, notati.

In ripis Leinæ fluminis maxima copia leguntur *Lapides Lyncis* plerumque truncati; in iisdem quoque reperiuntur *particulæ* minores *Succini*, minus perlucidi, coloris albi, flavi, fuſci, nec dubitamus, quin majores ibi latitent, quando ejus venæ forte fortuna & cum tempore ma-

(*o*) Excellentiſſimus D. *BRUCKMANN*, acutiſſimus rerum naturalium interpres, in Epiſt. Itinerar. VII. Epiſt. Itin. XLVII. p. 8.

(*p*) Nachricht von der wunderbahren Oel-Quelle bey Linden, und derſelben Würckung.

gis aperientur; & *AGRICOLA lib. IV. Fossil.* scribit: Succinum e Destero monte effoditur.

Herrnhausen, secessus pro aula sane amœnissimus, unica horula ab urbe Hannovera distans, & versus occidentem situs, quo ducit via jucundissima, ad utrumque latus populis altissimis consita, quæ nocturno & obscuro tempore, præsente aula regia, lucernis ardentibus illuminatur, palatium est magnificum, optima ac elegantiori suppellectile exornatum, cum horto spatiosissimo, amœnissimo, lætis viridariis, flexibus, xystis, casis frondeis, theatro artificioso ex sepibus vivis, pomis aurasionensibus, ad quas arbores recipiendas hiberno frigidiore tempore duæ magnæ domus splendide exstructæ, arboribus aliis exoticis, floribus rarioribus suavissimis, tulipis lectissimis, præcipite aquæ lapsu jucundo, fontibus salientibus artefactis instructissimo, præ omnibus fons major omnino mirabilis, qui eructat aquam in altum ad centum & quinquaginta pedes, latitudinem diametralem trium pedum emetientem, opus molitoris Anglicani sane stupendum, antea inauditum, sumtuosissimum, plus namque tonna auri in eo est consumta, artificium vero constat in machina presloria, vulgo ein Druckwerck, ad brachium fluminis Leinæ ædificata, qua aqua propellitur in tubis plumbeis majoribus, ferrei enim sunt rupti, & pressioni aquæ vehementiori resistere nequiverunt; hortus est circumdatus alta lataque fossa, aqua & delicatis piscibus plena, cui innatant Cygni plures, qui tuentur & aluntur, cui etiam impositæ sunt naviculæ in aulæ delectationem. Hoc in paradiso terreno ambulans more sueto magna doctissimaque Princeps, hæres legitima coronæ Anglicanæ, *Sophia*, ex improviso, placide tamen, in sinu carissimæ suæ *Carolinæ*, nurus ipsius, quiescens, animam efflavit, inque paradisum cœlestem migravit; Magnus quoque Imperator Russiæ Magnæ, *Petrus I.* in itinere ad aquas salubres Pyrmontanas bis heic diversatus, & captus mirifica loci svavitate, per aliquot dies heic commoratus est.

Inter lapides, arenas, sabulum & terram, quæ ex fossis pro aqua ad machinas hydraulicas ducenda factis, effossa & ejecta, ipsi 1721. præsentes reperimus;

Lapides lyncis minores.

Asterias radiosos pentagonos pulcerrimos.

Echinitas. Particulas testarum echinorum dilaceratarum.

Corallia marina varia petrefacta, in lapidibus corneis diffractis.

Lapides

Lapides mathematicos, læves, politos, figura rotunda, ovali, triangulari, multangulari, reliqua (*q*)

Neostadium ad montem raparum, cognominatum, Neustadt am Rübenberg, oppidum cum arce in plano situm, quod præterfluit flumen Leina, tam urbem, quam arcem Dux Brunsvicensis Ericus Junior 1573. vallo peculiari valido, lataque fossa, non minus aliis munitionibus cinxit, nomenque huic novo munimento indidit *Landestrost*, sed nominatio hæc jam diu in oblivionem venit, etiam munitiones in singulos annos vetustate dilabuntur.

Ad hanc urbem in strato lutoso, argillaceo, nigroci, nereo, tenaci, latent *Ostreæ* petrefactæ, coloris cæsii, majores minoresve, maximam priorum in nostris scriniis adservamus, quæ ad manus nostras pervenit, & emetitur longitudine septem fere pollices, latitudine quatuor pollices transversos, in cujus superficie externa rugosa, hærent fragmenta adglutinata parvarum ostrearum.

In alio strato latent *Belemnitæ*, alias lapides lyncis, Germanis Donnerstrahl, Teufelsfinger, graciliores, plerumque fracti, duo ex his exemplaria possidemus adhuc integra, id quod rarissime evenit, in quorum extremitate parva cavitas conspicitur, qua inhæserunt corpori, videlicet echino marino, cujus aculei quondam fuerunt.

In alio, *Turbines* minimi naturales, formosissimi, quorum nonnulli propter parvitatem suam visum nostrum fugiunt, & vix nisi armato oculo capiuntur; jacent in superficie lapidis scissilis cani, admodum friabilis.

Turbines adhuc alii majores in lapidem conversi, eidem lapidi scissili friabili involuti.

Adhuc massa elegans ex meris *Turbinitis* petrefactis, variæ magnitudinis, constans, qui succo lapidifico & indurato coaluerunt in unum corpus; satis grandes tabulæ hujus ex insula, quam flumen Leina ad oppidum format, extrahuntur. Monuimus jam alio tempore data occasione, & in alio scripto, (*r*) crusta exteriore minime formosa horum turbinum abrasa, seu potius vi remota, (vix namque hic labor facile & sine læsione peragitur,) turbinem multo formosissimum & splendidissimum adparere, qualia

(*q*) Celeberrimi D. *BRUCKMANNI* Epist. Itiner. VII.

(*r*) Nimirum in Oryctographia nostra Goslariensi pag. 26. not. ff.

qualia petrefacta Bononia Italorum adlata solent esse, quæ nuper demum in manus nostras pervenerunt, & in scriniis nostris reposuimus. (*s*)

In alio, *globuli* cani, non admodum duri, in quibus, quando franguntur, adparet corpus quoddam rude, informe, splendentibus squamis nigris, piscium instar, tectum.

In alio renes, lapidei oblongi & crassi, coloris brunni, qui malleo dissecti scontinent integrum *gammarum marinum*, cum crusta, chelis & pedibus. In Museo Excellentissimi D. *de Hugo*, Archiatri regii, instructissimo supra laudato, aliquot harum exemplaria adservantur. Vid. *Tab. I. Fig. II.*

In alio, *Conchæ* bivalues minores, læves, partim testa sua privatæ, partim test a sua gaudentes, & quidem vel alba, vel nigra, vel lutea, vel brunna, vel ruffa, vel denique variegata, quales videntur in conchis maximis ad littora Hollandica, vulgo an den Schevelinger Muscheln, partim in matrice adhuc hærentes, partim quassatæ, partim testam confractam exhibentes, quæ tanta adsunt copia, ut currum quadrijugem illis onerare possis.

In alio, *Cornua Ammonis*, spiris intortis; ad instar cornu arietini.

In alio, insulæ in Leina flumine ad latus dextrum pontis sitæ, *Belemnitæ*, seu radii echinorum marinorum integri, & fracti; priores occurrunt rariores, posteriores vero frequentiores.

In alio, *lapides peculiares* albidi coloris, qui, quo nomine adpellandi sint, nos cum aliis, qui illos viderunt, ignoramus, ex meris parvis pyramidibus compositi, quarum unius basis apici alterius firmiter adglutinata.

In alio tandem strato *lapides* argillacei, politi, lævigati, perforati, *caveis rotundis & oblongis*, quos putes domicilia insectorum. (*t*)

Immo nullo non tempore aquarum impetus & inundationes alia rerum naturalium, antea incognitarum strata detegunt.

Calenberg, in monte sita, (*u*) ad cujus radices flumen Leina præterla-

(*s*) Elegantiora horum exemplaria ære nitide excusa nobis dederunt Venerand. D. *BYTEMEISTER*, in Catalogo suo Apparat. Curiosor. pag. 51. tab. 24. & Excellent. D. *BRUCKMANN*, in Thesauro suo subterran. Ducat. Brunsv. pag. 124. tab. 24 qui & specimen quoddam possidet, in quo singulorum Turbinitarum cavitates pyrite aureo splendente refertæ, seu quorum nuclei sunt pyriticosi.

(*t*) Excellentissimus D. *BRUCKMANN* Epist. Itiner. VII.

(*u*) De hac *MERIAN* in Topographia Brunsvic. pag. 65. scribit: *Calenberg* ein uraltes Fürstl. Braunschweig-Lüneburgisches herrliches, und unter allen des

terlabitur, arx antiqua, quondam munitissima, muris, turribus validis, altaque fossa, pro veterum muniendi more, cincta, tempore belli tricennalis pestilentissimi quidem ad aliquod tempus domui Brunsvicensi vi armorum erepta, sed simili jure a Duce Friderico Vlrico 1633. recuperata, & a Duce Georgio Wilhelmo optime renovata; priscis temporibus sedes quorundam Ducum Brunsvicensium, nominatim Wilhelmi Senioris, Friderici, Erici I. & Erici II. qui hinc Duces Calenbergici dicti; sub regimine Electoris Brunsvicensis Georgii Ludovici ob certam rationem status ad solum diruta, cujus ex ruderibus in valle sub monte jucundissima nova domus prætoria, cum ceteris ædificiis œconomicis, horreis, stabulis, aliis, splendide exstructa.

Hujus in agris leguntur:

Turbines majores, ex lapide calcario albicante constantes, quos delineatos videre poteris in celeberrimi D. *BRUCKMANNI* Epist. Itiner. (*vv*)

Belemnitae, sive radii echini marini frequentiores. (*x*)

In lapicidina, domum inter prætoriam & arcem vastatam, prope flumen Leinam reperiuntur *globi marcasitacei*, lapidi durissimo cano inclusi, nonnulli horum gibbosi, alii quasi torno facti, communiter ponderant sex vel octo semuncias.

Chamæ læves ex marga crebræ, in quibus laminas testaceas sibi invicem superimpositas, quarum successiva adpositione grandiores quondam factæ fuerunt conchæ illæ, oculis distincte cernere, immo, si lubet, facili etiam a se invicem licet separare negotio. (*y*)

Dens maxillaris major 1740. ex fodina argillacea erutus, ponderans quinque libras. (*z*)

In hac præfectura Calenberg jacent pagi sequentes:

Ahnsen, ubi in lapide calcario reperiuntur *Globi marcasitacei*, alias *Ova philosophica* dicti, læves ac rotundi, quasi torno facti, diversæ magnitudinis, interdum quoque duo sibi invicem cohærent; malleo diffracti splendent, color internus est argenteus, externus vero martialis, qui satis

h 3 indicat,

Fürstenthums Calenberg das vornehmste Amthaus; die Felder da herum sind an Acker und Wiesen sehr fruchtbar, mangelt ihm auch sonst an Fischerey und Holzungen gar nicht.

(*vv*) Epist. Itinerar. VI. tab. I.

(*x*) Celeberr. D. *BRUCKMANN* Epist. Itiner. LXV. pag. 4. 5.

(*y*) D. *ROSINUS* de Lithozois & Lithophytis pag. 8.

(*z*) Dn. *KEYSLERI* Neueste Reisen Tom. I. pag. 128.

indicat, pyritem esse ferreum & durabilem, nullum enim continet vitriolum. (*aa*)

Hallerburg, arce quondam munita famigeratissimus, quam permissu Ducis Brunsvicensis Wilhelmi Victoriosi, cives Hannoverani, Pattenses & Eldagsenses, multa mala inde perpessi, 1435. fregerunt atque fundamentis proruerunt.

In huic proximo colliculo, der Abrahams Hügel dicto, ipsi prætereuntes collegimus quondam *Trochos*, Räder Spongensteine, albissimos, elegantissimos, itemque *Asterias* formosissimas & singulares, acuminibus subrotundis, in superficie quoque stella, cælo quasi insculpta, conspicitur.

Altenstein, ubi inveniuntur *Terebratulæ striatæ* formosæ, majores minoresve, valua inferiore in oppositam partem reflexa. (*bb*)

Bandeln, in hoc nobiles de Bennigsen habent possessiones utiles. Cum horum domus nobilis ante aliquot annos noviter exstructæ fundamenta effoderentur, simul eruebantur duo *Ammonis cornua* majora *marcasitacea* elegantiora, latitudinem diametralem trium transversorum digitorum cum dimidio habentia. (*cc*)

Brügge, ipsi flumini Leinæ adsitum, in quo sunt prædia Nobilium de Steinberg egregia, saxa vastissima, ex meris *Trochis* conflata, ex hujus loci lapicidina exciduntur, quibus domos ædificare possis.

Landvvehrschencke, in agris finitimis *Lapides Lyncis* coloris lucido-cineracei, maxima copia inveniuntur. *Lauenstein*, arx in monte præalto exstructa, his nostris temporibus diruta & deserta, cujus rudera residua admodum conspicua supersunt, quæ priscis temporibus ad comitatum Homburg antiquissimum & celeberrimum pertinuit; ad montis radices jacet oppidulum præfecturale ejusdem nominis *Lauenstein*, in regione fœcundissima & uberrima, quæ ab incolis adpellatur die Lauensteiner Börde. (*dd*)

In hac præfectura siti sunt pagi:

Marienhagen, ubi in area communi villæ rusticæ rivulus oritur, qui simul, præsertim quando cœlum tonitrua & fulgura emittit horribilia, evomit

(*aa*) Curiosiss. D. *BRUCKMANN* Epist. Itiner. XXXVII. pag. 11.

(*bb*) quales describit depingitque *LANGIUS* de Lapid. figur. Helvetiæ pag. 161. *SCHEUCHZER* in Oryctogr. Helvet. pag. 299. seqq. Oryctogr. nostra Goslar. pag. 15.

(*cc*) Excellent. D. *BRUCKMANN* Epist. Itiner. VII. Tab. II.

(*dd*) *MERIANI* Topograph. Brunsvic. pag. 137.

evomit varia figurata marcaſitacea elegantiſſima; quæ ipſi præſentes ex indicato rivulo extraximus, ordine nunc recenſemus, & ſunt:

Cornu diverſi generis atque variæ magnitudinis, ultimum tamen vix in diametro excedit duos digitos transverſos, nimirum:

Cornu Ammonis eleganter ſtriatum & verrucoſum, cum ornamentis foliaceis & dorſo lævi. Vid. *Tab. I. Fig. III.*

Cornu Ammonis minus, ſuperficie plane lævi.

Cornu Ammonis, ſuperficie lævi, lineolis foliaceis plane ut dendrites pictum, quæ ramificationes nihil aliud ſunt, quam veſtigia articulationum cornu externa.

Cornu Ammonis, lineis ſimplicibus elatis & rectis, verſus dorſum curvatis præditum, cum dorſo lævi, quodammodo acuto.

Cornu Ammonis, lineis furcatis ſignatum, cum dorſo vel acuto, vel lato.

Cornu Ammonis, integris, ſeu per dorſum continuis ſtriis, iisdemque ſimplicibus & denſis inſtructum, in medio perforatum.

Cornu Ammonis, lineis furcatis & dorſo lævi atque lato præditum, inſuper per omnem volutæ ambitum gemina tuberculorum, aut verrucarum ſerie ornatum.

Cornu Ammonis, ſtriis elatioribus & unduloſis, habens ſpinam dorſi extantem articulatamque.

Cornu Ammonis ſubtiliter ſtriatum, armatumque pyrite ſplendente ſulphureo. *(ee)*

Lapides ſtellares minores, quinquangulares omnes, ſingulares & rariſſime occurrentes, nonnulli gaudent acuminibus præ. acutis, nonnulli ſubrotundis, etiam in utraque ſuperficie adparet ſtella articulatim & elate ſignata. Vid. *Tab. I. Fig. IV.*

Alveolus Luidii rariſſimus, marcaſitaceus, admodum ſplendens. Ibid. *Fig. V.*

Concha bivaluis, *ſtriata*, formoſa.

Concha bufonia, vel fluviatiles, vel *Muſculitæ*, vel *Mytulitæ* bivalues.

Conchæ venereæ minores, elegantiſſimæ, rariſſimæ, aliæ cruſta marcaſitacea inveſtitæ, aliæ naturales, ſed in lapidem converſæ, aliæ integræ & pulcerrimæ, aliæ compreſſæ, fractæ & inordinatæ.

Articuli

(ee) Horum delineatorum Cornuum Ammonis ectypa, æri eleganter & diſtincte inciſa, videre licet in Vener. D. *BYTTEMEISTER Catal. Cur. tab. XXII. fig. 268. ſeqq.* Excell. D. *BRUCKMANN* in *Epiſt. Itiner. XLIII. tab. I. & II.*

Articuli frequentiores *cornuum Ammonis* elegantiſſimi, cum ornamentis foliaceis, vel etiam ſine his.

Maſſa marcaſitacea adhuc inconditæ & imperfectæ, modo cornu, modo conchæ ſimilitudinem habentes.

Deſcripta figurata marcaſitacea carent vitriolo, hinc in perpetuum durant, nec ulli corruptioni obnoxia, ac illa ſolent, quæ Vitriolo imprægnata ſunt, & hinc facile ab aëre ambiente in pulverem rediguntur.

Trochi minores, *Dactyli Diabolici*, ſeu lapides lyncis nigri, in proximis agris leguntur copioſi, alter horum, quos poſſidemus, grandior, medium diffiſſus, includit minorem dactylum coloris badii & perlucidi, alter extrinſecus cavitate admodum conſpicua a vertice ad calcem præditus.

Saltzhemmendorf, oppidulum ad rivum Saale jam ſupra deſcriptum, ubi inveniuntur:

Conchæ læves, ſinuoſo margine præditæ.

Conchæ Venereæ. *Oſtreæ* minores, minimæ, argillæ incluſæ.

Maſſa lapidea, cui matrices concharum ſtriatarum minimarum eleganter & diſtincte impreſſæ.

Supra hoc oppidulo jacet ſylva, nominata der Oſter-Wald, in qua offenduntur;

Mytulitæ nitidi, *Lapides lyncis* coloris cinerei & badii.

Turbinitæ minores ſtriati, formoſiſſimi.

Cornua parva marcaſitacea, foliis eleganter picta, alia nodoſa; adhuc parva *cornua* lapidea, furcatis ſtriis notata.

Turbo etiam hinc nobis tranſmiſſus integer, ſane formoſiſſimus, helicibus diſtinctiſſimis præditus, longus eſt tres pollices & dimidium, latus in parte ſuperiore pollicem unum cum dimidio, jacet denudatus, utroque lapidis latere aperto, in matrice ſua, lapide nimirum calcario cinereo. Vid. *Tab. I. Fig. 6.*

Sulphur nativum formoſiſſimum, in lapide arenoſo albiſſimo latitans, coloris flavidiſſimi, ſæpius Succini inſtar perlucidum, hoc omnibus reliquis, quæ in noſtris ſcriniis adſervamus, vel umquam vidimus, optimo jure anteponimus; convenit prorſus cum ſulphure Bacciaco Helvetiæ.

Carbones foſſiles optimi. Ex horum fodinis Cameræ Electorali quotannis redeunt aliquot millia thalerorum; juxta has officina vitriaria

exſtructa

exstructa, atque cognominata die Lauensteiner Glaßhütte, cum domicilio bono, & aliis ædificiis ad usum necessariis, quæ propria & hæreditaria familiæ Bremerianæ; in hac paratur vitrum optimum, quod albedine & gravitate vitro Anglicano æquiparatur. Benevolus Lector nobis ignoscet, si hac optata occasione simul commemoramus, nos præsentes heic observasse vehiculum curiosum, cui loco rotarum adplicati coni decurtati, quod currebat inter positas duas trabes, hoc modo unicus vir, facili negotio & sine omni molestia, aliquot centumpondia ante se protrudere poterat. Hanc machinam debemus B. Abbati *Schmidio*, cujus fidelissimi quondam in Alma Julia Præceptoris nostri & hospitis, patroni non minus summi, cineres adhuc debite veneramur, quam monstravit auditoribus in Collegio suo Curioso, sibique primam ejus inventionem attribuit.

Pagus *Levedagsen*, ubi reperiuntur:

Lapides Judaici majores, minores, minimi, cum & sine petiolis, nomen gerunt a patria sua, Judæa, ubi in monte Carmel Syriæ, prope monasterium Brocardi, cujus cadaver modo his nostris diebus superest, ostenditur dictus campus melonum, in quo conspiciebantur quondam maxima copia, hodie sunt rariores, melones petrefacti, diversæ magnitudinis, qua de re mirabili fabula circumfertur, Prophetam Eliam suo tempore ab hortulano ejusdem loci rogasse melonem, qui, non melones, sed lapides esse, quos videret, Prophetæ frivole respondit, factum autem, ut omnes melones statim in genuinos lapides mutati sint. (*ff*) A *PLINIO* hic lapis nominatur *Tecolithos*, Steinschmeltzer, a Medicis enim efficax remedium habetur contra lithiasin.

Meimbrexen, ad hunc pagum inveniuntur:

Globi intus *crystallisati* in fossa argillacea, ejusdem fere generis, quales reperiuntur in fluvio Mulda Saxoniæ. (*gg*)

Mehlen, ad hunc leguntur:

Cornua marcasitacea minora, striis furcatis & verrucis eleganter ornata.

Cornua lapidea parva, foliata, lævia, nodosa, splendentia.

(*ff*) von *TROILO* Orientalische Reisebeschreibung, pag. 68. seq.

(*gg*) *MIHLII* Saxonia subterranea Part. II. pag. 4. seq.

Conchulæ lapideæ anomiæ, venereæ, minimæ, ſplendentes.
Conchulæ bufonum & rugoſæ, nitidæ.
Matrices cornuum parvorum, lapis eſt ſiliceus.

Arenſeld, hoc loco inveniuntur:
Aſteritæ quinquangulares & columnares elegantes.
Turbinitæ minimi, pulcerrimi.

Ertzen, oppidulum præfecturale, ad rivum *Greisheim* ſitum, cum domo prætoria & reliquis ædificiis œconomicis ex lapidibus noviſſime & belliſſime exſtructa; ad hoc ſunt fodinæ margaceæ optimæ, qua marga ruſtici agros ſuos loco fimi refovent, & agri hac redduntur fertiliſſimi; in his fodinis quoque offenditur ſtratum ochræ, quæ continet frequentiores globos marcaſitaceos, aculeatos, læves, cetera, a plebeiis Mergel-Nüſſe adpellatos, itemque cryſtallos elegantiſſimas, ſplendidiſſimas, (*bb*) quales & in finitimo Comitatu Pyrmontano, lapidi calcario cano, globoſo incluſæ, reperiuntur, (*ii*) inque agris ad oppidum Lude, & ad Arminii montem aratro erutæ, vel imbribus nudatæ leguntur.

Aſt pedem heic figimus, nec ulterius progredimur, brevior quum via delectet, longior ſit omnino moleſta, & quæ adhuc ſuperſunt, conſervamus in aliud iter curioſum, hunc in finem bono cum Deo ſuſcipiendum. De reliquo omnes atque ſingulos in terra Hanoverana rerum naturalium ſtudioſos & amatores ea, qua decet, obſervantia vehementer etiam atque etiam oramus & obſecramus, velint noſtrum propoſitum benevole juvare, ac nobiſcum ea liberaliter communicare, quæ pertinent ad Hiſtoriam naturalem Ducatus Calenbergici ſupplendam, eamque pleniorem conſcribendam, noſtra viciſſim illis officia qualiacunque offerimus, ſancteque promittimus, noſtris Hercynicis rebus naturalibus, ſane non vulgaribus, ipſa quidem re debite remunerare omnia.

AL-

(*bb*) De his vide ſis Schediasma noſtrum de Nucibus Margaceis 1740. publicatum.

(*ii*) Excellent. D. *SEIPIUS* l. c. pag. 253.

ALBERTI RITTER
GYMNASII REGIO - ILFELDIACI PRO-RECTORIS ET SENIORIS, NEC NON ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM MEMBRI

SPECIMEN II.

ORYCTOGRAPHIAE CALENBERGICAE
SIVE
RERUM FOSSILIUM
QUAE SUB ADPELLATIONE RERUM NATURALIUM VULGO VENIUNT,

ET IN DUCATU ELECTORALI BRUNSVICO-LUNEBURGICO CALENBERG ERUUNTUR,

HISTORICO - PHYSICAE DELINEATIONIS,

ADJECTO SIMUL

INDICE
LAPIDUM QUORUNDAM FIGURATORUM RELIQUARUM PROVINCIARUM HANNOVERANARUM

CURIOSIS HACTENUS PLERUMQUE INCOGNITORUM, QUI AD NOSTRAM PERVENERUNT NOTITIAM.

St. Ambrosius Præf. in Psalmos:

In ſcopulis quoque ipſis & lapidibus reperit natura, in quo delectet.

EXsolvimus hoc ipso scripto parvo, qua hactenus tenemur, nostram fidem, quæ est servanda, quam dedimus, quum superioribus annis in lucem ederemus publicam *Specimen I. Oryctographiæ Calenbergicæ*, simulque circa ejusdem finem promitteremus historiam naturalem Ducatus Calenbergici planius pleniusque describere; & cum nostra scrinia non sufficerent ad propositum nostrum explendum, igitur in subsidium sumebamus, nobisque officiose expetebamus benevolentiam curiosorum Calenbergensium, qui benigne adjuvarent nostra in historia naturali patria conamina, & amice nobiscum communicarent, quæ haberent ad illam amplificandam, absolvendam, quare etiam, quum officia sint remuneranda, offerebamus ad illos alliciendos nostra vicissim Hercynica curiosa, sane non spernenda; ast dolemus, ex multis vix unum & alterum exstitisse, qui nostris petitionibus demissis aures præbuerunt benevolas, dum non responsoriis solum suis litteris gratiose & humaniter nos beaverunt, iisque varia & multa antea nobis ignota curiosa detexerunt, sed etiam varia Calenbergico Lüneburgica fossilia & alia liberaliter transmiserunt, quo in eorum descriptione eo minus offenderemus, id quod alias facile accidere potest, quam certe singularem benevolentiam, humanitatem atque liberalitatem gratissimo, obstrictissimo agnoscimus animo, debitisque heic prædicamus & celebramus laudibus.

Enim vero qui possumus reticere nomina Fautorum nostrorum, a quibus tantis ornati cumulatique beneficiis, inique omnino faceremus, si nostrum hac ex parte intermitteremus officium. & nonne hoc neglecto in aliquam ingratitudinis suspicionem, turpissimum illud, ipsis Ethnicis sanioribus detestabile vitium, incideremus? quare bona cum illorum pace publice & libere profitemur id, quod tacere nefas ducimus.

Primus itaque est noster Patronus gratiosus, generosissimus Dn. *Anton Adam de Mannsberg*, Dominus hæreditarius in Maimbrixen, Regio-Anglicanus & Electoralis Bruusvico-Lüneburgicus Capitaneus supremus, vulgo Ober-Hauptmann, præfecturarum Grohnde & Oehsen Ducatus Calenberg. Scimus Te esse præcipuum studii naturalis amatorem, & possidere optimam rerum naturalium, tam patriarum, quam exoticarum, collectionem, inque hac a Te simul adservari Fossilia Calenbergica plurima, & potiora a Dn. *Bierdemann*, infelici S. Ministerii Candidato, mente quippe capto, multa diligentia & multo labore lecta, post hujus mortem ab ejus unico fratre, Pastore Saltzhemmendorfiensi, ami-

co quondam noſtro in Academia Julia integerrimo, ex hæreditate accepta, hoc autem demortuo ab ejus relicta vidua pro numerata pecunia a Te acquiſita, quorum catalogum nobis gratioſe miſiſti, pro qua benevolentia gratias Tibi perſolvimus quas, debemus, maximas.

Alter noſter fautor eſt prænobiliſſimus Dominus *Joannes Georgius Keysler*, Societatis Regio-Anglicanæ membrum digniſſimum, Liberorum Baronum *de Bernsdorff* antea ſtudiorum & morum moderator, inque eorum itineribus longinquis dux, jam vero ſvaviter vitam degens in litteris, & ipſe ſuus dominus, regulam ſequens prudentium: Non ſit alterius, qui ſuus eſſe poteſt. Hic ſatis inclaruit hactenus in orbe erudito ſcriptis ſuis eruditiſſimis, limatiſſimis, videlicet Antiquitatibus ſuis ſelectis Septentrionalibus & Celticis, 1726. publicatis, itemque Itineribus ſuis noviſſimis germanice conſcriptis, 1740. & 1741. duobus Tomis evulgatis. In ultimis inprimis Te præſtas peritum ſtudii naturalis æſtimatorem, non minus in illis oſtendis, quod etiam litteræ Tuæ mihi ſatis ſuperque indicarunt, quem æſtimabilem theſaurum (*a*) lapidum figuratorum, petrefactorum, mineralium, aliorum in multis Tuis itineribus, multa cura multoque ſumtu conquiſiveris; gratulamur præterea ſtudio geographico, cui primus, id quod diu optavimus, præter eas, quas huc usque habuit varietates, ſvavitatesque, pro communi iuventutis ſtudioſæ utilitate, jucunditate, tamquam ſummam addidiſti & ſtudium naturæ, his noſtris temporibus ſummopere gratum acceptumque, ac ad ſummum faſtigium a Societatibus variarum gentium eruditis evectum.

Non intermittite, enixe rogamus, Viri, generoſiſſime, prænobiliſſime, nos ulterius dignari veſtro præclaro favore, veſtro commercio epiſtolarum, nobis admodum jucundo, veſtraque benevolentia pro augmenta-

(*a*) Hoc in Theſauro latebat etiam elegans & unicum, quantum nos quidem ſcimus, exemplar rariſſimi foſſilis, *Capitis Meduſæ Würtenbergici* petrefacti, lapidi fiſſili impreſſi, prope pagum Ombdam extracti, quod pluribus deſcripſit in peculiari Diſſertatiuncula Epiſtolari, typum quoque ejus adjecit accuratum B. Doct. *Hiemer*, Concionator & Confeſſionarius aulicus Stutgardienſis, ab hujus hæredibus emtum pro præſentibus quinquaginta thaleris, dono dein oblatum Excellentiſſimo Dn. D. *de Hugo*, Conſiliario aulico & Archiatro Anglicano Regio, qui illud in ſuo inſtructiſſimo Technophylacio inter alia rariora & ſelectiora adhuc adſervat. Vide Commentat. noſtram II. de Zoolitho-Dendroidis, pag. 6.

mentatione & exornatione ſcriniorum noſtrorum, omnia enim collocabitis apud animum gratum atque memorem.

Quatuor autem membris Lectoribus noſtris benevolis Naturæ Curioſis forſitan ſumus ſatisfacturi, nimirum I.) *addendo*, II.) *ſupplendo*, III.) *corrigendo*, denique coronidis loco his IV.) *adnectendo* Indicem generalem rerum naturalium, in reliquis terris Lüneburgicis reperiendarum.

Membrum I. *Addimus* in Specimine I. Oryctographiæ noſtræ Calenbergicæ jam indicatis & quidem

Pagina 54. *Saltzhemmendorf*, de hujus loci & in illo ſalinarum origine ideo nihil certi conſtat, quamvis certum ſit, vltimas ad exſtruendum oppidum occaſionem dediſſe, quia ſæpius calamitoſa perpeſſus incendia, quibus ſcripturæ publicæ ſunt concrematæ; interim docuit nos celeberrimus Dn. *Baring*, Bibliothecarius Anglicano-Regius & Electoralis Lüneburgicus, in litteris ſuis ad nos humaniſſime exaratis, ex ſua *Deſcriptione Salinarum Ducatus Calenbergici locorumque adjacentium MSS*, quæ mox, ſecundum præclariſſimi Auctoris opinionem, lucem adſpiciet publicam, Salinas Saltzhemmendorffienſes jam anno 1130. ſcaturiſſe, ſalemque coctum eſſe. Salinaria ſunt noſtro tempore duodecim, ex quibus tria ad Regem, cetera ad Senatum oppidanum & privatos pertinent; aqua ſalſa, communiter die Söle, æſtate ac tempeſtate ſicca ponderat octo ſemuncias, tempeſtate vero humida, & quando aquæ pluviales, vel ſpuriæ, vulgo wilde Waſſer, interveniunt, ſex, ad minimum quatuor ſemuncias; ad coquendam illam, in cacabos ſalinarios quando eſt admiſſa, adhibentur ligna, plerumque carbones foſſiles, qui in vicinia maxima copia eruuntur.

Pag. 54. & 56. *Hannovera*, & pagus *Linden*:
In proximis collibus arenoſis reperiuntur *pyritæ* globoſi, heic dicuntur Schwefel-Nüſſe, ſulphure enim prægnantes ſunt; item quoque *oſteocolla*; alios pyrites cupri globoſos, virides, ſaxo inſidentes, commemorat *GRONOVIUS*, in *Indice Supellectilis ſuæ lapideæ, pag. 5.*

Bitumen liquidum fuſcum; *idem ibidem.*

Bitumen liquido-tenax cum matrice, ſive Schiſto; *GRONOVIUS loc. cit.*

Echini-

Echinitæ ſemi ovati & convexi; *Echinites* galeatus vulgaris, ſeu elatus, galeam referens. *id. ibid.*

Concha venerea formoſæ, in ripis fluminis Leinæ.

Terra foſſilis, vulgo Torf; *LACHMUNDI Oryctogr. Hildesheim. pag. 9.*

Oſtrea minores, prope urbem maxima copia; *AGRICOLA Libr. Foſſil.*

Amniculus, qui perfluit ſylvam, *die Ellgerie*, dictam, ſuo loco deſcriptam, habet plurima *Cornua Ammonis* minora, ſuperficie lævi, vel Nautilos naturales non petrefactos, teſta ſua naturali adhuc præditos.

Haud procul ab urbe, verſus Solis occaſum, genus gemmæ *Sardæ*, carniol, invenitur.

Selenites Lindenſis formæ rhomboidalis, in pulverem redactus, & ferro candenti injectus emittit nitorem ſplendidiſſimum, quemadmodum amethyſtus Saxonica nitorem cæruleum emittit. Plebs infima adhibet in febribus Seleniten, medicinam probatam uſu, eſt enim præcipitans quoddam, ſed multas particulas impuras adhuc continens.

Dens caninus, vel inciſorius, ſecundum opinionem præclariſſimi Dni *Keysleri*, qui ipſe vero neſcit, cujus animalis, badii ac ſplendentis coloris, ſubtiliter ſtriatus, ipſos duos pollices longus, & ipſum ſemi pollicem craſſus, ex lapicidina Lindenſi, qui duriſſimo lapidi fuit incluſus; nos potius putamus, cum pace tamen noſtri Fautoris æſtumatiſſimi, dentale eſſe marinum petrefactum, his potiſſimum inducti rationibus, I.) propter rotunditatem anteriorem, II.) propter ſtrias, III.) propter gracilitatem teſtæ, vix namque craſſitiem teſtudinis tenellæ adæquat, IV.) quia præterea effarcitur terra argillacea friabili, quæ omnia in dentis ſubſtantiam non quadrant. Vid. *Tab. II. Fig. I.*

Oculus cancri marini majoris, ut opinatur Dn. *Keysler*, Lindenſis, unam eandemque habuit matricem cum antea deſcripto dente, ejusdem eſt magnitudinis, coloris, formæ, ut ovum ovo ſimilius vix poſſit eſſe, ac faba dimidiata hortenſis cærulea major, hoc tamen diſcrimine, ut unum latus convexum ſit coloris cærulei, alterum excavatum albidi coloris; quid ſi habeamus pro faba petrefacta? ceterum de Fabis lapideis evolvendus *HELWING* in ſua

Litho-

Lithographia Angerburgica, p. 38. *VOLCKMANN* in *Sileſia ſubterranea*, p. 129. 131. 136. Excellentiſſimus D. *BRUCKMANN* in *Epiſtola Itineraria LXIV.* de Lapidibus figuratis rarioribus nondum deſcriptis & delineatis, pag. 11. de lapide ſimili ita ſcribit: Eſt lapis duriſſimus, intus cavus, reniformem *phaſeolum lævem*, a natura politum, brunnum, ex omni parte & exactiſſime referens, qui patriam Sileſiam agnoſcit. Recentiores Lithophili hos phaſeolos ad dentes piſcium ac animalium marinorum quorundam molares petrefactos, non ſine fundamento, recte referunt; iconem hujus dedit in Tab. IV. fig. 4.

Belemnitæ e pratis ad urbem copioſe eruuntur, ex agris aratro proferuntur, inque ripis fluminis Leinæ leguntur, quædam ex his tamquam Electrum flavidæ & pellucidæ, hinc adpellantur *Belemnitæ electrini*, & hi Succini inſtar paleas, aliasque res minutas attrahunt. Vide celeberrimi D. *BRUCKMANNI Epiſtolam itinerariam LXV.* pag. 5. & *LACHMUNDI Oryctographiam Hildesheimenſem*, p. 25.

Ex litteris prænobiliſſ. Dn. *Baring*, Bibliothecarii Anglicano-Regii, benigne ad nos nuper datis, Foſſilibus Lindenſibus indicatis adjicimus *ſcapulam* naturalem minorem, *Dendrites* elegantes, ſed rariores, etiam *Dentem hippopotami*, vel alius animalis marini, majorem rariſſimum, quem poſſedit Dn. *Eccard*, quondam Prof. Hiſt. Academ. Juliæ, dein Bibliothecar. Angl. regius, tandemque Conſil. Moguntinus intimus.

Pag. 58. *Herrnhauſen*, heic quoque reperiuntur *Oſtreæ* diverſæ magnitudinis, *tubuli vermiculares*, atque *cochleæ terreſtres*.

Pag. 59. Neuſtadt am Rübenberg, *Conchites* major bivaluis & rotundus, ſtriis transverſalibus ſemicircularibus ornatus, ſimilis *Bonanni* num. 354. qui ultimus tamen ſtriis præditus eſt oblongis.

Alius ſimilis, cui adhæret tubulus vermicularis, & in uno latere quodammodo compreſſus.

Adhuc alius ſimilis, cum duabus auribus patentibus, cujus poſterior pars prominet e matrice, quo in lapide ſimul videntur plurimi ſingulares tubuli vermiculares.

Aſteriæ formoſiſſimæ, harumque columellæ in ſilice.

Pag. 60. *Bandeln*, præter *Cornua* commemorata pyritoſa, aliud *petrefactum* pulcerrimum e terra effoſſum, cujus diameter ipſos tres digitos

gitos emetitur, ſtriis altiſſimis & latioribus continuis, dorſum verſus ſeſe magis magisque aperientibus & incurvantibus, paulatimque in ipſo dorſo ſeſe contrahentibus ornatum, bis non incurioſe fractum, tunc enim adparebant internæ cavitates, vel concamerationes nautili perſpicuæ, minutis cryſtallulis albidis, rubicundis, cæruleis exornatæ. ſane jucundiſſimum ſpectaculum. vid *Oryctograph. noſtræ Goslarienſ. editio altera pag. 30. tab. II. fig. 2.* ſimile habet LANGIUS in *Hiſtor. Lapid. figur. Helvetiæ pag. 10. tab. XXII. fig. 2.*

Pag. 62. *Brügge*, pagus, in hoc arx nobilium *de Steinberg*, & reliqua ædificia ad œconomiam pertinentia, ex meris fere lapidibus trochaceis exſtructa; in lapicidina proxima non nunquam *columnæ trochorum* eodem ordine ac panes ſimilaginei ſuper impoſitorum, majores minoresve offenduntur, rariſſime *ſtella marina* integra reperitur, hujus elegantiſſimum exemplar, quæ adhuc gaudet pediculo ſuo perlongo & inhæret matrici ſuæ oblitæ quaſi multis trochis formoſis, ante oculos ponit Tab. II. Fig. II. & aliam ſtellam optime expreſſam ſine pediculo repræſentat eadem Tab. Fig. III. *Encrinum monſtroſum*, quem dicimus rariorem, vide in eadem Tab. Fig. IV. *ROSINUS* in *Diſquiſitione de Stellis marinis* nominat hunc *Radium ſtellarum* ſeparatum, audiamus ipſiſſima ejus verba, quæ huc transſcribere licebit, ob ſcripti raritatem: Radius ſtellarum ſeparatus cum adnatis ab utroque latere exiguorum articulorum ſeriebus, quæ videlicet illa ipſa videntur eſſe membra a *RUMPHIO Babren*, vocabulo belgico, nominata, quibus nempe animantia talia marina pedum brachiorumque uti ſolent loco. Hæc ipſæ vero appendiculares articulorum ſeries in illo demum loco, quo radius ſtellæ bifariam fiſſus duplicem poſtea articulorum ordinem emittit, primum comparere incipiunt; ubi ad radii diviſi utramque partem nova illa articulata membra propullulant.

Quum proinde bifidos ejusmodi ſtellares radios non in extima ſolum, ſed intima etiam ſuperficie a ſe invicem plane diremptos, atque præterea quemlibet ex illis propriis ſuis adnatis articulatis pedibus inſtructum eſſe conſpicerem, in cauſa hæc mihi fuerunt, quare ſeparatos illos radios pro talibus ſingularibus agnoſcerem, atque cum numero decem eſſent, ſtellam, cui adhærent, hinc decem radiorum adpellarem. *ROSINUS l. c. pag. 34. tab. III. fig. 7.*

In

In agris proximis leguntur *eshini*, *concha striata*, sed admodum plerumque deformes, & minus bene expressæ. In sylva autem, das Fölpetzer Holtz cognominata, reperiuntur *Ammonis Cornua* striis distinctissimis signata, in matrice & extra illam.

Pag. 62. Landwehrschencke, *Ichtyospondyli* piscium majorum vertebræ, nigro colore, de quibus videri poterit *LUIDIUS* in *Lithophylac. Ichnograph. pag. 83. seq. BAIERUS in Oryctograph. Norica pag. 55. Britann.* Tab. VI. fig. 32.

Pag. 62. *Lauenstein*, hujus arcis in monte locatæ vastationem exploratam non habemus, interim communis est narratio, in hunc usque diem propagata, & in seros posteros sine omni dubio propaganda, olim fuisse duos fratres Comites *de Spiegelberg*, horum unum possedisse arcem, Spiegelberg, alterum arcem, Lauenstein, illum sæpius sollicitasse hunc fratrem suum, ut sibi cederet arcem suam Lauenstein, qua pro domo venatoria uti velit; cum vero noluerit obsequi voluntati suæ, clandestinum atque detestandum consilium cepisse, fratrem suum e medio tollendi, & arcem incendio delendi, quod etiam effecerit, & quidem hoc modo, ut sequitur: Quodam tempore lautum convivium comparare jussisse, in quo fratrem suum adhibuerit principem, quod inter pocula hilaria sit celebratum lætitia omnium præsentium convivarum, hoc finito, adstitisse duos fratres ad fenestram sermocinantes, ipso momento arcem Lauenstein exarsisse non fortuito, sed oblato incendio, quam flammam furibundam Comites fenestris apertis videre potuissent, illo ipso tempore etiam adparuisse quosdam electos, instructos & subornatos, cum audacissimos, tum viribus maximos, qui infelicem fratrem, metu exsanguem, cum ferro invasissent & misere crudelissimeque trucidassent; arcem vero, flammis exustam & crematam, non fuisse posthac exstructam, & idcirco adhuc hodie ejus cadavera modo ante oculos nostros jacere.

Ex hoc arcis monte cæduntur lapides durissimi, coloris cani, *Bucardites*, vid. *Tab. II. Fig. V.*, formosissimi, majores, minoresve; *concha venerea* elegantissimæ majores, minoresque in his latent, non minus *Filix*, topho distincte impressa, in illo reperitur, Lithographis *Filicites* dicitur.

His adjungimus insuper *Belemnitarum* species varias, plerumque singulares, in Præfectura Lauenstein lectas, quæ erunt:

Belemnitæ flavi, pellucidi, instar succini, alias *Lyncurii* dicti.
Belemnitæ fusci & subfusci.
Belemnitæ subcinerei, quibus adhærent minores nigri belemnitæ.
Belemnitæ canaliculati nigri, per mediam longitudinem insigniti crena vel æquali, vel simplici, vel duplicata.
Belemnitæ apicem versus striis, vel sulcis signiti.
Belemnitæ cum alveolis, instar medullæ ipsis inhærentibus.
Belemnitæ cum alveolis, materia selenitica albescente repletis.
Belemnitæ nigri rotundi, alii compressi, prægrandes, trium ferme, vel quatuor digitorum longi.
Naturalia curiosa Lauensteinensia singula possidemus, ex liberali donatione Dn. *Christiani Eberhardi Niemeier*, Præfecti Lauensteinensis, qui his in terris propter suas divitias sane opimas, magna felicitate, majore diligentia, maxima prudentia œconomica paratas, propterque singularem beneficentiam non in cognatos solum, vel aliqua necessitate sibi conjunctos sed etiam in omnes utique pauperes & fortuna læsos, notus quam qui notissimus, pro qua humanitate ac benevolentia illi hac optata occasione publicas & debitas gratias persolvere liceat,

Marienhagen, pag. 62.

Conchæ læves & striatæ; aliæ sinuosæ elegantissimæ, lapidi cano duriori inclusæ, nonnullæ albo quasi alumine plumoso, splendente potius testa sua naturali perlacea semi-calcinata involutæ, hinc argenteas, vel filamentis argenteis obductas putes; similes habes in Oryctographia nostra Goslariensi, edit. alter, pag. 15. itemque lapides fibulares loc. citat.
Ligni petrefacti frustula.
Astroitæ pentagoni, & *Pentaphylloides lapidei*, coloris pallidi, similes *BAIERI asteriis*, tab. I. num. 14. Oryct. Nor. & *ROSINI* l. c. tab. V. lit. B. num. 3. delineatis.
Columella Astroitarum pyritosæ.
Cancri brachium pyritosum, vid. *Tab. II. Fig. VI.* Cum *Carcinolithi*, sive partes cancrorum marinorum & fluviatilium petrefactæ admodum sint raræ, in mineram vero metallicam transformatæ adhuc multo rariores, non injucundum ac ingratum erit Lectori, heic in *Figura IX. Tab. II.* adponere *Chelam cancri marini* vulgo Taschen-Krebs dicti, in marcasitam mutatam, quam apud amicum nostrum inte-

integerrimum, constantissimum Dn. D. *BRUCKMANN*, Wolffenbüttelæ ante quatuor, & quod excurrit, annos præsentes lustravimus, qui istam cum variis aliis rebus, in dictam mineram mutatis, ex Insula sancta, sive *Heilgeland*, quæ pyrite maxime abundat, transmissam accepit & adservat. Amicus nos certiores facit litteris, asterias pyritosas, cornua Ammonis pyritosa, & alia curiosa Marienhagensia his temporibus vel plane non, vel rarissime admodum inveniri.

Saltz hemmendorf, p. 64.

Astroites, seu Corallion orientale albidum, perdurum et perelegans, vid. *BUTTNERI Coralliograph. tab. I. num. 7. pag. 19.*

Ostracites, seu Concha rugosa, seu imbricata, aliquo modo similis *BAIERI, l. c. tab. V. num. 1.*

Conchitae bivalves, nuci maris a *BONANNI* sub num. 100. effigiatæ non absimiles, majores tamen strias habent, valde spissas, & cordis figuram fere imitantur.

Lapis, cui impressa matrix *pectinitæ* majoris, similem habet *BAIER. in Oryctogr. Nor. tab. V. num. 3.* insuper in eo conspiciuntur *BONANNI Balani* plures.

Adhuc alius cum matrice. *Pectinitæ*, sed striis angustioribus, qualem depingit *BAIER l. c. tab. V. num. 2. BONANNI Class. num. 5.*

Cornu Ammonis majus lapideum in campis repertum, cujus diameter ferme emensus est septem digitos.

Buccinitæ longi & læves, in matrice & extra illam; in his unus decem gyris constat, admodum elegans, in matrice jacens, similis est Buccinitæ *BAIERI in Oryct. Nor. tab. III. fig. 22.*

Ostervvald, pag. 64.

Sulphur nativum pulcerrimum potissimum in latomiis gypseis, quæ adpellantur, der Wenzen-Bruch, reperitur, & hujus venæ ipsum Gypsum permeant.

Venæ *Carbonum fossilium* adductorum, primum inventæ 1561. Horum duo sunt genera, unum nominatur Schmiede-Kohlen, quibus fabri ferrarii utuntur, quia minus gaudent sulphure, & quadrigis curribus deportantur in finitimas provincias, Ducatum Calenberg, episcopatum Hildesheim, principatum Grubenhagen; alterum genus multo sulphure prægnans, adpellatur Brand-Kohlen, & adhibentur ad sal coquendum & ad vitrum conflandum. Ope-

in fodinis carbonariis multa patiuntur incommoda, dum vernali atque autumnali tempore, & aër quando est crassior, vix libere possunt respirare, & lapsant quasi graves e cerevisia, vel vino adusto, plerumque laborant morbo asthmatico, Hercynici vocant die Hütten-Katz / quadragesimum, vel quinquagesimum ad summum, raro attingunt annum, insuper celeberrimus Dn. *KEYSLER* in Itineribus suis novissimis Tom. II. pag. 345. scribit: In his fodinis sclopetum brevioris modi explodi non posse, id quod ipsi præsentes & illas investigantes & perscrutantes quondam sumus experti, in caussa omnino erunt quam maxime exhalationes nocivæ sulphureæ, metallici dicunt die Witterung. De carbonibus fossilibus Salzhemmendorfensibus & Ostervvaldensibus etiam agit *LACHMUND* in *Oryctographia Hildesheimensi pag. 9.*

Officinam vitriariam 1701. primum exædificavit Præfectus Lauensteinensis supremus, nominatim *Wedemeyer*, quæ jam est communis & hæreditaria duabus familiis Wedemeyerianæ & Bremerianæ.

Pag. 65. *Lefedagsen*, *Cochleæ* nitidæ; *Conchæ* bivalves lapideæ longiores, graciliores, quae fere conveniunt cum *BONANNI* Dactylis, quos vide num. 28. 29. 30.

Mehlen, pag. 65.

Glossopetræ. potius dentes piscis Carchariæ, subtiles, coloris cineracei. (*b*)

Turbinitæ cum quinque, vel pluribus helicibus, ex ampliori basi, vel orificio, in apicem tenuem fastigiatis, majores, minoresve, in matrice & extra illam.

Cochlitæ majores, minores, minimi, quorum nonnulli crusta, sive testa naturali adhuc circumdati.

Asteriæ quinquangulares, argillæ involutæ, similes vide in *ROSINI c. tab. V. lit. B. num. 2.*

Columellæ harum graciliores. *Terebratulæ* elegantiores.

Conchitæ, striis transversalibus.

Coch-

(*b*) *ISIDORUS libr. XVI. c. 14.* de hoc lapide scribit: Glossopetra, γλωσσόπετρα, gemma, similis linguæ humanæ, unde & nomen sumsit. Fertur autem, deficiente luna cœlo cadere, cui non modicam Magi tribuunt potestatem, nam ex eo lunæ motus excitari putant.

Cochleæ gyris extantioribus, similes *BONANNI Strombis*, vid. Class. III. num. 89.

Conchæ minores canæ, quas *BAIERUS Buccinitas superficie exasperata, & tuberculis vel punctis notatas* dicit l. c. tab. III. num. 20. 21. 22. Jacent in argilla nigra.

Cornua lævigata petrefacta.

Cornua pyritosa, foliis quasi picta.

Cornu lævigatum, pyritosum, adhærens lapidi cæsio.

Cornuum Ammonis fragmenta, sua adhuc naturali concha vestita.

Musculitæ fluviatiles, majores atque minores, quales vide apud *BAIERUM* l. c. tab. IV. num. 11.

Horum aliud genus, quod in hoc discrepat, quia in utraque valva striis notabilibus transversalibus ornantur, color est badius.

Conchites rarior, quem *LUIDIUS* nominat *Curvirostram* non clavatam colore nigricante.

Lignum petrificatum, minera marcasitacea prægnans.

Belemnitæ cum alveolis. *Lyncurii*.

Belemnitæ nigri majores, ex fodinis carbonum fossilium, inde forsitan harum nigredo, vulgus hinc nomen ei indidit der Raben-Stein, & Lithographi *LACHMUNDUS* in *Oryctogr. Hildesheim. pag.* 25. ac *HELWING* in Lithograph. *Angerburgica pag.* 30. adpellant illam *Coraciam*, vel lapidem corvinum; plebs simplex & credula, cui se adsociant vetulæ superstitiosæ, plerumque firmiter sibi persuadent, eum esse invisibilem, qui hunc lapidem secum in sacciperio gerat, quærendum tamen esse peculiari modo & superstitioso, vid. Celeberr. D. *BRUCKMANN Epist. Itiner. LXV. pag.* 4. & quem adducit libellum, cujus titulus: Gantz neu-entdeckte Geheimnisse, oder sonderbare Secrete pag. 93. Valeat ergo ille famosus pastor Gyges, regis Lydorum Candaulis domini sui interfector, & reginæ dominæ suæ stuprator, regni vero Lydici dominator cum annulo suo aureo, magico, rarissimo, cujus versatione solum istum modo visibilem, modo invisibilem fuisse communiter narratur, (c) quum res

(c) Hanc Gygis fabulam ex *PLATONIS libr. II. de Republica* commemorat *CICERO de Officiis libr. III. cap. 9.* concinne autem & accurate explanavit Vir summe venerabilis, D. *Ern. Sal. CYPRIANUS*, Consiliarius Ecclesiarum Gothanus, præceptor quondam noster in illustri Gymnasio Casimiriano,

res longe viliores, & cuivis obviæ eandem nobis præstent artem; sed habeant avari arcas suas divites, honestæ matronæ, castæque virgines januas suas hanc eandem ob causam firmiter clausas & obseratas, ne quid sibi æstimabile, amabile, irrecuperabile furtive auferatur.

Ahrenfeld, pag. 66.

Tophus, in quo hærent testæ parvæ concharum; adhuc aliæ latent in terra margacea.

Asteriæ cuspidatæ. vid. *ROSINUS*, *l. c. Tab. I. lit. B. num. 8.*

Columellæ asteriarum hujusmodi.

Entalii. *Fungitæ.*

Echinitæ papillares. *Turbinitæ.*

Astropodium, huic simile *BUTTNER* in *Coralliograph. Tab. I. fig. 7.* delineat.

Turbines frequenter in agris occurrunt.

Ertzen, pag. 66.

Terra margacea indicata non agros solum reddit fertiles, sed etiam ab omni lolio purgat. De *Nucibus margaceis*, communiter Mergel-Nüsse, potius Marcasiten / ibi commemoratis, itemque splendidissimis crystallis, Dn. Præfectus supremus Ertzensis *Voigt*, qui anno praeterlapso spiritum, quem naturæ debuit, reddidit, cui nostro quondam Fautori beate defuncto placidam quietem precamur, nobis magnam partem paullo ante mortem suam iterum transmisit: In his erant globi aculeati, lævesque majores, qui duas libras fere ponderabant, alii sibi invicem adnati, item cubi majores, minores, exacte plani, reliqua; (*d*) inter crystallos albissimas, perluci-

---

riano, quod Coburgi floret, cui tunc temporis Director praeerat, quem ad cineres usque summa venerabimur observantia, ob fidelem ejus institutionem, in peculiari Dissertatiuncula, de Annulo Gygis, 1703. divulgata.

(*d*) Usum medicum pyritarum præstantissimum per litteras nobiscum benigne communicavit D. *Spangenberg* Medicinæ Practicus Walckenridensis celeberrimus, sequentem, & quidem his verbis: Ich habe vor dem Jahre im Closter Gerrode auf dem Eichsfelde gesehen, dass ein damals anwesender vornehmer Gast einen seiner Bedienten fast augenblicklich von

lucidiſſimas, puriſſimas, ſingulares quasdam, inſtar piri parvi cum ſuo pediculo formatas, ſed angulares, ſane elegantiſſimas & pulcerrimas inveniebamus, quæ nobis aliàs nunquam occurrerunt, neſcio an ulli, quas pictas vide ſis in *Tab. II. Fig. VII.*

Membrum II. *Supplemus* Specimen noſtrum I. Oryctographiæ Calenbergicæ, dum nova ſuperioribus addimus ſequentia:

Linsburg, arx venatoria in media ſylva amœniſſima exſtructa, a militibus invalidis cuſtodita, ubi Rex Angliæ Georgius II., regiones ſuas hæreditarias inviſens, anno MDCCXLI. aliquamdiu moratus, venationibus ſe delectavit; eodem tempore, in proximitate nempe ad urbem munitam Viſurgi adjacentem, *Nienburg*, parva caſtra, alia ad urbem validiſſimis munimentis cinctam *Hameliam*, ad machinationes Gallorum, qui exercitum in circulum Weſtphalicum duxerant, frangendas poſita.

Heic loci *pſeudo-adamantes* reperiuntur duriſſimi, ſplendiſſimi, hinc facile etiam lapidum pretioſorum periti, quid dicamus ignorantes, decipi poſſunt, factum quippe eſt, ut Electrix *Sophia*, beatiſſimae memoriæ, feliciſſima coronæ Anglicanæ hæres, princeps doctiſſima, divina mente & virtutibus maximis incredibilibusque prædita, quæ habebat adamantem Linsburgenſem arte paratum, auro incluſum, tentaret gemmarium aulicum, quidnam ſibi videatur de hoc lapide, & quanti æſtimaret? Judæus hunc probum adamantem reputans, licitabatur eum quatuor millibus thalerorum, & quamvis huic aperte ſignificaretur, etiam vera & certa indicia darentur, pſeudo-adamantem eſſe, tamen ab emtione & licitatione abire noluit, ſed Princeps ſancta atque juſta, ne Judæus alios deciperet, vel damno adficeret, annulum ſuum ſuſtulit, ac ſibi habuit.

Saltze, pagus haud procul a fluvio Leina ſitus, ad hunc, orientem verſus, proxime videtur pyramis quadrata, & lapidibus ad normam aptatis, in baſi ſua innitens, in media via regia conſtructa, a ruſticis corrupte dicta Abend-roths-Thurn; eſt vero monumen-

von der Colique befreyete, da er einen teutſchen Flintenſtein glüend gemacht, in Wein gelöſcht, und dem Patienten ſolchen zu trincken gegeben; monet vero ſimul, der Stein muſs nicht corroſiviſch, oder arſenicaliſch ſeyn, ſonſt kan die Cur unglücklich ausfallen.

tum sepulcrale ducis cujusdam militum, cujus corpus quoque sub hoc quiescit, qui una cum quingentis militibus gregariis bello tricennali funesto occisus, dum vellet hostem explorare & cognoscere, id quod adparet ex lapidi insculpta inscriptione, in qua hæc est sententia: *Hoc monumentum intrepido ac nobilissimo heroi domino Johann Michael Obentraut, equitum Reg. Dan. Majest Christiani IV. locum tenenti Generali, qui hic die Martis XXV. Octobris MDCXXV. fortiter pro patria & libertate pugnans occubuit. F. F.*

Fluvius Leina heic ejicit *belemnitas* plurimos, quidam ex his sunt læves, alii in superficie impressa habent conchularum formamenta.

Der Wallenberg, mons in præfectura *Lavenstein*, ex hoc cæditur lapis canus, & perdurus, quo in frequentius offendimus *Turbinitas* petrefactos, tres quatuorve digitos transversos longos.

Der Kanstein, mons præaltus in eadem præfectura ad oppidulum Saltzhemmendorf, in quo legere poteris:

Turbinites lævigatos, fere similes turbini *BONANNI* num. 33. vide *VOLCKMANNI Siles. subterr. pag. 175. tab. 29. fig. 5.* quem adpellat *Buccinum læve minus rostratum.*

Turbinitam trium modo gyrorum.

Cochleas læves claviculatas.

Neritas in matrice & extra matricem. *BAIER. l. c. tab. 3. num. 27.*

Conchas læves varias, majores, minoresque, partim claviculatas.

Buccinitas. Cochlitas.

Bufonitem oblongum, parvum, elegantem, a rusticis nominatum ein Fisch-Aug.

Ichthyospondylos coloris albido-flavidi, *BAIER. l. c. pag. 55.*

Osteocollam. Glossopetras minores.

Tubulos vermiculares, coloris nigricantis, majores, minores, quales describit *BAIER. l. c. pag. 72. tab. 6. fig. 13.*

Alios lapidi flavido inhærentes.

Tubulum vermicularem, cujus alteri lateri adhæret valva minoris conchitæ, striis transversalibus ornata.

Hamelia, urbs quondam Hanseatica & Visurgi flumini navigabili adjacens, operibus munitionibusque fortissimis septa, mercatura atque variis officinis florens, captura Salmonum, priscis temporibus cataracta periculosa, die Hämelische Schlacht dicta, jam sumtuoso aquarum emissario, tandemque fabula veteri & anni quod MCCLXXXIV.

MCCLXXXIV. a glirium venatore centum & triginta liberorum Hamelensium fuerint civitate educta, & a monte dem Keppelberg absorpta, fama celebratissima. (*e*)

Ad hanc in lapicidina calcaria veteri ante aliquot annos præclarissimus Dn. *Baring* reperit *Stellam marinam*, tempestatum injuria quodammodo deformatam, quam dono obtulit Dn. D. *Rosino*, tunc vivo, nunc beato.

Fossilia ad ripas Visurgis boreales, pagos inter Vsen & Baden reperta:

Echinitæ papillares albi & elegantes, in matrice & extra matricem.

Asteriae, item *columnulæ* albæ *asteriarum*.

Spongites, vel potius *Fungites*.

(*e*) Vide schediasma nostrum de *Nucibus margaceis pag.* 7. Præterea Hamelam versibus elegiacis eleganter describit *Henr. MULLERUS*, quos nondum impressos adponere licebit:

Ad ripam dextram stat structa Hameloa Visurgis,
Moenibus ac vallis, milite, cive valens.
Turribus excelsis sunt hic duo templa tonantis,
In queis precones dogmata sacra docent.
Dignaque spectatu sunt curia, Pharmacopœon,
Et schola, ponsque tegens longus & altus aquas.
Artes mechanicas hic sedulus incola tractat,
Palladis & Phœbi sacra frequensque colit.
Piscibus interdum fallentia retia tendit,
Navibus & flumen, vomere scindit humum.
Vrbs Hameloa nitens, tremor hosti, gloria civi,
Te tegat is, qui regit astra poli.

Funestam vero et tragicam historiam abductorum liberorum Hamelensium *Hannib. NULLEIUS* sequenti modo:

Vrbs Hameloa suos gemitu gemibunda requirit,
Abduxit quondam quos lacrymosa dies.
Centum & triginta sorpsit ceu vasta vorago
Vna dies, sed non reddidit ulla dies.
Romæ olim bello, sed aperto Marte cruentos,
Ter centum Fabios abstulit una dies.
Hos autem pueros mistim parvasque puellas
Bello non aptos abstulit una dies.
Quam gravis ergo fuit Romana per atria luctus,
Tam gravis hic dolor est urbs Hameloa tuus. reliqua.

Arombyli minores fossiles.

Tubuli vermiculares minores albi.

Lapides Judaici albi; quidam flavescentes & pellucidi; alii minus pellucidi, horum nonnulli calce, seu albore calciformi vestiti.

Fragmenta Entaliorum alborum.

Nucis myristicæ duo exemplaria, alterum maius, alterum minus, *VOLCKMANN Silesia subterr. pag 129.*

Musculitæ striati, viridis coloris, in matrice & extra matricem.

Dendritæ subtiles, eleganter picti, lapis est corneus.

Conchites rostro subtereti & insigniter adunco donatus *Bonanni.*

Aetitæ rotundi, angulares, coloris albidi.

Turbinites angulosus candidus, transversis lineis leviter crispatus, persimilis *Bonanni* turbini Class. III num. 104.

Lapides cornei colorati, pellucidi, obscuri, cum venis interdum coloratis.

Thedinghausen, pagus Visurgi proximus, ubi:

Alveoli virides *lapidei;* alii in lapide viridi hærentes.

Aetitæ angulares, rotundi, coloris albidi; alii coloris ex flavo fusci, quidam horum ob arenam inclusam sonum reddunt.

Achim, eidem fluvio adjacens, heic:

Asteriæ in medio perforatæ.

Asteriæ quinquangulares cuspidatæ, itemque rotundæ.

Asteriarum columellæ rariores.

Asteriæ in lapide corneo, *ROSINUS l. c. tab. IX. lit. A. num. 2.*

Matrices Belemnitarum in silice perduro, *HELWING Lithogr. Angerburg. pag. 49.*

Lapis corneus, quodam asteriarum genere signatus, similium calculis aleatoriis, nemine adhuc, quantum recordamur, adnotatus.

Lapides albi cum venis corallicis, quæ in harum fine, vel cuspidibus asteriæ adparent.

Lapides cornei, in horum superficie corallia subtilissima, & ramuli corallini partim puncta*t*i, partim porosi, vt & placenta corallina adparent; similes *BUTTNER* in *Coralliographia pag. 28.* describit & *tab. IV. num.* 1. delineat.

Alcyonia minora, vel fragmenta corallini densioris, nodosi, striati &

gyra-

gyrati, effigiem vide ſis in *Coralliogr.* *BUTTNERI, tab. II num. 19, et 10.*

Fungites albi & poroſi, infra locus conſpicitur, ubi caulis adhæſit.

Albi *globuli* rotundi, poroſi, nonnulli perforati, ut filamento, inſtar coralliorum, ſubduci poſſint.

Pſeudo- Chelidonius.

Fragmenta *ligni petrefacti*, in his unum coloris albidi cum medulla nigra.

Lapides coloris cinerei, ſtriati inſtar nucum moſchatarum, quidam illorum quoque harum formam habent.

Silices colore amethyſtino tincti.

Donſen, vel *Dünſen*, pagus, ad quem leguntur:

Aſteriæ ſingulares formoſæ.

Eædem in lapide corneo.

Columella Aſteriarum quinguangularium, cuſpidatarum nigri coloris ex fodinis argillaceis.

Aſtropodium, vel Madrepora maior, cuius ſuperficies aſteriis radioſis, a centro verſus peripheriam extantioribus conſita, coloris flavido fuſci.

Cornu lapideum, jacens in lapide rubro.

Lapis, qui continet *cornua* parva lævigata, *belemnitas* parvos nigros, *alveolos*, atque *conchulas*.

Cornua lapidea undoſa. *BAIER. l. c. pag. 61.*

Lapis, in cujus ſuperficie videntur *cornua* Ammonis, ſpina dorſi eminentiori, *belemnita*, muſculi minores.

Turbines in agris leguntur variæ magnitudinis, læves, ſtriati, tuberculis vel punctis notati; etiam ex ſaxis cæduntur ſimul cum pectunculis.

Muſculitæ fluviatiles.

Harderode pagus, heic inveniuntur:

Columellæ Aſteriarum, lapidi duriori incluſæ.

Pectinites bivalvis, in utraque parte ſtriis majoribus ſignatus.

Conchites bivalvis oblongus, & ubi vertices valvarum coëunt, vertices paulisper ſunt contorti, ſtriis inſuper transverſalibus, exacte convenit cum concha *Bonanni* num. 380. depicta, in rivo pagum perfluente repertus.

Conchae terra margacea occluſæ.

Wensen pagus, alii scribunt *Wentzen.*

In proxima sylva ejusque fodina arenaria reperiuntur putatæ *micula argentea*, similiter *sulphur nativum* perelegans.

Bremke pagus, ubi:

Cornu Ammonis cum articulata spina dorsi & striis obliquis.

Cornu Ammonis lapideum, cum dorso sulcato, *BAIER. l. c. tab. III. num. 10.*

Grohnde, pagus præfecturalis, ubi ad pagum *Lüntorf*, rarius quamvis, genus *crystallorum Pyrmontanarum* elegantissimarum invenitur; ex litteris Generos. Dn. *de Mannsberg* ad nos gratiose exaratis.

Oehsen, pagus præfecturalis, ad hunc mons der Hagenberg *Asteria* elegantes copiose occurrunt, non minus tabulæ lapidis calcarii, iisdem asteriis consertæ; ex ejusdem litteris.

Wallensen pagus,

in hujus & vicinis montanis *Testacea petrefacta* copiosissime leguntur; ex iisdem litteris.

Denique Historiæ nostræ naturali Calenbergicæ subnectere lubet monasterium & Abbatiam Ordinis Cisterciensis *Marienrothe*, extra fines quamvis positam, nempe propter urbem Hildesheimium, quia Abbas Marienrothensis unus ex præcipuis Ducatus Calenberg proceribus est, horumque in conventu sessionem & votum habet.

Ad hoc monasterium, & ad vicinum pagum

Dickholtzen inveniuntur *Pectinites* formosissimi, quorum testæ adhuc sunt integræ & illæsæ; porro *farrago concharum* lævium, inprimis striatarum; præterea *Concha venerea* maximæ atque pulcerrimæ, quales tanta magnitudine, tanta expressione, tantaque elegantia haud scio, anullus unquam Lithographus descripserit, emetiuntur quippe plerumque longitudine quatuor pollices, interdum ultra, latitudine tres pollices, lapis est arena flava; ad ultimum exemplar *Echini* integri, utique rarissimi, formosissimi, singularissimi, hoc ipso loco forte fortuna in itinere, & in ipsa via regia reperit prænobiliss. Dn. *Keysler*, cujus hanc descriptionem in litteris nobis dedit: *Echinus* excavatus, diameter eius pollices duo cum dimidio, altitudo unus pollex, crassities octava pollicis pars, parvis subtilioribus que pectunculis, cum striis transversalibus, obtectus, in basi sua habet duo foraminula, quibus pectunculi nonnulli sese insinuant;

ubi

ubi ſimilis ? Dn. *Keyſler* in itineribus bene multumque verſatus, plura quam centum Lithophylacia inſtructiſſima Regum, Ducum, aliorum perluſtratus, addidit, ſe nullibi locorum talem vidiſſe. *Tab. II. Fig. VIII.*

Membrum III. *Corrigimus* melius edocti, qui in Specimine I. noſtræ Oryctograph. Calenberg. nobis inſciis irrepſerunt errores leves, & ſperamus fore, vt Lectores benevoli eo facilius nobis ſint condonaturi, ac errare humanum eſt.

Pag. 52. Ex numero Præfecturarum Calenbergenſium duæ habitæ præfecturæ, *Greſſen - Muntzel* & *Bodenwerder*, ſegregandæ.

Ibid. pro *Lichen* lege *Lachem*, hæc præfectura olim pertinebat ad finitimum Comitatum Schaumburg, ſed ab Amalia Eliſabetha Landgravia Haſſiæ, Principe vidua regnante, & a Philippo, Comite Schaumburgico, Duci Brunſuico - Luneburgico, *Christiano Ludovico*, MDCXLVI. tradita, quod pactum & conventum pace Weſtphalica eſt confirmatum, poſt id factum illa cum Ducatu Calenberg concorporata.

Pag. 53. Das Steinhuter - Meer, proprie pertinet ad vicinum Comitatum Schaumburg, & modo leviter tangit verſus ſeptentrionem fines Calenbergicas. Ex hoc genus piſcium, *die Bleke*, vulgo *Gunck* nominatum, maxima copia certo anni tempore capitur, & Hannoveram adfertur; *Stinte* vero eſt piſcis marinus, & Hamburgo venit.

Pag. 55. Collectionis numismaticæ omnino perraræ & ſumtuoſæ, pro quindecim millibus thalerorum æſtimatæ pretium B. Abbas *Molanus* ipſe conſtituit ſexaginta milliathalerorum, dum aurum ſolummodo ſecundum pondus ſuum æſtimatum quindecim millia thalerorum faciat ſummam, argentum vero viginti quinque millia thalerorum; inter numismata aurea, plura ſunt, quæ pendent triginta, ſexaginta, octoginta ducatos; nummos aureos majores, undecim numero, quos numismatarius celeberrimus *Carlſtein* cudit, & qui repræſentatione exprimunt res immanes a *Carolo XII.* Rege Sueciæ fortiſſimo geſtas, Beatus Abbas commutavit cum B. Præſide Cameræ Hannoveranæ *de Gœrtz*, pro mille & quadringentis thaleris, quod horum nummorum pretium erat internum. Hujus Muſei numismatici, non minus Technophylacei & Bibliothecæ, reliquorum, hæredes fuerunt familiæ Hattorfiana & Bœhmeriana, propter propinquam cognationem.

Pag. 58. Via ducens ad ſeceſſum Regio - Electoralem belliſſimum *Herrnhauſen*, iam conſitatiliis umbroſis, noſtro autem tempore, quamdiu Hanoveræ commorabamur, populis altiſſimis.

Pag. 62. *Brügge*, pagus iudicialis Nobilium *de Steinberg*, jacet in Epiſcopatu Hildesheimenſi ad ipſas fines Calenbergicas & fluvium Leinam, qui Ducatum Calenberg & Epiſcopatum Hildesheim heic ſejungit.

Pag. 65. *Meimbrexen*, pagus judicialis Nobilium *de Mannsberg*, ſitus in præfectura Fürſtenberg, confini Ducatui Calenberg; præterea poſſeſſiones in hoc Dn. de Mannsberg ſatis utiles ſunt feudum Ducum Calenbergenſium.

Membrum IV. *Adnectimus* ſcriptis Indicem generalem rerum naturalium, quæ in reliquis terris Brunſuico - Lüneburgicis reperiuntur, & quas usque huc Curioſi plerumque ignorarunt, ac illas potiſſimum ex litteris Celeberr. Dn. *Keysleri*, aliorumque excerpſimus, id quod gratum acceptumque naturæ amatoribus & ſcrutatoribus futurum, nequaquam dubitamus.

A. Ducatus *Lauenburg*, in hoc

Woterſen, ubi

Lapis Corallinus, in quo ſimul adparent *echinus* parvus elegans, & parvus *radius* echini.

Alius, in quo videntur *matrices aculeorum echini* tenuiorum & formoſorum, vid. *BUTTNERI Coralliogr. tab. I. num. 15.*

Pyrites, qui includit *concham* oblongam, rugoſam majorem, naturali ſua teſta veſtitam; itemque partem ſtellæ marinæ.

Pyrites cum incluſis *echinis* majoribus, minoribus, eorumque fragmentis.

Amygdala petrificata major elegans, pyriti matrici adhuc adhærens, quam luſum naturæ putamus.

Pyrites, cui impreſſa matrix *conchæ* parvæ eleganter ſtriatæ. *BUTTNER. l. c. tab. IV. num. 8.*

Concha rotunda major, transverſim rugoſa; alia alteri quaſi ſuperimpoſita, in pyrite cano duriore videnda.

Lapis mammillaris dictus, nihil vero aliud ſunt mammæ, quam echini ſcutula. *BUTTNER l. c. pag. 30. num. 11.*

Corallia ſubtiliſſima in pyrite, vid. *BUTTNER. l. c. pag. 28. tab. IV. num. 1.*

La-

Lapis arenosus ex albo canus, cum inclusis *conchis anomiis* lævibus.
Echinus major, coloris lucido-punicei, lapis est corneus.
Belemnita electrinæ. Farrago concharum.
Matrix *conchæ lævis* formosæ & majoris in lapide calcario.
Stellarum marinarum fragmenta.
Lapides Judaici. Fungitæ. Pectunculi.
Lapides vermiculares. Conchæ singulares.
Chelonites. Madreporæ. Hammites.
Denique singulare quoddam exemplar lapidis cornei, in quo latent aliquot *radii integri echinini*, magnitudine quatuor, immo sex pollicum.

Lancken, ubi
Echini plerumque minus eleganter notati.
Echini elegantes, rariores, in his, liceat ita nominare, *reticulares*; similes vide in Tract. Dn. *a Melle de Lap. Figur. Agri Litorisque Lubecensis, tab. IV, num. 1, 4. 7.*
Echini dimidiati.
Fragmentum *echini reticularis* majoris in pyrite, vid. utique *BUTTNERI Coralliograph. subterran. pag. 30. tab. IV. n. 14.* ubi de hoc scribit: Echinina impressio convexa in lapide corneo.
Echinus corrosus, marga alba effartus.
Terra splendens coloris lucido-punicei, *Glintzer*, metallici vocant *Blende*, hujus maxima, immo incredibilis copia, quam diu sub terra latet, mollis est & friabilis, quamprimum vero aër illam circumfundit, fit durior, & degenerat in lapidem; Præclar. Dn. *Keysler* hanc dicit materiam primam, ex qua lapides silices formantur.
Conchæ, *Echini* & alia communiter includuntur a lapidibus corneis, quorum heic copia tanta est, ut illis ipsi campi obtegantur, & agri prataque iis quasi muris lapideis septi.

Elmenhorst, ubi
Echini dimidiati, ac si cultro essent divisi, ceterum eleganter expressi, quos, quantum nos quidem scimus, nullus adhuc Lithographus adnotavit.

Saëms, *ubi*
Echini in pyrite.

B, Ducatus Lüneburg, in hoc Urbs *Lüneburg*, ubi
Glossopetræ, Stein-Zungen, Natter-Zungen, rectius dentes Carchariæ, aut

Lamiæ piſcis, reperiuntur in fodinis argillaceis verſus orientem, cui monti lateritiam officinam ſuperſtructam cernere licet, plerumque ſunt triangulares, modo incurvæ, quales nemo alius Oryctographus commemorat, modo rectæ, modo caeſiæ, modo nigricantes, ſive luteæ albicanteſque; adhuc in eadem fodina occurrunt *Conchites*, *Conchylia*, *unicornu* aut ebur, *lignum foſſile*, *turbines*, *brontiæ*, *trochoides*. *REISKIUS de Gloſſopetris Lüneburgicis pag. 8. 19. 20.*

Dentalia ſtriata naturalia. Dn. *KEYSLER* neueſte Reiſen. Tom. II. pag. 541.

Succinum foſſile diverſis in locis Lüneburgicis.

Glacies Mariæ, vel ſpatum album, hujus venæ permeant lapidem calcarium; igne uſtum & in pulverem redactum, inſeruit ad depurganda vaſa aurea, argentea, itemque limbos aureos & argenteos.

Hitzacker, ubi

Conchites, qui conſtat ex Turbinitis, conchis lævibus, oſtreis minoribus, cui nomen *Polymorphum* Lithographi indiderunt.

Echini formoſi in lapide corneo.

In monte oppido proximo leguntur *Conchæ*, *Cochleæ*, *Turbinitæ*, *Dentales*, *Conchæ venereæ*, *Belemnitæ*, *Pectines*, echini in pyrite, *farragines Concharum*, cetera; inde etiam eſt luſus naturæ, nempe *ovum gallinaceum*, naturali in omnibus ſimillimum.

Danneberg, in hujus vicinia, in primis ad pagum *Langendorp*, Albi flumini finitimum, fodiuntur, vel aratro eruuntur, immo ventis ſævis ſæpius deteguntur, dum haud raro unum pedem ſub terra latent, & terra eſt arenoſa, *urnæ ſepulcrales* frequentiores, harum materia, magnitudo, forma varia eſt; in illis pluries, præter cineres, oſſicula, partes armorum, nummi antiquiores, ceraunitæ, alia, poſita fuerunt. In ſylva proxima effoditur *alumen plumoſum* ex monte, qui audit der Alaunberg.

Schnackenburg ad Albim, ubi

Succinum foſſile; præterea fluvius Albis diverſis in locis ſuccinum ejicit, præſertim ad pagum *Vietze*.

Lüchau, ubi

Lignum petrificatum.

Luckau, ubi

Lignum fagineum petrificatum magna copia offenditur.

Gartovv, finibus Marchicis adſitum, ubi

Nau-

Nautili naturales, in rivulo die Seege dicto, pagum perfluente.

In monte dem Höbecker Berg *Silices dendritei* similes in aliis Albi adjacentibus collibus, ut & in ripis fluminis; talem elegantissimum possidet Dn. *Keysler*, in ripa Albis ad Boitzenburg inventum; porro *Conchæ*, *Radii Echini*, *Pectinites*, cetera.

Lapides ferri prægnantes vitriolo, hinc admodum friabiles, sub terra sunt albissimi, in aëre libero autem adquirebant colorem cœruleum.

Urnæ sepulcrales, in his nominati *Ceraunei*, vel *Secespitæ*, tam ex lapide, quam metallo arte confecti.

Ad prædium imprimis, *Wirl* nominatum, ex loco palustri effodiuntur tria potissimum *Succini* genera, 1) album, tamen nebulosum quodammodo, vel nubilum, 2.) flavum ac pellucidum, 3.) nigrum, alias *Gagates* dictum, ultimi fumus male olet, contra primi & secundi odor est suavis atque jucundus. Succinum nigrum sæpe lignum imprægnat; album & flavum habet omnem bonitatem atque qualitatem succini Prussici, & involvitur arena, intermistis fibris nigris radicum. *Rarissimum* hujus *Succini exemplar*, cui impressum erat folium piri, quo detracto tamen ejus imago remansit integra & optime expressa, Dn. *Keysler* dono obtulit magno illi Naturæ æstimatori & scrutatori Londinensi, Hans *SLOANE*, vid. Dn. *Keysler* allerneueste Reisen, Tom. II. pag. 559.

Vltzen, ad hoc oppidum fluit rivus die Gertau adpellatus, in quo *margaritæ* reperiuntur magnitudine lentis.

In vicinitate oppidi inveniuntur *Pseudo-adamantes*, qui habent ignem majorem quam Linsburgenses supra descripti.

Adhuc *Echini* formosi

Oldenstadt, ubi

Echinorum varia genera, & dum heic quondam puteus fodiebatur, simul *succinum* erutum, magnitudine & ipsa forma simile ceræ, qua litteras obsignamus, extractum ad pedes viginti altitudinis.

Celle, oppidum, in Alleræ margine repertum *Corallium*, quod fluvius ejecit.

In agris leguntur *Pseudo-adamantes* rariores, Echinites.

Bodendick, ubi

Echini formosi in lapide corneo latitantes.

Burgdorf, ubi

Liquidum nigrum in palustribus locis, aquæ innatans, a rusticis depletur, & loco axungiæ ab illis adhibetur ad linendum currus suos *LACHMUND Oryctograph. Hildesheim. pag. 9.*

Ahlten, ubi

Multa *Turfa* effoditur; & ipsi cum præessemus nobilibus filiis generosissimi Liberi Baronis *de Bülovu*, supremi saltuum Lüneburgensium Præfecti, qui possessiones sat commodas heic habet, in agris collegimus complures modios *Belemnitarum*; in horto autem *Echinos* rariores, tenuissima crusta, parvis gibbis ornata, inductos, margaque alba effartos. vid. Excellent. D. *BRUCKMANNI Epist. Itiner. VII. pag. 5. Epist. Itiner. XXXII. pag. 6.*

C.) Ducatus *Grubenhagen*, in hoc

Eimbeck, ubi

in monte, cui nomen inditum der Huf, septentrionem versus, in itinere ipsi legimus *Cornua Ammonis* petrefacta majora minoraque.

Asteriæ cuspidatæ in lapide calcario.

Aetitæ coloris albi majores, minoresve, nonnulli similes sunt magnitudine capiti infantuli recens nati, sonum reddunt propter inclusos lapillos.

Ceraunites major, foramine præditus, in eodem monte vomere denudatus, coloris nigro-cæsii, longus unum pedem & fert sex pollices, ponderat octo libras, adservatur in Pharmacopolio oppidano.

Osterode urbs ipsis radicibus, montium Hercynicorum meridionalium adsita, ubi

Alabastra varia & elegantiora.

Lapides fissiles nigri, in quibus figuræ *piscium*, & quorundam *insectorum* eleganter expressæ conspiciuntur. vid. *Comment. nostra Epistolar. I. de Fossilibus & Natura mirabilibus Osterodanis pag. 11. & pag. 16.* Celeberr. D. *BRUCKMANN Epist. itiner. XXVI. pag. 5. seq. Miscellan Berolinens. pag. 119.*

Glossopetra, videatur Excellentiss. D. *BRUCKMANNI Epistola Itiner. XXIX. pag. 4.*

Not. *Mineralia Hercynica* pluribus commemorare supersedemus, quia, si tibi volupe, illa omnia ordine recensita legere poteris in pretioso & multo labore germanice conscripto opere, cujus titulus est: D. *Franc. Ern. BRUCKMANNI Magnalia Dei in locis subterraneis Parte I. pag. 100. seqq. Parte II. pag. 234. seqq.*

Hertzberg, ubi

Alabastra perpulcra, bey der Aschen-Hütte.

Scharzfeld, arx rupi præcipiti inædificata, huic vicinum antrum Schartzfel-

feldianum, ex quo eruitur *unicornu fossile*; *integrum caput* cum omnibus suis dentibus naturale, sed calcinatum, quondam monstravit nobis antrum perscrutantibus, Dn. *Janus*, Præfectus arcis, specimen capitis ursi exactissime præbens; & simile ante aliquot annos Coburgi vidimus, ex hoc ipso antro, cum Museum instructissimum B. *Verpoorten* lustraremus. vid. Curiosiss. D. *BRUCKMANNI Epist. Itiner. XXXIV. Bernhard. de ROHR* Merckwürdigkeiten des Ober-Hartzes *pag. 305.* qui Polyhistor, vt scripta ejus plurima testantur, fautor & amicus noster verus, præterito anno vitam suam cum morte commutavit, cui itaque placidissimam quietem ex intimo animo optamus. *LACHMUND* commemorat de *Cranio* ingente hominis, prope arcem *Schartzfeld* reperto, in *Oryctogr. Hildesheim. pag. 68.*

Alabastra bey der Kaus-Hütte. Excellent. D. *BRUCKMANN Epist. Itiner. XXVI. pag. 15.*

In proximo *Antro*, das Weingarten-Loch / nominato, quod jacet inter pagum *Osterhagen*, & tabernam diversoriam *die Nixsey*, statim juxta viam regiam, quoque unicornu fossile foditur, inprimis ab ita creditis Venetis pro communi opinione *terra auri prægnans*; partem hujus antri ipsi perscrutati sumus MDCCXLI. quamvis maximo nostro incommodo, propter angustos aditus, & tam in vestibulo, quam in cavernis ipsis vestigia in solo lutoso atque humido novissime pressa eorum videnda erant, qui illo die, vel nocte præcedente ante nos antrum intraverant, cujus descriptionem habemus accuratam in editione altera *BEHRENS Hercynia curiosa* statim ab initio.

Elligerode oppidum, ubi

in agris legitur *Jaspis* ruberrimus, cum venis albis atque cœruleis, sane formosissimus, qui admittit polituram optimam propter duritiem, subtilitatem particularum lapidem constituentium, harumque mixtionem compactiorem; conficiuntur ex illo tabellæ ad capsulas sternutatorias construendas & minuta alia.

Rothehütte, officina ferraria, fluvio Budæ frigidæ adsita, ubi

Marmora versicoloria detecta omnino pulcerrima, durissima, splendidissima, quare etiam Camera Regio Electoralis dicto flumini 1739. molendinum ferratorium adstrui curavit, in quo marmora secantur.

D.) Ducatus *Goettingen*, in hoc

Gœttingen, urbs ad fluvium Leinam, ubi

& quidem in monte, dem Haynberg/ hujusque lapicidinis.

Conchæ marinæ lapideæ simplices & duplicatæ.

Cornua Ammonis, horumque varia genera.

Stellæ maxima copia. *Turbinitæ* rariores.

Conchæ læves, itemque *striatæ*.

Pectines formosi.

Conchæ sinuosæ incredibili copia.

Conchæ læves dendritis pictæ. *Gryphytæ*.

Tophus, qui includit arundinem, cochleas subtilissimas naturales. vid. Göttingische wöchentliche Nachrichten XVIII. Stück 1735.

Achates & *Pectines* in monte, dem Schneeberg.

Wehnde, monasterium, ad quod MDCCXXXVIII. duæ urnæ sepulcrales sunt effossæ.

Rostorff.

Hoc loco d. 3. Junii, anni 1686. *Betula & Abies* viginti & quatuor pedum altitudine sub terra repertæ. vid. *Petr. Valent. BERCKELMANNI* Relatio de illis eodem anno promulgata, & *Joh. Henr. STUSSII*, Collegæ quondam nostri honoratissimi, jam Rectoris Illustris Gymnasii Gothani celeberrimi *Memoria B. Theodor. Berckelmanni, Abbatis Amelungsbornensis 1733. edita, pag. 135.*

Münden, oppidum in confluente Fuldæ & Werræ, ubi

Echinitæ. *Conchæ*.

Cochleae, cornuum Ammonis ad instar intortæ e marga erutæ.

Buccina fossilia ventricosiora, trium vel quatuor gyrorum.

Cornu Ammonis majus Nautiloideum. *Lithoxylum*.

Carbones fossiles, denique *Creta alba*.

Ollendorf, inde est *Cornu Ammonis* majus, cujus diameter octo pollices, cum vertebris & interstitiis distinctissimis.

Quod adhuc reliquum, ne patientia benevolorum nostrorum Lectorum abutamur, dum præstitimus, ut opinamur, quæ debebamus & poteramus, hoc potissimum erit ut illis felicia quæque ex intimo corde adprecemur, eosque vehementer etiam atque etiam rogemus, velint nobis, nostrisque ingenii monumentis in posterum quoque tempus favere, ac hactenus fecerunt, quo studium nostrum hoc modo incitetur & inflametur, ad alia, si Deus clementissimus vitam insuper concedet, tendere. Valete igitur quam optime, atque prosperrime semper agite. *Galenus*;

Απαντα θαυμασια της Φυσεος εργα.

Omnia Naturæ opera sunt admiranda.

CARO-

CAROLI FRID. HUNDERTMARK,
D. MEDICI LIPSIENSIS
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM COLLEGAE
DE
SACCHARI SATURNI
USU INTERNO
SALUTARI
EXERCITATIO ACADEMICA
IN QUA
SIMUL VARIA CHEMIAE CAPITA
ILLUSTRANTUR,

Arduum ſane opus, quæ medicinæ in corpore animato effecta ſint, diligentius inquirere, & quidem usque eo, quid certi hac de re conſtituere atque definire, difficile eſt, ut ab hac potiſſimum argumenti difficultate profectum eſſe videatur, optimam illam, ſummoque opere neceſſariam, artis medicæ partem, qua eadem docemur, adeo mancam eſſe adhuc tam debilem, & tantummodo inchoatam. Hinc operam qualemcunque noſtram quam optime confidimus iri collocatam, ſi quædam illuc pertinentia iamiam fuſius paulo diſputaverimus. Et cum *de Sacchari Saturni uſu interno ſalutari* in præſentia agere certum ſit, ejusmodi, quod quidem videtur, diligimus ſcribendi argumentum, quod fortaſſis quam plurimis haud adeo diſpliceret, neque omni omnino careret utilitate, ſi modo res a Medico decrepito, & veternoſo ſene perageretur. Nulli tamen dubitamus, leviſſimum hunc laborem ab iis gratiam eſſe aliquam initurum, qui nullis præconceptis opinionibus perturbati, plus rei dignitati, veritatique ejusdem, quam ſcribentis auctoritati cuidam imaginariæ, ſatis omnino ſpecioſæ, concedendum eſſe, arbitrentur. Si de medicamentorum effectis in corpore humano verba facimus, eadem plerumque ex partium quibus componuntur, *ſtructura*, *ſale*, *ſulphure*, earundem *reſina*, *muco* & gelatina, (*a*) derivata demonſtrare adnitimur. Hæc ad expoſitionem, quæ medicamentorum ſimpliciorum, Galenicorumque vulgo quæ vocant, ſit inſita efficacitas & propria virtus, ſaltim ſufficient; (*b*) eorum ve-

(*a*) De principiis medicamentorum ſimpliciſſimis & primis hoc loco non loquimur, ſed potius de magis jam compoſitis, quæ ſenſibus explorata corporibus ineſſe experimur, quippe de quorum prioribus nondum adeo effectum eſſe atque transactum nobis videtur, ut eadem certo quodam numero definire, eorundemque explicare indolem, quod nonnulli confidentius faciunt, audeamus. Tunc enim in noſtra dicta optime quadrarent illa *Roberti BOYLE : Hovv can that facilitate the understanding of an obſcure quality or phaenomenon, Which is it ſelf ſcarcely intelligible, or at leaſt needs almoſt as much explanation as the thingt is deſignet & pretended to explicate ?* in libro, qui inſcribitur : *Of the imperfection of the chymiſt's doctrine of qualities. C. I. p. 4.*

(*b*) Vide *Georgii Wolffgangi WEDELII Amœnit. mater. med. lib. I. Sect. I. cap. 5. & 6. de cognoſcendis medicamentorum facultatibus ex odore atque ſapore pag. 21. ſeq.*

vero, quæ ignis vi, arteque chemica perficiuntur, longe alia est ratio, & horum virtutem tactu, odoratu & gustu semper explorare, id, quod in illis prioris generis meliori consilio, constantiorique eventu fieri, certum est, nec utile esse neque satis tutum, videretur. In utriusque generis medicamentis eorum maximam confidimus esse virtutem, quorum odorem fragrantem, acrioremque saporem esse, animadvertimus. Ita, exempli causa, ab *herba origani*, *salviæ*, *pulegii*, *melissæ*, *radice angelicæ*, *levistici*, *ireos Florentinæ* & *pimpinellæ albæ*, item *liquore ex oleo vitrioli anodyno*, *essentia martis helleborata*, *spiritu calcis vivæ* & *spiritu salis ammoniaci cum calce viva*, quid exspectare quis debeat? nullo negotio, maximam sane partem, cognoscet, qui eadem cumque olfaciendo de consilio examinata degustaverit. Sed quanam quaeso ratione sumus explicaturi ea, quorum deprehendimus nec ullum odorem esse, neque saporem, & quorum tamen optima, & haud raro stupenda esse effecta, cognoscimus? Rem paulo diligentius, illustratam, considerasse, operae pretium erit. Primum nos conferamus ad *magnesiam albam*, simplicissimum illud medicamentum, vixque dignum, (*c*) quæ quidem plurimorum est sententia, quod hoc loco commemoretur. Hæc ex Nitri li-

seq. & ejusdem, *de medicamentorum facultatibus cognoscendis & adplicandis*, *L. I. Sect. I. C. 3. de cognoscendis facultatibus in specie ex sapore p.* *seq.* & illustris *Friderici HOFFMANNI Opusc. physic medic. Tom. I. p. 9. de methodo compendiosa, plantarum vires & virtutes in medendo indagandi, p. 467. seq.*

(*c*) In hac medicina laudanda alii summi viri, alii reprehendenda, omnem collocarunt operam, ita, ut non, nisi experientia ipse confirmatus quis, habeat, quorum partes jure quodam suo sequatur. *ZWINGERUS in Fasciculo disput. med. select. dissert. VI. p. 221.* *Michaël Bernardus VALENTINUS*, in *Polychrestorum exoticorum supplemento primo de Magnesia alba ad Illustrem LEIBNIZIUM*, quod ejusdem *Praxi Medicinæ infallibili, p. 710. sequ.* adjunctum invenies, & *Joannes Baptista WERLOSCHNIG* in libro, qui inscribitur: *Curationis verno autumnalis, purgationi, venæsectioni, vomitioni, innitentis abusus*, & huic adnexis, *Epistolis ad diversos eruditos* ubivis fere locorum hanc *Panaceam solutivam*, quam vocant, iis extollunt laudibus, ut in omnium curatione morborum haud aliis medicamentis, quam *Magnesia alba*, horum auctoritate fulti, opus habere videamur. Alii vero, & in his inprimis celeberrimus Berolinensium *Caspar NEUMANNUS*, in *Prælectionibus chemicis*, *Magnesiæ albæ* omnem fere derogare virtutem atque efficacitatem adnititur. Ibidem scilicet *P. V. Regn. mineral cap. 17. de nitro p. 1659. seq.* Post quam acrius, minusque decenter in eandem, ejusque usum, invectus fuit; *diese prächtige magnesia*, inquit, *man mag auch noch so viel Geprahle und ungegründes Rühmen davon machen, als man immer will, ist weiter nichts, als ein gemeiner ausgemer-*

gel-

xivio præparata calx albiſſima, (d) cretæ ſimilis, ejus eſt naturæ, ut neque ſaporem ullum in ea animadvertamus, neque odorem, tamen ſerum corporis humani ab eadem egregie moveri, lymphamque ſolvi, cognitum habeamus atque perſpectum. Si eadem à ℥j. ad ʒij. vel ℥ß. uſus fueris, humores, a cruditate oriundos, acidos, acres, ſalſos, biliosos, mucoſos tenuiores, a natura corporis noſtri alienos, ejusdemque ſanitati officientes, deleniri, & ſine omni moleſtia per alvum ejici, experientia docemur. Sin eadem per aliquot dies, immo hebdomadas, ita utaris, ut ſingulis diebus ter ejus ℈i. ore adſumas, non eadem iamiam enumerata, per alvum tantum, ſed ſudorem etiam ſimul, atque urinam, quippe quæ ab ejus uſu cientur, emitti, luculento indicio comperies. Ex quo vero, haec ita fieri, eluceat, certiſſimum teſtimonium hoc eſt, illos ægrotos, qui inſigni humorum laborant acrimonia, poſt continuatum non nihil *albæ magneſiæ* uſum, de eximio ejus, quod alvo, urina & ſudore excernitur, ardore prurituque in cute plane ſingulari, vehementius conqueri. Undenam gentium hæc ita fieri demonſtremus? a ſalis illius minima portione fortaſſis, quæ in *magneſia alba* adhuc reſtat? minime profecto crediderim, cum ne ab ipſo quidem nitri ſale, quomodocunque fuerit praeparatus, omnia haec ita fieri, experi-

gelter Mauer-Kalk, darinnen, vvenn es ja noch vvas vvürckendes beſitzt, nur etvvas vveniges vom [symbol] *und* [symbol] *ſtecken blieben.* Licet ipſe antea longe aliam foverit ſententiam *libr. cit. p. II. cap. 15. de uſu medico productorum chemicorum p. 09.* ubi hæc *magneſiæ alba* prædicat eſſe effecta: *Sie iſt überhaupt ein abſorbens, und diureticum, hat ihren Nutzen die Säure in primis viis zu abſorbiren, und die inteſtina zu ſtimuliren, vvovon ihre vis laxans kömmt.* Cum vero quam plurima in jam commemorato libro ſe offerant, minus accurate omnique experientiæ haud raro contrarie dicta, & quæ ita comparata ſunt, ut injuriam omnino vel cineribus magni viri, & in arte exercitatiſſimi facere videremur, ſi hæc cum aliis vitiis ab eodem ipſo profecta eſſe, nobis perſuaderi pateremur: tam hæc, quam alia ejusmodi complura, aliena potius inſcitia, neſcio, an negligentia irrepſiſſe, cognitum habemus atque perſpectum. Sed neque his omni ex parte fides habenda eſt, neque illis quod ſcilicet *magneſia alba* quidem egregiam quamdam inſitam habeat efficacitatem, & omnino omnem acrimoniam humorum, bilem abundantem, mucum teniorem, ſenſim paulatimque per alvum, urinam & ſudorem, ſine virium debilitatione, ejiciat, non tamen bilem tenaciorem, porraceam, æruginoſam, craſſioremque pituitam, movere, iisdemque corpus humanum liberare, valeat, & propter ea etiam aliis adhuc medicamentis, paulo magis, & fortius alvum ducentibus, opus habeamus, quidquid etiam *VALENTINUS* in *lib. cit. p. 29.* rei novitate atque inſolentia captus, atque delectatus contradicat.

(d) *Terram calcariam* vocat *Joannes Andreas CRAMERUS* in *Elementis artis docima-*

perimur. Si porro nos ad ea conferamus medicamenta contemplanda, quae ex mercurio, vel tantum, vel cum aliis rebus arte commixto, proueniunt, mens merito obstupescit, eorundemque effectis divinum fere quidquam inesse, quod ne cogitari quidem satis digne, nedum explicari verbis possit, fateamur, necesse erit. Unde mercurii cum aqua cocti, vis anthelmintica? (*e*) unde mercurii dulcis usus parcus alvum solvit? frequentior salivam movet? idem saepius sublimatus sudorem ciet? (*f*) undenam eiusdem, cum antimonio vi ignis permutati, tam stupendae et vere innumeræ virtutes, ex quibus illam, quae dolores lenit, & nervorum tremori medetur, nominasse sufficiet? (*g*) Quam plurima adhuc hunc in censum referenda de opio, (*h*) antimonio, (*i*) vi-

stica P. II. practica ejusdemq; naturam ibidem diligentius definit, *p.* 303. *seq.*

(*e*) Vide *Joannis PECHLINI de purgantium medicamentorum facultatibus exercitat, nov. p.* 152.

(*f*) Vide *Hermanni BOERHAAVE element. chem. T. II. operat. chem. part. 3. in fossil. p. 418. proc. 193. sq.*

(*g*) Confer. *HOFFMANNI exercitationis medico - chemica de cinnabari antimonii, ejusque eximiis viribus usuque in morbis secretiori &c. cap. X. de modo agendi ac viribus generalibus cinnabaris & cap. XI. de viribus specialibus, variis medicamentis internis & externis*, cautelis.

(*h*) Vide *WEDELII amœnitates materia medica, p. 144. 326. 440. 506*, Ejusdemque *de medicamentorum facultatibus cognoscendis & applicandis p. 204. sq.* immo imprimis *Opiologiam* speciatim editam, item *Michaëlis ETTMULLERI opp. med. theoret. pract. Tom. I. p. 589. seq.* Addi poterunt, quae de *Opio* ejusdemque partium superficiebus resinosis, filamentosis & hamatis, indeque, si Diis placet, provenientibus effectis in corpore humano, mira litterarum monumentis consignavit *Joannes Baptista MAZINUS* in *mechanica medicamentorum dissertatione X. de medicamentis opiatis p. 94. seq.* quem omnem librum si diligentius per legeris, diu sane dubius hærebis, voluerit ne seria & vera experimentisque comprobata, explicare, atque excutere medicamentorum effecta, horumque demonstrare rationem, vel potius satis jocosam de eisdem agere fabulam mathematicam.

(*i*) De *antimonio* ejusque virtutibus hoc loco fusius ut agamus non erit, quippe in quo laudando, quicumque summi viri de medicamentorum effectis disputaverunt, iam omnem collocarunt operam & ipse exercitatissimus in arte BASILIUS VALENTINUS librum, qui inscribitur: *Currus antimonii triumphalis*, reliquit. Pauca tamen de ejusdem usu, fortassis haud adeo nota, quin addamus, vix continemur. Medici ab omni olim usu antimonii crudi interno abstinuerunt, sed ars tandem ea cepit incrementa, ut haud raro summo cum emolumento iis utamur iam medicamentis, ad sanandos morbos vere desperatos, quæ a veteribus venena habita fuerunt. Illuc referendum antimonium crudum, de cujus usu interno est apud NEUMANNUM in *prælectionibus chemicis, part. V. regn. mineral. cap. 3. de antimonio, p* 1461. quibusque ib ab eodem dictis, hæc in primis addenda restant, antimonii crudi in curanda arthritide, si corpus bene præparatum fuerit, stupendam quamdam, & quam

triolo, (*k*) eiusmodique compluribus aliis, disputare possemus, si

vix quis nisi ipse sæpius expertus, crederet, esse vim atque efficacitatem, præcipue, si idem cum calce certa quadam conjunxeris, eiusdemque per aliquod tempus continuaveris vsum. Sed alii adhuc medicinæ, quæ ex antimonio ducit originem, *bezoardico* scilicet *minerali*, veram suam reddamus dignitatem, et gloriam, idemque ab injuriis summorum virorum librum præstemus, in præsentia omnino oportebit. Ab excellentissimis in arte viris PECHLINO in *exercitatione de purg. med. facult. p. 162. seq.* HOFFMANNO *in exercitatione de cinnabari, pag. 55.* BOERHAAVE in *elementis chemiæ, Tom. II. oper. chem part. 3. in fossil. proc. 223. p. 457.* NEUMANNO in *prælect. chem part. V. regn. min cap. 3. de antimonio, pag. 1464.* facile nobis persuaderi patimur, *butyrum antimonii*, inde progredientem *vitæ mercurium*, & ex hoc præparatum *bezoardicum minerale*, tantum ex antimonio ducere originem neque ulla ex parte mercurii quid admixtum habere, tamen scrupulus quidam nobis hac de re eximendus restat, a *bezoardici mineralis* effecto quodam satis digno, quod omni diligentia observetur, proveniens. Præter effecta eius insignia, quæ *Fridericus HOFFMANNUS* pater, in opere *de methodo medendi juxta seriem Wallajanam, l. I. cap. p. 240.* generatim, singillatim vero summus in arte vir *Fridericus DEKKERS*, in ducenda per sudorem aqua intercute & curando capitis erysipelate, in *exercitationibus practicis, p. 482. 489.* celebravit, peregregiam cognoscimus ejusdem, singulari quadam ratione commixti atque adhibiti, esse in doloribus arthriticis atque podagricis sopiendis deliniendisqu virtutem. Nunc in antimonio diaphoretico, quod non minorem, quam *bezoardicum minerale* in corpore humano habere vim inter alios complures, summi viri *WEDELIUS* in *pharmacia acroamatica lib. II. sect. 1. cap. 5. de calcibus p. 256.* idem in *pharmacia in artis formam redacta lib. I. sect. 3. c. 5. de cohobatione & circulatione, p. 38. & NEUMANNUS lib. cit. p 1466. seq.* satis acriter contendunt, minime eandem vim animadvertimus anodynam, quam in *bezoardico minerali* jam demonstravimus, in cinnabari vero, quæ & antimonii & mercurii est particeps, luculentis eadem docemur exemplis, omnino hæremus ancipites, debeamusne omni ex parte negare, in *bezoardico minerali* subtilissimum aliquid inesse mercurii, vel eidem non nihil concedere? sed id aliis efficiendum relinquimus, neque in præsentia nostri judicii res est. At confidentius quidem butyro antimonii particulas mercurii liquido adserit, summus, rerumque naturalium peritissimus, BOYLE, in libro: *Of the determinate nature of effluviums, cap. III. p 13. seq. Nay though a boty be not by nature, but art bompoundet of such differing bodies as a metal and another mineral, and two or three salts; yet, if upon purification of the mixture from its grosser parts, the remaining and finer parts be minute enough and fitly shap'd the Whole liquor will ascend, and yet in the receiver althogether recover its pristine form of a transparent fluid, composed of differing saline and mineral parts. This is evident in the distillation of what chymists call* butter, *or* oyl of antimony, *very well rectified. For this liquor will pass into the reciever diaphanous and fluid, though, besides the particles of the sublimate, (which is it self a factitious compounded body) it abounds wit antimonial corpuscles, carried over and kept invisible by the corroding salts what euer Angelus Sala, and those Chymists that follow him, have affirm'd tho the contrary; as might be easily h re proved, if this were a fit place to do id in.*

(*k*) Præter ANGELI SALAE *anatomen vitrioli* & *tractatum de natura & propietate vitrio-*

si id quidem instituti ferret ratio; cum vero jam justo paullo longius ab eodem sit oratio digressa, merito illuc revertimur, qui id saltem huc usque demonstratis clarum esse volumus, nos in cognoscenda medicamentorum plurimorum vi, eaque definienda, nondum eo usque esse progressos, ut jure quodam nostro veterum qualitatibus occultis, quas ad exponenda medicamentorum effecta, in auxilium vocarunt, irridere valeamus, cum nobis ipsis, nisi eorundem explicationem, a figura partium, superficie, & elatere, nescio quibus, ridicula quadam ratione derivare velimus, haud raro eo confugiendum sit, vt non possimus non ingenue confiteri, varia a quam plurimis medicamentis in corpore humano singulari plane modo fieri, iisdemque insitum atque innatum esse *sal* et *sulphur sui generis*, (l) ignotum scilicet nobis, atque penitus absconditum, de cuius natura et indole experientia nos tantum, licet obscurius, doceat. Sed iam de iis exponere adgrediamur, quorum causa potissimum omnis instituta est disputatio. Nullius medicamenti, ore adsumti, effectus in partes corporis nostri solidas poterit intelligi, cuiusmodi sit, et vnde oriatur? ante, quam idem in humores et partes fluidas demonstratus fuerit. Exemplo nobis in praesentia sint adstringentia medicamenta, quorum facile princeps potissimumque, *Saccharum* scilicet *Saturni*, data opera jamjam pertractamus, quippe quæ præ reliquis omnibus in primis proxime in solidas partes agere videntur. Ita ab eorundem justo atque opportuno usu in alvo nimium soluta, intestinorum lævitate, dejectione sanguine et sanie referta, nimio, et naturae humorum contrario, sanguinis, lymphæ, seminis profluvio, fibræ partium solidarum ad pristinum officium exsequendum, sine alius interventu, continuo revocari videntur, id quod tamen vix ulla ratione fieri posse cognoscimus, nisi prius humores, justo magis superfluentes, adstringentis cujusdam medicinæ usu abige-

n 3 ren-

vitrioli, quæ in ejusdem *opp. med. chem. Francof.* 1680. edit. X. XI. inveniuntur, digni sunt, qui conferantur *Matthiæ TILINGII observ. de arcano vitrioli*, quæ in *Theophili BONETI medicinæ septentrionalis collatitiæ p. II. lib. 8. p. .. sect. 5 mineralogica cap. 72. p 899* invenitur. *Danielis LUDOVICI pharmaciæ differt. I. de aperient. mineral. p. 451 seq. edit. tert. Wedelii. DEKKERS lib. cit. p. 535. BOERHAAVE l. cit. p. 43 . seq* it. *Gottfried ROTHENS Anhang zu seiner chymie, handelnd von denen metallischen Saltzen, und dem schmertz-stillenden Schwvefel des Vitriols, p 63. seq.*

(l) Conf. *HOFFMANNI exercitationem acroamaticam de acidi & viscidi, pro stabiliendis omnium morborum causis, & alcali fluidi, pro iisdem debellandis insufficientia, cap. X, pag. 49. & XI. p. 59.*

rentur, atque exſiccarentur, eorundem nimia acrimonia deleniretur, ſalium, a natura corporis alienorum, abundantium copia nocens, atque humores juſto magis reſolvens atque in motum agens, ejiceretur, & rapidiſſimus æſtuantis ſanguinis motus irrretientibus eundem, contrahentibusque medicamentis, ſufflaminaretur, ut tandem, his omnibus impedimentis rite ſublatis, fibræ motrices ſibi ipſæ relictæ, priſtino robore ſponte reſtituto, naturali munere valeant perfungi, neque fluida continenda praeter modum, quem natura ſapientiſſima conſtituit lege, dimittant. Tum tandem, omnia hæc ita ſi prius in humoribus peracta fuerint, intelligitur adſtringentium medicamentorum ad principia & latera vaſorum, adplicatorum, actio mechanica in eadem, quæ ſtringendo fibras diametrum vaſorum diminuit, comprimit, contrahitque humores incluſos, eorundem motui citatiori officit, & quæ ejusmodi plura ſunt reliqua. Ex his huc usque demonſtratis commode eorum peti poterit expoſitio, quæ ab adſtringentibus medicamentis, corporis cujusdam parti externe applicatis, efficiantur? omnia ſcilicet eadem ab iis hic peragi videbis, quæ ante paulo de ore adſumtis diximus, modo tunc, inverſam eſſe effectorum rationem, intelligas, ut ſcilicet prius ab ejusmodi medicamentis fibras affici cognoſcas, quam ad ante expoſita, in humoribus perficienda (*m*) adgrediantur. Nunc fiat periculum, poſſimusne ex hucusque explicatis nobis eorum parare cognitionem, quæ a Sac-

(*m*) Non tantum in ea, quæ proxime ſub cute inueniuntur collocata, egregia ſunt externe adplicatorum effecta, ſed altius penetrant in corpus, et haud raro ad maxime diſſitas remotasque ejusdem partes transferuntur, ita, ut miranda quadam ratione, impoſito quodam emplaſtro, illitoque unguento, alvum duci, adplicato linimento mercuriali, ſalivam vehementius cieri, ut complura ejusmodi alia taceam, animadvertamus. Vide *BOYLE tentamen porologicum, ſive ad poroſitatem corporum tum animalium, tum ſolidorum detegendam cap. III. p. 8. ſeq.* His digna ſunt, quæ addantur, quæ ipſe hic ſummus vir in ſe eſt expertus, quorumque facit mentionem in libro, qui inſcribitur: *Eſay of the ſtrange ſubtility effluviums cap. IV. p. 35. And firſt, it is deliver'd, by Writers of good credit, that ſeveral perſons (for the experiment does not hold in all) by barely holding for ſome time dryed cantharides in their hands, have been put to much pain at the neck of de bladder, and have had ſome other parts miniſtringtothe ſecretion of urine ſenſibily injured. That this is true, I. am induced to believe, by What I, have elſevvhere related to you of the unvvelcome experiment I had of the effect of cantharides applied but outvvardly to my neck, and that unknovvn tome, upon the urinary paſſages; and that theſe operations are due to material effluxes, vvhich, to get into the maſſ of blood, muſt paſſ through the pores of the ſkin, you vvill not, I preſume, put me to prove.*

a *Sacchari Saturni* usu externo & interno in corpore humano fieri posse, veri est simile. *Saccharum* vero *Saturni est plumbi vitriolum, vel sal hujus metalli, vi menstrui cujusdam solutum atque extractum*, (*n*) *saporis dulcis & adstringentis.* (*o*) Hujus in artis medicæ parte, quæ manu medetur, tantus, tamque insignis est usus, ut in *purganda cute a maculis, ulcusculisque varii generis abigendis*, (*p*) *tollenda partium inflammatione*, (*q*) inprimis *ophthalmia*, (*r*) in leniendo dolore ab ambustione, (*s*) *curandis ulceribus vetustis, sordidis atque cancrosis*

(*n*) *BOYLE* in *a discovery of the perviousness of glass to ponderable parts of flamme with some reflexions on it by way of corollary. coroll. II. proposing a paradox about calcination and calces p. 77.* ipse disertis verbis vocat: *the sweet vitriol of lead, which they call* saccharum saturni.

(*o*) Non hic loquimur de alia *Sacchari Saturni* specie, quæ ex plumbo, vel ejusdem calce quadam, cerussa vel lithargyrio, vel minio cum spiritu Nitri conficitur, de quo BOYLE eleganter disserit in *the experiments and observations, about the mechanical production of tasts p. 15. exper. VI. of and insipid body and a highly corrosive one to make a substance as sweet as sugar.*

(*p*) *BOERHAAVE* in *Element Chem. operat. chemic p. II. in fossilia proc. 173. seq. p. 395. seq.* adde *Nouveau recueil des secrets & curiosités par le Sr. D' Emery, Tom. II. p. 311. seq. lait virginal.*

(*q*) Exemplo esse poterit *pulvis erysipelatodes Mynsichti* in *pharmacopoeia Argentoratensi p. 139.* descriptus. Non vero tantum in partium externarum, sed internarum etiam inflammatione, cuti adplicatum insignem profecto præstat usum, id quod in pleuræ, pulmonumque inflammatione vehementiori, post quam, artis leges, quæ tunc fieri jubent, rite peracta fuerant, summi Boerhaave exemplum imitati, optimo eventu ipsi edocti fuimus, cum hoc frequentius uteremur linimento: *Rec. Acet. rutacei, olei infus. rosar. lilior. albor. ana ℥j. Sacchari Saturni ℥ß. M. F. Linimentum*, quam calidissime potest adplicandum, & tunc pannis laneis, vel tegulis calefactis locus dolens diligentius contegendus, adde, quæ habet speciatim de hujus singulari præstantia MICHAELIS *lib. cit. C. 25. de inflammatione renum p. 189. et de vesica inflammatione, cap. 39 p. 194.* & generatim *BOERHAAVE in lib.* sæpius citato, *p. 39. seq.*

(*r*) In hujus curatione ab omnibus fere communi laudatur suffragio. Ut enim in præsentia taceam *unguentum* illud *ophthalmicum rubrum Bezæ*, in *pharmacopœia Argentoratensi p. 215.* descriptum, a Gallorum Medico oculario *DE SAINT-YVES*, qui oculorum morbos, & quæ illis optime medeantur, data opera fusius disputavit, ubivis locorum ejus usus summis extollitur laudibus. Vide ejusdem *Nouveau traité des maladies des yeux part. II chap. 6. article 2. de la guerison de l' ophtalmie humide p. 43. & article 4 de la guerison de l' ophthalmie avec chassie;* adde quæ *Hermannus Nicolaus GRIMM de usu sacchari saturni, cum quibusdam lapidibus medicinalibus commixti, ad oculorum inflammationes cum defluxu acriorum humorum* prædicat in *Bonneti medicinæ septentrional. collatit. part. II lib. VIII. pag. 4. sect. 5. mineralog. c. 3. p. 868. seq.*

(*s*) Hic eadem ratione ejus usus salutaris esse consueuit, quo idem modo prodesse

crosis, (t) *in scirrho vetere maligno arcendo, ne abeat in carcinoma*, (u) & quæ sunt eiusmodi reliqua complura, (x) primas omnino partes occupare videatur, quippe quibus omnibus sordes putridas abstergendo, exsiccando, refrigerando, extinguendoque calorem nimium & fibris pristinum restituendo robur, omnium commodissime mederi obseruetur. Quo vero frequentius *Sacchari Saturni* usum externum ab omnibus artis peritis commendari animadvertimus, hoc magis ab eodem, interne in corpus invehendo, ad unum sane omnes hodie summo opere abhorrere videntur. Alia tamen medicorum, haud ita longe ante temporibus viventium, fuit de usu interno *Sacchari Saturni*, quam hodiernorum, sententia. Illi

desse obseruatur in inflãmatione generatim, refrigerando scilicet, atque calorem extinguendo, cuiusmodi est *unguentum ad ambusta Augustanorum*, in *Pharmacop. Argentor. p. 106.* definitum. Commendat hic etiam exercitatissimus Medicus, *Joannes MICHAELIS*, medicamenta ex *Saturno* parata, in *Opp. Medico-Chirurgicis, prax. clin. general. part. II. Chirurg. cap. 13. de ambustionibus p. 338. & seq.* ubi: *In principio emplastrum saturninum Mynsichti divinum auxilium adferre*, confirmat.

(t) Huc referendum est *Emplastrum de minio* in *pharmacop. mox cit. p. 81.* et *Oleum Saturni*, ibidem *p. 121. plumbi balsamus cum oleis expressis vegetabilibus, et idem cum oleo stillatitio vegetabili a BOERHAAVE lib.* sæpius citat. *proc. 177. seq. p. 400. seq.* delineatus; adde, quæ admodum egregia de *balsamo saturni therebinthinato* litteris consignata reliquit *ETTMULLERUS in Colleg. Pharmacevt.* in *Schroederum*, quod in *opp. Tom. I. p. 765.* invenitur, et JUNGKEN *in Chemia experimentalis sect. V. cap. 3. p. 315.* Immo ipsi experientia fuimus edocti, linimentum ex melle Hispanico, cum *sacchara saturni* commixtum, nonnunquam cancro aperto, interne simul praecipue adhibitis medicamentis, singulari qnadam profuisse ratione.

(u) Vide BOERHAAVE Aphorism. de cognoscendis morbis, de *scirrho, sect. 490. 4 p. m. 102.* et eiusdem *libellum de materie medica, his aphorismis inservientem, p. 109. seq.* adde quæ habet HEISTERUS *in Chirurg. part. I. lib. 4. cap. 16. §. 14. p. 340. seq. & cap. 17. §. 12. p. 346.*

(x) His adhuc accensere commodum admodum videretur, illum vsum ex *Saturno* prouenientium medicamentorum externum, quo lumbis, vel alii cuidam corporis parti, laminæ impositae ipsius plumbi nimiam libidinem exstinguere a WEDELIO *de medicamentorum facultatibus cognoscendis et applicandis, Lib. II. sect. 2. cap. 4. de antivenereis p. 227. & furori uterino mederi*, a RIVERIO *Prax. med. lib. XV. cap. 5. p. 450.* item *cancro nondum exulcerato egregie prodesse*, a *Joanne DOLAEO in Encyclopadia chirurg. rational. lib. V. cap. 8. de cancro, p. 169.* laudantur; sed cum hæc obsoleta sint, quæ magis antiquam illam sapiunt superstitionem, quam, ut hæcce prædicata eorumdem vis certo quodam nitatur fundamento, lubentius ea, ne quid temere egisse videamur, in præsentia tacemus.

Illi scilicet hoc medicamentum inter alia, variis consiliis adplicata, innoxia recensuerunt, cum hi contra acrius in idem invehantur, & dirum confiteantur esse venenum. Ita WEDELIUS *Sacchari Saturni*, ore adsumti, *virtutem Phthisi medentem* (y) & antaphrodisiacam, (z) inprimis celebravit. MICHAELIS eodem in cujuscunque partis internæ inflammatione promiscue usus fuit (a) & *Ioannes Helfricus* JÜNGKEN, qui, quæ nostra quidem est sententia, proxime ad rei veritatem accessisse videtur, *ejus vires insignes esse, tam interne, quam externe, ubi acrimonia biliosa, & spirituum exultans motus inflammationem, calorem & dolorem inducat*, adfirmat; (b) & paulo inferius de *saccharo saturni*, cum spiritu vini rectificato digesto, verba faciens, *vires hujus spiritus cum saccharo saturni communes nisi, quod hic interne melius exhiberi possit, in febribus ardentibus, erysipelate, & aliis spirituum exorbitantiis, & acida acrimonia biliosa, maximi effectus,* (c) contendit, vt taceam, *Saccharum Saturni* olim generatim in adstringentium, (d) & absorbentium (e) medicamentorum, quæ ore

y) *Amœnit. mater med. Lib. I. Sect. 3. cap. 6. p. 162.* MICHAELIS *opp. med. Chirurg. prax. clin. general. p. I. lib. 3. de affectibus thoracis p.* 113. Hujusmodi est medicamentum notissima illa *tinctura antiphthisica* a JÜNGKEN *l. c. p.* 314. & in *Pharmacop. Argent. p.* 193. descripta.

z) *Lib. cit. lib. II. Sect. 2. cap. 18. de antaphrodisiacis p.* 489. idem *de medicamentorum facultatibus cognoscendis & applicandis lib. II. Sect. 2. cap. 14. de antivenereis*, p. 227.

a) Exempli gratia: *In inflammatione ventriculi, lib. cit. part. gen. I. lib. 4. cap. I. p. 129. renum, ibid. cap. 35. p. 189.*

b) *In Chemia experimentali curiosa Sect. V. cap. 31 p.* 313.

c) *Lib. cit. p.* 314.

d) Vide FULLERI *Pharmacopœiam extemporaneam p. m.* 158. 164. 168. 177. &c. & *Joann.* DOLAEI *Encyclopædiam medicam dogmaticam, lib. III. de morb. abdom. cap.* 5.

ore adſumuntur, numero principem occupaſſe locum? Sed quo major ejusdem quondam fuit auctoritas, hoc minus his noſtris temporibus ſalutari illius tribuitur virtuti, immo potius a ſummis, & ſingulari experientia conſpicuis viris, teterrimum confirmatur eſſe venenum. (f) Ex his duumviros in arte chemica maximos, BOERHAAVE atque NEUMANNUM, nominaſſe ſufficiet, quorum ille, (g) *interne*, inquit, ſaccharum ſcilicet ſaturni, *commendatur pro remedio ſalubri contra hæmoptoën, hæmorrhagiam, mictum ſanguinis, gonorrhœas, fluores albos & ſimilia, tum etiam pro mitificante remedio contra acria ſanguinis. Sed nunquam auſus fui facere periculum, quia felices ſucceſſus haud vidi, ab aliis adhibentibus natos, & quoniam novi, vix doloſius haberi, tetrumque magis venenum, quam ab hoc plumbo, ſtatim in ceruſſam redituro,* ac

cap. 5. de dyſenteria p. 497. ubi Saccharum Saturni, inquit, *egregium eſt remedium in dyſenteria.*

e) Vide eundem ibidem *lib. IV. de morb. abdom. cap. II. de affectu hypochondriaco p. 622. a.* ubi, *conferunt hic* ſaturnina, inquit, *aliaque abſorbentia, quatenus acidum minus ſymbolizans abſorbent, ut ſic ſpiritus quieti conſerventur, ut* Saccharum Saturni, *& ex eo parata tinctura antiphthiſica; & lib. V. de morb. mulier. cap. 2. ſuffocatione hyſterica p. 229. b. in paſſione hyſterica,* ait, *ad convulſivos iſtos motus ſedandos & ſimul auſterum abſorbendum, Jovialia,* Saturnina, *anodyna, caſtorina, cinnabarina, omne abſolvunt medendi punctum.*

f) Omnia ex *Saturno* parata, in corpus noſtrum frequentius copioſiusque ingeſta, quam inimica ſint ejus naturæ, quidque ad idem debilitandum, immo penitus deſtruendum, valeant? vel inde luculento patet indicio, quod illi, qui in arte ſua exercenda plumbo ſoluto opus habent ut utantur, ita ejus vapores ore hauriunt, figuli exempli cauſſa, auri, argentique depuratores, aſthmate plerumque laborare, membra ſoluta habere, edentuli eſſe, obſerventur. Confer. *Bern. RAMAZZINI, de morbis artificum diatriba, cap. V. de figulorum morbis.*

g) Lib. ſæp. citat. *proc.* 173. *p.* 398.

ac acidum ab occurrente quacumque re inde absorbetur. Hinc lethale, nec facile postea sanandum, venenum corpori inducitur. Hic vero NEUMANNUS: (h) *Innerlich,* ait, *rathe ich vom Gebrauch des* Sacchari Saturni *gäntzlich zu abstrahiren, und es als ein unausbleibliches Gift zu consideriren, vvodurch, vvo nicht gar der Tod, doch paralytische, mörderliche Zufälle zuvvege gebracht vverden, und vverden daraus die subtilesten Giffte præpariret.* (i) Erimusne propterea oscitantiæ cujusdam reprehendendæ arguendi, cum tantorum virorum testimoniis contradicentes, salutarem usum internum *Sacchari Saturni* esse, adfirmare audeamus? Non vero ea nostra est confidentia, ut temere, rerumque novarum tantummodo studio, nimioque oblatrandi pruritu, lacessiti, aliquam foueamus sententiam; hujus igitur in præsentia erit reddenda ratio, ut pateat, quibus potissimum argumentis muniti illam amplecti non dubitemus? Si ad morbum quemdam abigendum, trita illa, usuque frequentiori satis comprobata medicamenta suffici-

O 2 unt,

h) *Lib. cit. p. V. regn. mineral. c. 28. de plumbo p. 1676. seq.*

i) Idem *lib. cit. p. 513. Innerlich,* inquit, *vvird es zvvar zur Hemmung des fluxus albi, gonorrhœæ, hæmorrhagiarum, &c. gebraucht, es bringt aber bey sensiblen subjectis insgemein, und vielmahls, unheilbaren Schaden, indem alle Saturnina heimliche Giffte sind, und das poudre de la succession daraus bestehet.* Cui sententiæ, medicamenta scilicet ex *Saturno* præparata, inprimisque *Saccharum* ejusdem, sæpius copiosiusque usitatum, homines lento occidere veneno, ut subscribamus, nullo nobis persuadebitur negotio. Dum enim hæc vehementius exsiccant humores, contrahunt & eosdem, & vasa, motui eorum officiunt, obstruunt viscera, gignuntur scirrhi, fit in vasis minimis secernendorum, quæ ad sensum & nutrimentum faciunt, perturbatio, & ad hoc illud CELSI dictum *lib. V. cap. 27. maximam partem venenorum frigore interimere*, quam optime quadrat. Hinc malus corporis habitus, atrophia, tabes, mors, nec tamen ullius accepti veneni post mortem certum indicium.

unt, omnemque ſalutis ſpem inde petere licet, ad minus conſueta, & haud adeo omni ex parte tuta confugere, abſurdum eſt, verumque proruptæ cujusdam audaciæ teſtimonium. Sin vero morbus ita fuerit comparatus, ut ex optimis medicamentis, quæ alias inſigni plane modo ſalutaria eſſe obſervantur, nullum ſolatium, nulla ſpes curandæ valetudinis adferatur, ſed potius in dies omnia deteriora fiant & de ægroto actum, eumdemque in ſummo diſcrimine vitæ conſtitutum, immo penitus conclamatum eſſe, omnes exiſtiment, tunc profecto in maximo morbo, etiam vehementiori, & dubia ut medicina utamur, non licebit modo, ſed etiam oportebit. Ita in quocumque humorum noſtrorum profluvio, præter naturæ leges nimio, in delenienda eorumdem acrimonia, inde prouenientе ſanguinis æſtu, & hunc ſequente partium fluidarum reſolutione, excretioneque juſto magis adaucta, ſi hæc omnia haud ſummum conſecuta fuerint gradum, & febris ſupervenerit vehementior, commode a *ſacchari ſaturni* uſu interno abſtinere poterimus, cum ſcilicet non deſint alia media potentiſſima, & in primis adſtringentia medicamenta, ſpectatæ ſæpius, experientiaque frequentiſſima confirmatæ utilitatis, quibus eadem tuto, certiorique & optimo eventu perficere valeamus. In febribus vero acutis malignis, a putredine atque acrimonia humorum, partiumque nobiliorum internarum inflammatione, oriundis, delirio cum & ſine febri, *ſaccharum ſaturni* ſalutari conſilio in uſum interdum vocari, poſtea, quam corpus optime ſecundum artis leges purgatum fuerit atque præparatum, neque amplius venæ ſectio, medicamenta ex *nitro*, *vitriolo*, *camphora*, *ſpiritus acidi*, & illa, quæ corpori externe adplicantur varii generis, quid utilitatis atque leuaminis attulerint, certum eſt. Quod vero non ratiociniis, eleganti ſerie inter ſe connexis, ſed experimentis potius,

tius, saluti ægrotorum consulere possimus, exempla in medium proferenda erunt, quibus a nobis hucusque pluribus exposita validius confirmentur. Cum ex hac Academia in patriam reversus, patrem, adhuc dum artem exercentem, ad lectos ægrotorum comitarer, offerebatur inter complures ægrotantes sub initium anni MDCCXXXVIII. mulier quædam, annos circiter XXXVI. nata, robusta satis & lacertosa, inflammatione internarum thoracis partium & inde proueniente febri vehementiori, correpta. Hæc, largius misso sanguine, adhibitisque & interne & externe medicamentis, quæ leges artis adplicare jubent, melius se habere, morbusque per sputum pituitæ, cum sanguine commixtæ, frequentius, sudorem male olentem, urinamque turbidam, haud ita longe post interuallo solvi videbatur. Cum vero de ejusdem convalescentia securiores essemus, cito, & præter omnem spem atque opinionem, vicesimo circiter die, omnia mutabantur, atque deteriora fiebant. Calor summo opere auctus, vehementissimus, isque tremulus admodum atque inæqualis, pulsus, genæ rubicundiores, oculi scintillantes, spiritus frequentius quidem, anhelus tamen ductus, delirium cum risu perpetuum, & vigiliæ per octiduum ita corpus macerabant, ut ne quartam quidem horæ partem per hoc tempus dormierit ægrota, aut fuerit modo quieta. His tot tantisque morbis labefactata ægrota decimo tandem die optimis fortissimisque incassum adhibitis medicamentis, ultimum vitæ finem jam attigisse videbatur. Nares enim acutæ, tempora collapsa, oculi concaui, faciem offerebant Hippocraticam, manus cum pedibus erant languidæ frigidæque, & sudor frigidus largius omne corpus perfundens, spiritusque summo cum stertore atque commotione pectoris vehemen-

mentiori, ductus, mortem quam proxime ſubeſſe, certiſſima ſigna ſuppeditabant. Rebus ita conſtitutis a patre conſilium petebam, quid faciendum putaret, qui, huic fere depoſitæ ægrotæ, amplius quid medicinæ adplicandum eſſe, omnino negabat. Tum tandem forte fortuna *libellum* ALBINI elegantiſſimum, quo in RIVERII *Praxin commentatus eſt*, quemque pater ex Belgio manu exaratum ſecum adportaverat, evolvo, ibique, ſummum hunc in arte virum, in febribus inflammatoriis, etiam deſperatis, ſingulari modo commendare pulverem ſequentem, ejusdemque virtutem ſummis evehere laudibus video: (k) *Rec. Lap. prunell.* ℈*j. Cinnab. antim.* ℈ß. *Camphoræ gr. V.* Sacchari ſaturn. gr. j. ij. vel iv. vel *Rec. Terr. ſigillat,* ℈*i. Camphor. gr. v.* Sach. Sat. gr. i. ij. vel iv. Continuo periculum cum hoc pulvere facere in mentem veniebat, licet de *Sacchari Saturni* uſu interno ſubdubitarem, dubium tamen medicamentum in ægrota, in ſummo vitæ diſcrimine conſtituta, adplicare, quam plane nullum, ſatius putabam. Ejus-

(k) Eadem methodo medendi, ſed longe vehementius, uſus fuit WERLOSCHNIG, quam ipſe in *Curationis verno-autumnalis, purgationi, venæſectioni, vomitioni &c. innitentis abuſu*, & huic adnexis *epiſtolis*, præcipue in *reſponſo ad Ep.* 23. *p.* 167. *de uſu ſacchari ſaturni interno* in curandis febribus malignis, ita deſcribere haud erubeſcit: *Omnium primo, ſi nullum adſit contraindicans ſignum, vomitus proliciatur, deinde ſingulis triboriis de ſequenti propinetur aqua alexiterica: Rec.* ▽ *Scorzoner. fl. papav. errat. de rub. idæo ana* ℥*iv. Syrup. rub. idæi* ℥*ij.* ſacchari ſaturni ʒiß. ♁ *diaphoret.* ʒiiß. *M. D. ad Vitrum, S. Krafft-Waſſer, alle* 3. *Stunden bis* 4. *Löffel voll zu nehmen.* Secundo *Rec. pulv. cancror. crud. C. C. uſt.* Sacchari Saturn. ♁ *diaph. Terr. ſigillat. Nitri antimoniat. & ppi. ana* ℥ij. *M. ſervetur ad uſum, Doſ.* ʒj. *S. Austreibende Pulver, davon alle Morgen eines ex Syrupo Limonum zu geben.* Quas medicamentorum formas hic recenſuiſſe, quam unquam hoc modo compoſitas temere imitatum fuiſſe, omnino præſtabit.

Ejusmodi itaque pulvere ori per vim ingeſto, novo paulo poſt furore agitari, omniaque pejora fieri, videbantur, poſt alterum vero acceptum pulverem, melius ſe habere, & non nihil ad ſe redire cœpit, poſt tertium rectæ rationis uſu reddito, pulſu æqualiori facto, omnia generatim ſymptomata meliora erant, poſt quartum tandem de inſigni omnis corporis laſſitudine conqueſta, placido obrepente ſomno, arctiori quidem illo per tres dies ſopiebatur, unde expergefacta, inſigni ſe moleſtia eſſe levatam prædicabat, & ita in dies viribus magis magisque confirmatis, tandem penitus convaluit, & integra hucusque fruitur valetudine. Eodem tempore ibidem in viro quodam LVI. annorum, pueroque XIV. annorum, utroque Febri ardenti maligna correpto, immo adoleſcente viginti annorum, vehementiſſimum in furorem acto, (1) de quorum omnes deſperabant ſalute, ſummo cum emolumento, ſtupendisque effectis, eadem uſus ſum medicina. Nihil itaque amplius exponendum de hoc argumento reſtat, quàm, ut pauciſſimis adhuc explicemus, quam cautionem, & diligentiam adhibendam eſſe arbitremur, in uſu *Sacchari Saturni* interno. Nunquam ad ejus uſum temere, nec niſi ſumma coacti neceſſitate, confugere audeamus. Si ſemel eodem utimur, portio ejusdem haud magna ſit, & numquam ſola ſine alius medicamenti, *camphoræ*, *nitri depurati*, *cinnabaris*, admixtione adplicetur, nec uſus ejusdem per aliquod temporis ſpatium continuetur, neque frequentius iteretur. In ægrotis

1) Poſtquam ſanguis copioſius miſſus, & omne corpus ſatis purgatum præparatumque fuerat, verticem capitis radendum, eidemque, cum aliis præcipue internis adhibitis, ſequens unguentum frequentius adplicandum curavi, & ægrotum peregregie levatum fuiſſe, lætus continuo animadverti: *Rec. Unguent. alabaſtrin.* ℥iij. *Nucl. perſic. contuſ.* No. X. *Acet. rutac.* ℥j. Sacchari Saturni ʒij. *Camphoræ* ℥j.

ægrotis, ubi malus corporis habitus, & suspicio viscerum obstructorum, atque scirrhorum, est, omnino ab eodem abstinendum, item ubi vel in robustissimis, qui Febri acuta laborant, solutio morbi per crisin, quam vocant, subesse videtur, uti per hæmorrhagiam, sudorem, urinam, aluum fusam, sputum, licet de his nostra haud raro minime certa sit divinatio. Hæc igitur hucusque disputata jam jam sufficiant. Quæ, si veris & justis rerum arbitris haud omni ex parte displicuisse intelligamus, mox fidem, quam publice nos obstrinxisse recordamur, item exsoluturi sumus, alteram *de singulari usu frictionis & unctionis in curatione morborum* in lucem edentes *dissertationem*. His vero, quos in præsentia damus, qualibuscunque tenuiorum studiorum conatibus, elegantissima illa coronidis loco imposuisse nobis liceat CICERONIS verba: (m) *Nos ipsos redargui, refellique patiamur. Quod si hi ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam, quæ non probare soleant, ea cogantur constantiæ causa defendere: nos, qui sequimur probabilia, nec ultra, quam id, quod veri simile occurrit, progredi possumus, & refelli sine pertinacia, & refellere sine iracundia, parati sumus.*

MYTU-

m) *Tuscul. disp. lib. II. cap. 2.*



MYTULORUM QUORUMDAM VENENUM ET AB EO NATAS PAPULAS CUTICULARES

EPISTOLA

AD
VIRUM ILLUSTREM
FELICIS INGENII JUDICII EXPERIENTIÆ
MEDICUM
DOMINUM
D. PAUL. GOTTLIEB
WERLHOF
SACR. REG. MAJEST. MAGN. BRIT. ET
PRINC. ELECT. HANNOVER. ARCHIATRUM
DIVERSARUM SOCIET. SCIENTIAR.
SODALEM
ILLUSTRAT
ET
UTRIUSQUE RATIONEM DEFINIT

PAUL. HENR. GERARD.
MOEHRING.

LOMMIUS.

Cum omnes artium Professores liberalium has ipsas pro virili quisque sua diligenter versare, & in usus accommodare hominum, tum præcipue Medici debent. Hi enim salutarem illam ac prope divinam agitant artem, præsidem sanitatis humanæ, sine qua nihil in vita suave, ne magnis quidem esse Regibus potest.

Integer-

Integerrimo Viro
Fautori ac Amico optumo

PAULO GOTTLIEB WERLHOFIO

S.

P. H. G. MOEHRING, D.

Naturæ Curioſorum Diocles II.



Quod dudum conſilii cum animo meo ſtatueram, Ornatiſſime WERLHOFI, variarum autem rerum continua fere interpoſitione neglexeram, ei in noviſſimo conventu noſtro novum calcar addidiſti. Tantopere ſiquidem affabili ſermonum Tuorum elegantia, ſingularique prorſus in tenuitatem meam humanitate Tibi me devinxiſti, ut niſi propius ad rem expediendam ipſam me jam componerem, officio mihi defuiſſe viderer. Suavi olim cum voluptate eruditiſſimam D.D. *Rud. Auguſti* BEHRENS ad Te conſcriptam diſſertationem epiſtolarem, *de adfectionibus a comeſtis mytulis*, disquiſitioni *Tuæ* medicæ & philologicæ *de variolis & anthracibus* (a) ſubnexam,

 perle-

a) Hannover. 1735. in 4.

perlegens, cuncta profecto adſidue inveſtigata, morbi porro ſingularis, & haud ita multis in regionibus frequentis, indolem atque hiſtoriam curate ſatis memoriæ proditam, variaque tandem, de cauſſa inopinato adfligentis mali, & mytuli veneno, ab aliis aliisque prolata, ingenuo judicii acumine examinata inveni. Non tamen adeo ex hauſtam rem agnovit doctiſſimus auctor, quin potius uberiori experientiæ (b) rem decidendam dederit, atque hæc prope finem eruditæ epiſtolæ (c) ultro confeſſus ſit: „ Ubi ubi autem venenata illa mytulorum „ indoles lateat, operæ ſane pretium foret, & ejus rei paulo „ exploratior ratio eſſet, quamquam eam iniri poſſe, vix ego „ ſperem. „ Et ipſe, mi WERLHOFI, jam antea in *præfationis* (d) *ultima pagina* ſapienter monueras, inquiri ulterius ab aliis obſervatoribus, medicisque naturæ & artis curioſis, in tam notabilis rei cauſas mereri. Quamvis autem infirmitatis meæ probe conſcius ſim, neque plane omnem ita rem, quæ longioris utique moræ eſt, explanare valeam, quædam tamen ad hiſtoriam morbi pleniorem reddendam proponere, atque deinceps aliqua, ad mytuli venenum attinentia, propitio ÆSCULAPIO, conjectura augurari conabor. Atque hanc quidem, niſi me omnia fallunt, ita comparatam fore opinor, ut, ſi non univerſalem morbi cauſam, quod alii deinceps judicent, ſuppeditaverim, certe a ſpecialium numero cauſarum excludi illa nequeat: quum tales obſervationes in terris, oceano vicinis, ubi mytulorum vivorum frequens & numerus & uſus cibarius eſt, oportunum inveniant locum. Prius vero, quam de hac ſollicitus

b) l. c. p. 24.
c) p. 25.
d) Ad D.D. BEHRENS diſſert. laudat.

citus ſim, unam alteramve mirabilis morbi hiſtoriam referam, cui ipſe adfui, & medicinam feci. Bini priores caſus euenerunt anno 1740. menſis Aprilis fine, tempore ſcilicet, quod ob graviſſimi gelu prægreſſi inſolitam vim in omnium recenti adhuc memoria verſatur.

Ægrotus I.

Uxori, tres ſupra annos triginta natæ, macilentæ, mediocris ſtaturæ, prandio in vicina domo, colloquii familiaris gratia adſtanti, offeruntur ab hera aliquot mytuli recentes, ad aperturam usque valuarum ſine alio liquido, ut mos heic terrarum valet, cocti. Quamvis autem noſtra vix iis alias delectaretur, iteratis tamen heræ perſuaſionibus morem gerens, ſex illorum ſine ullo condimento comedit. Elapſa nondum ſemihora, domum propriam, mox apud amicam reverſura, repetens, in conclavi fruſtum lintei de menſa adreptura, ſubito, ante id tempus proſpera admodum valetudine functa, vix ipſo eodem momento anguſtiarum in pectore fit conſcia, quum humi concidit; paucorum vero horæ minutorum, quæ vocant, ſpatio, conſortii & auxiliorum egena, ſuapte ſponte ad ſe redit. Conſilii & querelarum ergo ad priſtinam ſe conferens amicam, paucis inopinatam adflictionem relatura, ſenſuum uſu denuo privatur, artubus rigide extenſis. Eo in ſtatu domum transportata, lectoque commiſſa, conſilium meum expoſcitur. Viſa ægrota, anteactorum neſcius, novaque re perterritus, in ingeſtorum venenatam indolem movebam ſuſpicionem, præſertim quia morbi facies nil cum aliis commune fovere videbatur. Scire namque licet, mox ab immiſſione in lectum, corpus totum ægrotantis & vultum adparuiſſe lividum, qualis fere color

fornacibus ferreis eſſe ſuevit; qui poſt horæ quadrantem in fuſcum, & ex brunno in obſolete rubeſcentem commutatus, intenſiorem ſenſim colorem rubicundum, macularum in petechiis benignioribus æmulum, induebat, donec tandem, poſt horæ ferme decurſum, vividior rubeſcens, purpureis alias papulis ſolemnis, in conſpectum prodiret. Sub habitu hocce verſicolori cutis quoque ſatis manifeſte attollebatur, & tumidam præ ſe ferebat faciem. Inter hæc obſervatu valde digna reliquarum circumſtantiarum ſeries erat. Rigida, vti ſuperius dictum eſt, membra excipiebant murmura primum in ventre; hinc ſepti transverſi conſtrictio, & ſpiritus fauciumque præcluſio; ſenſibus ſemper abolitis; neque motu valde conſpicuo, niſi artuum raro & involuntario. Sed ita tandem præſtrictis faucibus, ut ob viæ ſpiritalis anguſtiam nimium coactus aër, ſtertentis ſonum ederet, multum ruboris faciei conciliabatur, & cunctæ partes tremiſcebant. Tum ſubito alterutrius brachii & ex oppoſito ſiti femoris motus convulſivi, ſatis manifeſti, per aliquot minuta ſeſe exerentes, brevi poſt alterius oppoſiti brachii & decuſſatim ſumti femoris motus convulſivos comites habebant individuos. Quibus haud ita multo poſt relaxatis iterum, corporis per tantillum temporis ſpatium quies ſequebatur, & apertis palpebris, oculorum adſpectus timidus ac erroneus, abalienatæ adhuc mentis argumento, adparebat. Mox eadem denuo ſcena ludebatur, & priſtini motus convulſivi, in dextro femore & pede, ſiniſtroque una brachio initium, & hinc ad oppoſitos artus tranſitum facientes, repetebantur eadem vi, eademque contractionis velocitate. Mutato autem, quem ſupra commemoravi, colore corporis in rubentem, purpuræ ſimilem tantum decreſcebat morbi vehementia, ut per intervalla quieta, modo narrata; rationis uſu potiretur. Lingua tamen adhuc

tenſa,

tenſa, ſolis manuum geſtibus, & præcipue juguli crebris comprehenſionibus de coarctatione harum partium nauſeoſa, aliis præter ea colli & oris commotionibus faſtidioſis indicata, conjicere nos oportebat. Ceterum pulſus æqualis, durus, ac naturali parum tardior. Quibus perpenſis, in memoriam redibat illud concinni LOMMII (e) de nervorum diſtenſionibus effatum, „ſcire autem licet, inquientis, „ſæpe hunc morbum febricitantibus ſubito, ſine ullis præcurrentibus ſignis, accidere, factoque bilis vomitu protinus conquieſcere: proin ejus cauſa „ad ſtomachi adfectum, non ad febrem referenda eſt.„ Sic & ego, mutata morbi cauſarumque proportione, cauſam ad ventriculi adflictionem referens, facta lædentium cruditatum vomitione, nervorum compagem mitigatum iri confidebam. Præſcripto igitur vulgari vomitorio, quod habebat Rad. Ypecacuanh. ſcrup. I. tartar. emet. gr. I. c. dimid. & Syr. roſat. ſolut. drachm. III. aliquoties magnam ingeſtorum & pituitæ vim per os reddebat. Rem feliciter geſtam confeſtim excipiebat loquela. Tum vero mens tota erat in querelis. Ex iis, quæ evomuerat, reliquias, ori, faucibus, œſophago, paſſim adhærentes, totam ardore acerrimo regionem, & quidquid partium contiguarum ſit, vellicare, rodere; eadem ventriculum moleſtia conturbari; huic velut prunam candentem ineſſe; effluvia ardentia perpetuo & igniculos exhalare canalem alimentoſum; abdominis interiora (quid aliud, quam inteſtinorum ſeorſim tractus?) feruido pruritu cieri; eundem pruritum jam totam corporis ſuperficiem occupare, referebat. Adaucta vero extra modum prurigine intra abdominis viſcera, breviſſimo tramite in ſenſuum & loquelæ abolitionem; verbo me expediam, in priſtina

(e) Medicinal. obſervat. p. 76. edit. Francof. de ann. 1721. in 8.

priſtina mala recurrebat. Senſim tamen ſub hiſce acceſſionibus motus convulſivi mitiores & breviores evadebant; at vox rauca & artuum dolores rheumatici ſuccedebant. Poſt tertiam vomitionem miſturam ordinabam, quæ ex Fullerianæ expreſſionis millep. S. unciis ternis, ſpir. C. C. drachmis totidem & Syrupi ribeſior. uncia I. componebatur. Vſus ejus quavis hora vnciæ dimidiæ quantitate, interpoſito eidem infuſi theæ repetito ſæpius potu. Ante vero quam hæc omnia agerentur, ad refocillandas paululum vires ſpirituoſum liquorem, e ſpir. rosmarin. drachm. VI. ſpir. ſal. ammon. ſimpl. ſcrup. unico & balſam. vit. liquid. drachma I. conſtantem, commendaram, qui naribus ſæpe obuerteretur, & fronti ſubinde, ac cervici adfricaretur. Quorum quidem remediorum actione ſalutari fiebat, ut laxata cuti arida, alternati artuum oblique oppoſitorum motus convulſivi, & fauces præſtrictæ, & ſpiritus difficultas, & anguſtia cordis, & ſenſuum imbecillitas, & ductus alimentarii ardor, pedepreſſim mitigarentur, ac interpoſito alio trihorii intervallo, papulæ urticatæ quaquaverſum in cute univerſa diſtributæ emergerent. Nihilo tamen ſecius idem perdurans omnium membrorum ardor pruriens, quid? quod, facta papularum eruptione, concitatius pene fervens, & *per totam noctem* infirmiores & breviores, quam antea, motuum convulſivorum & animi deliquiorum reverſiones efficiebant, obſcura ſpe & exſpectatione uti penderem, ceſſaturane ſymptomatum ſeries poſtero eſſet die, reliquorum, a D. D. BEHRENS (f) litteris mandatorum exemplorum inſtar, an longius duratura? *Altero* autem *mane* quum ad ægrotam accederem, motibus convulſivis fugæ

(f) Vid. inprimis ipſum *auctorem* ægrotum *p.* 13. *ſeqq.* & MENTZELII ægrotum ex *Ephemerid. Nat. Cur.* huc translatum, *p.* 11. *ſeqq.*

fugæ datis, nullius rei, hesterna vespera gestæ, reminiscebatur, excepto solo partium externarum & viæ stomachalis ardore pruriente, cujus adhuc reliquiæ, debiliori quamvis gradu, cum vesiculis urticatis, & pallidius rubente cute, una superstites erant. Sed nihil amplius rotam fortunæ heic pertimescendam arbitrabar, quin continuatis potius medicamentorum, ultimo commendatorum, generibus, rem brevi ex voto cessuram præviderem. Cui etiam iudicio sors ita fauebat, ut subducentibus sese de cute vesiculis urticatis, quæ sine suppuratione, sola cute aspera & squamosa relicta, abibant, ejusdem diei pomeridianis horis lectum ægrota deserere posset, beneque cibos adpeteret. Id demum meminisse juvabit, obscurum quendam dolorem, a laceratis quasi in alimentorum canale fibrillis derivandum, non nisi post aliquot dierum intercapedinem desiisse.

Ægrotus II.

Triduo post, alia mytulorum cohorte venum exposita, mercator quidam, quadragenarius fere, admodum lacertosus, & eximiæ proceritatis vir, civitatem nostram transiturus, in diversorio ad mytulorum prandium invitatur, quod initio, quia negotia ad aliam domum ipsum vocabant, declinabat, repetitis tamen hospitis & convivarum precibus adnuens, mytulorum magnitudine & pulcra bonitate permotus, stando aliquot comedit, ad summum sex octove. Quibus deglutitis, omni festinatione ad domum sibi propositam venire properat, sed absolutis fere centenis passibus, in via impeditus subita pectoris anxietate spirituque brevi, ac nausea ructibusque, suadente comite, diversorium repetit. Debili pede intranti, vix amplius

plius mentis compoti, ingeritur largus ſpiritus vini gallici hauſtus, ut vel ad ſe rediret, vel aliqua vomitione adlevatus liberiorem ſpiritum duceret. Tantum vero aberat, vt ea re mitigaretur malum, ut potius amiſſis penitus ſenſibus, corruendo in parietem impingens, ad lectum deportari deberet. Tumque confeſtim livido totus colore imbutus, adaucta ſenſim cordis anxietate, ſine ſenſu & motu jacebat, quum exoptata hora maritus ægrotæ prioris adueniens, audita rei novitate, de mytulorum veneno ſuſpicatus, ad opem ferendam me arceſſendum curaret. Viſo igitur ægroto, idem plane ſpectaculum triſte oculis offerebatur, quod in uxore modo memorata expertus fueram: idem varians cutis color & tumor, iidem nauſeoſi geſtus, iidem motus artuum convulſivi, vices alternantes, idem demum pulſus, quamvis ob lacertoſum corporis habitum plenior paulo. Ratione ad differentiam corporis habita, eadem propemodum medela utebar: Rec. Rad. Ypecacuanh. drachm. dimid., tartar. emet. gr. un. c. dimid., ſyr. roſat. ſolutiu. unc. ſem. M. ut ſtatim linctum lambat, ſuperbibendo infuſum theæ. Rec. Spir. rosmarini, & lavendul. cujusvis unc. ſem. ſpir. ſal. ammon. ſimpl. ſcrup. duos, balſam. vit. liquid. ſcrup. quatuor M. ut ſit liquor odorus, naribus ſæpe obvertendus, & cervici ac fronti ſæpius adfricandus. Rec. Expreſſ. millep. ſimpl. Full. unc. duæ, acet. prophylact. Sylv. unc. una, miſtur. ſimpl. unc. ſem. Syr. papav. alb. q. s. vel unc. una M. hujus omni hora unciam dimidiam, peracta vomitione, hauriat. Ex his medicamentis, deglutito primum vomitorio, ternas habuit copioſas vomitiones, quibus bono ſtatim omine loquela exceptis, de eodem primarum ardore exurente viarum conqueſtus eſt, qualem miſerrimum altera gemuerat ægrota. Ita quoque alterius in ſuperficie cutis prurientis doloris inpatiens, in illarum partium

tium frictione solatium quærens, ex scylla in charybdim incidebat: hunc namque locum, mox multum elevatum, & papulis urticatis undique conspersum impatibilis occupabat dolor ardens, diu perseverans. Sed reliquæ cutis ruber erat eo tempore color. *Sub noctem* motibus convulsivis & gulæ vinculo laxatis; papulæ urticatæ, initio lactei coloris, sed posthac pellucidæ, & aquæ gutta refertæ, undecunque emergebant, lenito, aut, si mavis, sopito ad tempus pruritu, per crebram ad somnum inclinationem. Nullum tamen eodem tempore judicium, obscura præsentium repræsentatio, peneque nulla præteritorum recordatio: statum diceres comati vigili non deliro simillimum. Huic tandem rei *summo mane* lenis, & reficiens, & quietus somnus medebatur; quo scilicet, compositis ad roscidam perspirationem membris, vesiculæ a cutis eminentia dispellebantur, recuperatoque sensu ac motu, quæ præsto fuerant, reliqua symptomata in fugam conjiciebantur. Cæterum omnia in nostro adfuerant symptomata, quæ uxorem superius adductam vexaverant. Ille autem post meridiem, superstite aliqua virium infirmitate, iter suum prosequebatur, tertio abhinc die, illæsis iterum viribus gaudens.

Illud etiam novisse oportet, reliquos convivas in vtroque prandio omnes a relato morbo immunes permansisse, quamvis largam satis copiam mytulorum comedissent. Necesse igitur est, latuisse venenum in uno tantum alterove mytulorum: quum uterque nostrorum ægrotorum sex, ad summum octo ingessisset. Octo etiam vel decem laudatus amicus Tuus, D. D. BEHRENS (g) edit, neque forte plures alii manducarunt, qui tamen adversa exinde cum valetudine conflictati sunt. Sed ut subtilis

 veneni

(g) *De affection. a mytulis p.* 13. & seorsim *p.* 25.

veneni hujus, vigore quodam igneo plerosque repente & inopinato rapientis, acrimonia in apricum magis deducatur, & quam parva ejus copia ad molestissimum illum morbum excitandum sufficiat, perspicua ratio fit: nihil equidem mea opinione significantius totam rem explanabit, ac sequens historia, ex uno mytulo, ne quidem deglutito, sed manducato tantum, & post paulo exspuitione rejecto, eundem morbum, pari fere vehementia celeriter enatum, docens.

Ægrotus III.

Aheno, flammis imposito, adstat uxor quædam honesta, macilenta, quinquagenaria, nervorum magna gaudens agilitate sensuque, ac mytulos, testis inhærentes, vivos, coquendos dicis causa quandoque agitat. Inter hæc ut percontaretur, an probe cocti forent mytuli, & apti, qui ad cœnam statim adferrentur, unum de aheno, testa diducta hiantem, depromit, illumqne manducatum, matura coctione, vultuque, ac gustu placentem adprobat; quia vero numquam alias per totam vitam iis delectata fuerat, leni hujus unius masticatione contenta, succum vix cum saliva deglutit, totam vero carnem rursum exspuit. Dum hæc aguntur, exorto in platea prope ædes inexspectato sine capite rumore, nostra, quid rei esset, visura adcurrens, subito magna pectoris anxietate, quasi spiritus ipsi præcluderetur, faucesque præstringerentur, corripitur. Simul quoque eodem, in stomachi regione, ardoris sensu exquisitissimo tacta, qualem D. D. BEHRENS (h) in se observavit, ac pluribus memoriæ prodidit, eumdem, motu fibrarum œsophagi inverso, sursum ad pharyngem, flammæ fugacissimæ specie, adscen-

(h) *l. c. p. 14. sq.* Conf. *ægrotum meum* 1. & 2. supra.

ſcendentem , narratamque faucium coarctationem gignentem, percipit. Inſigni tamen eo coloris variante livore, qualem ægroti ſuperius deſcripti in univerſa corporis ſuperficie experti fuerant, carebat noſtra, cui cutis ſubtumida elevabatur, & purpureo-rubente colore ſplendebat. Inuſitato rei ſpectaculo perterrita noſtra, conſervatis ſenſibus atque motuum illæſo vigore, e me, ad auxilium ipſi ferendum adcerſito, quærit, qualis morbi genius foret, qualeque diſcrimen eſſet. Addit præter ea, frequentem adſurgere ad fauces & os pituitam, mirum parca ſua mole ardentem, & perpetuam nauſeam creantem. Quibus auditis, mytuli manducati venenum, extra omnem aleam poſitum, facile ſuadebat largam lactis tepidi eamque ſæpe repetitam potationem, cujus ſuavis lenisque demulcens copia, primarum viarum parietibus jugi adfluxu adfuſa, ſuperatis, mox ab initio enatis, vomitionibus materiæ acerrimæ, ardentiſſimæ, dolores ita leniebat, vt noctem placidam tranſigeret. Altero tamen mane totum pectus, & abdomen, & brachia, & collum, papulis urticatis obſita conſpiciebantur, quæ noctu efflorefcere jam cœperant, quarumque beneficio corpus pariter, ac animus adeo levabatur, ut lecto egredi potuiſſet, ni lenem roſcidumque cutis madorem conſervare pauliſper voluiſſet. His autem verſus horam decimam antemeridianam de viſu ſeſe ſubducentibus, rei iterum domeſticæ præeſſe poterat. Neque heic reliqui conuivæ ullum à mytulorum illorum eſu incommodum ſentiebant.

E tribus his a me propoſitis ægrotis, nullus alium cibum, eodem prandio cœnave, comedit; ergo celeri veneno ſubito ſe prodens adfectio, ingeſtis brevi ante mytulis (i) ſolis adſcribenda

i) Satis notum mytuli nomen. Qui tamen plura de eo ſcire cupit, adeat SCHOENE-

benda eſt. Hinc etiam ab exemplis noſtris tale robur BEHRENSIANIS ægrotis, qui aliis una cibis uſi fuerant, adcedit, ut & illorum adverſæ valetudines certo mytulis tribuendæ ſint unice. Quid? quod re curatius conſiderata, ſeorſim adparet, in ipſo D. D. BEHRENS aliorum ciborum admiſtionem diluiſſe, vel retardaſſe mytulorum venenum adeo, ut vel bihorii tandem, (k) aut trihorii intervallo vim ſuam exerere inciperet, quum ternis meis ægrotis vix horæ quadrans a morbi violentia relinqueretur. Maxima vero præ reliquis admiratione digna eſt vivida & præſentiſſima veneni actio in ægrota mea tertia, quæ licet non convelleretur, neque inſolito illo cutis livore tingeretur, quo reliqui duo, atque ut plurimum mentis aciem conſervaret; cunctorum tamen reliquoram ſymptomatum vim atque furorem in ſe experta eſt, poſt tam parcam ſucci ex uno mytulo quantitatem, ſalivæ potiſſimum vehiculo in ventriculum delatam. Nec enim colli & pectoris anguſtiis, neque fervidiſſimo primarum viarum ardore, neque nauſea, neque vomitionibus, neque levi ſubinde mentis abalienatione, neque papulis denique urticatis erat immunis.

Cæterum eodem anni, 1740. vere, quo ægroti duo priores decubuerant, complures alii aliis in locis vicinis eo quidem modo

SCHOENEVELD. *Ichthyol p.* 54. & alios piſcium & aquatilium deſctiptores. Speciem noſtram mytulum RONDELETII, ALDROV. MERRET. & plerorumque auctorum, ſeorſim nominat LISTER. *Exercit. Conchyl.* 3. *p.* 30. muſculum vulgarem marinum ſubcæruleum fere virgatum, aut nigricantem; & PETIV. *Muſ. p.* 84. muſculum maritimum vulgatiſſimum edulem. LINN. tandem *Syſt. Nat. edit.* 2. *p.* 64. ſub concharum genere, quarum animal Tethys eſt, recenſet.

k) l. c. p. 13.

modo a mytulis lædebantur, & ventriculo potiſſimum & inteſtinis vitiatis, in copioſam & acrem diarrhœam, ventrisque tormina lacerantia incurrerent, exactis autem 6. 8. ad 10. horis, integra demum ſanitate fruerentur. His autem omnibus nullæ neque convulſiones, neque veſiculæ urticatæ, neque alia ſymptomata, quorum ſupra memini, fiebant. Unde conjiciamus licet, primarum haſce viarum turbas ab hiberna potiſſimum anni 1740. conſtitutione derivandas eſſe, dum ex prægreſſo gelu intenſiſſimo, ſuperius enarrato, permulti piſces oceani ſeptentrionalis littorales cum reliquis (l) cruſtaceis pariter, ac teſtaceis animalculis marinis pereuntes, inſignem aquæ putredinem halituoſam, animalibus propriam, admiſcuere. Ab hac vero putridorum piſcium exhalatione ſuperſtites incolæ maris inquinati majorem adhuc acredinem conſequuti ſunt, ac illis naturâ a ſale marino inhæret; atque hinc in cibum paulo poſt hominum cedentes, ſale ſuo purgante marino & nitroſo volatili, noviter iis inſinuato, dolores ventris & laxam aluum fecerunt. Quod ipſum minus nos in admirationem rapere poteſt, quo pluribus & evidentioribus quotidie exemplis conſtat, permultos homines ab uſu marinorum quorumdam piſcium & mytulorum ſanorum citam habere aluum.

Hæc

l) Illud quoque aliis in oceani tractibus eo temporis decurſu eveniſſe, nova publica e Galliæ, Angliæ, Belgii locis maritimis A. 1740. initio docuerunt. Ac noſtro quidem in littore complures piſces littorales adeo imminuti ſunt, ut ex aſellis (Gadis ARTED. *Ichthyol.*) osmeri ſpec. I. ARTED. *l. c.* pleuronectis ARTED. &c.; neque minus e cancris LINN. *Syſt. nat. ed.* 2. *p.* 62. ſtellis & echinis marinis; mytulis & oſtreis pauci ſuperſint, & juniores tantum capiantur. Ut adeo credere fas ſit, juniores profundius in mari latitantes, adultis littoralibus,

Hæc autem modo expoſita ſalis marini & halituum putridorum a mortuis piſcibus & inſectis exhalantium acrimonia ad mytulorum non ſufficit venenum adeo acuendum, ut morbos, quorum inſultus tres mei ægroti & *Behrenſianorum* aliqui ſuſtinere debuerunt, tam celeriter, tantaque ſymptomatum ſævitia, gigneret; quum plurimi, nullum alui profluvium perpeſſi, ſolis papularum eruptionibus judicarentur. Neque diu hæ aquarum littoralium impuritates perſtare valent, quoniam perennis fluxus & refluxus maris undas ita commovet, & cum alia aliaque jugiter permiſtam, ac dilutam, tam late quaquaverſum diffundit, ut idem ſemper recens odor in oceano noſtro ſentiatur: contra ac in mari Baltico &c. ſub menſium æſtivorum ardore fieri ſuevit. Quamquam itaque corruptam hanc aquam littoralem & putridam, in conchyliorum aliorumque piſcium alimentum cedentem, per breve temporis intervallum ita eos vitiare poſſe, lubens Tecum (m) ſentiam, ut levem illa nauſeam, vel tormina ventris, & laxamenta copioſiora, quorum mentionem feci, cieat: majora tamen mala vix eadem heic producet, ponderata parca impuritatum vulgarium quantitate, quæ a mytulis adſumta, & in iis cum aqua marina perfuſa, hinc tandem ad humanum corpus defertur. Quanta enim non requiritur per tot ſæpe menſium, quid? quod annorum decurſum hauſta affluviorum marinorum impurorum moles, ut hæc memoratarum EUGALENI adflictionum auctor in nobis euadat? Adhæc ab illuvie tali littorali univerſus mytulorum, in ea maris regione ſibi adcumbentium acervus, aut ſaltim eorum plurimi, eadem

bus, a frigoris ſævitia neci datis, hodie tantum eſui nobis eſſe, donec hi quoque paulo plus adoleverint & genus ſuum multiplicaverint.

m) *Præf.* ad D. D. BEHRENS *diſſ. cit. pag. ult.*

dem labe venenata inquinarentur, non unus, aut alter, ac ideo complures eodem tempore, eodemque prandio infeſtarentur. Sed certo conſtat ex omnibus aliorum, & meis exemplis, unum ſemper convivam tantum decubuiſſe, reliquis ab eadem menſa illæſis diſcedentibus, id quod & Tu, humaniſſime WERLHOFI, (n) una cum D. D. BEHRENS, perhibes; luculento teſtimonio, ſingulare eſſe venenum uni tantum mytulo infuſum, vix pluribus eodem tempore. Putredini mytulorum emortuali, quam idem D. D. BEHRENS (o) pulcre confutavit, adfine eſt figmentum aliud, veneni cauſis, in quas inquirendum porro eſt, adcenſitum, quod ab Ill. JCto Kilonienſi, *Franc. Ern.* VOGT (p) hiſce relatum legitur: „ b. D. D. „ WALDSCHMIDIUS adfirmabat, ſi mytuli, poſtquam capti „ ſint, tempeſtate præcipue tepidiori, per aliquot dies non „ comeſti manerent, talia fieri poſſe, & quidem ideo, quod „ recens nutrimentum, & naturalis expurgatio deficiat, quam, „ quovis νυχθημερῳ ſemel in aqua marina ſeſe aperientes, aquam- „ que recentem adſumentes, conciliare ſibi ſoleant. Atque „ hoc mihi, „ addit Ill. VOGTIUS, „ valde ſit veroſimile, „ quia exemplum novi nullum, quo conſtet, a recens captis „ mytulis, eodemque aut proxime ſequenti die comeſtis, quem- „ quam talia ſymptomata paſſum. „ In quibus licet vera ſint, quæ de aquæ marinæ neceſſitate, cujus ſenſim adfluentis copia mytuli ſucceſſiue reficiantur oportet, eruditi viri litteris mandarunt, longior tamen eorum extra aquam mora non reddit illos

n) *Præfationis p. c.*

o) *pag.* 18.

p) *in Comm. litt. Nor.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 242.

illos venenatos, ſed infirmiores tantum & macilentos, quamdiu vita gaudent. Proinde multis in uſu eſſe ſuevit, ut mytulis, quos in domo per aliquot dies conſervare volunt, ſæpe aliquam Zythi copiam adſpergant, qua nutriantur, quin haud raro pingueſcant. At ſicuti merito piſcis nequam, niſi recens, compluribus cenſetur, ita terni mei ægroti mytulos eomederunt intra νυχθημερυ ſpatium captos, &, quod amplius eorum bonitatem comprobat, navicula, cui ſufficiens aquæ marinæ pro nutrimento quantitas, per rimulas adfluens, ineſt, ante bihorium vix exemtos. Hinc longior mytulorum extra aquam mora nulli eorum putredini, multo minus acrimoniæ virulentæ, anſam dare poteſt, præcipue quum mytuli inter ea mortui, ſponte teſtam aperiant, neque hiatum umquam occludant, quales nulla vel leviter prudens ancilla coquit, ſed rejicit. Mea igitur exempla, velut totidem argumentis, laudatiſſimum D. D. VOGTIUM evidenter coarguunt, poſſe recentes mytulos longe graviores morbos inducere, ac a pleriſque antea ſcriptoribus adnumerata iis ſunt morbi φαινομενα, poſſeque ſubtile venenum ab uno mytulo proficiſcens, plura dolorum & anxietatum genera in ſcenam producere, ac vulgares littorales ſordes per levia unius alteriusve horæ tormina ventris, aut laxatam aluum exercere ſueverunt.

Neque ſane video, quid Martius menſis, ſolus e reliquis, peccaverit, ut mala ſua fortuna, veneni, mytulis adplicandi, ferax perhibeatur, qualibus eum ſermonibus hominum vapulare, D. D. BEHRENS, (q) juncta nugarum confutatione, adſerit. Quos ego caſus obſervavi, ii in illud potiſſimum tempus vernum inciderunt, quo mox a finito gelu, radii ſolares per

q) *pag.* 19.

per aliquot dies mari ſuavem vegetumque calorem concitaverant. Auctumno vix ullam a mytulis ægritudinem obortam audivi; æſtate vero vix heic terrarum in eſcam cedunt.

Miſſa namque de varia, pro vario lunæ motu, ſituque variante, pinguedine fabula, ab aliis dudum deſtructa, eos quidem mytulos a prudentioribus præſtantiores reliquis haberi, ſcire licet, qui primo vere, ſeroque auctumno capiuntur, ſive, uti de cancrorum familia vetus dictum valet, iis menſibus, quibus littera r ineſt, comeduntur; quoniam æſtatis diuturno calore pinguedo plurima conſumitur, ac vernis præter ea, & auctumnalibus menſibus permulti piſces, ac inſecta alia marina, generationis negotio abſoluto, juniorum tenera carne veſci & ſaginari conſueverunt.

Neque firmo adeo talo ſtant, quæ diligentiſſimus ceteroquin *Anton. de* HEIDEN (r) & cum eo, atque poſt eum, fere omnes alii, de majori ſuavitate, & pinguiori turgiditate albidorum mytulorum, cœca forte experientia ſeducti, docuere, quibus macriores, citrinos, omnium vero plurimum macilentos oppoſuere aurantios, & ad rubrum colorem vergentes. Quodſi enim adſertionis hujus rationem ſcire velimus, vix graviorem, quam credulam patrum e vulgo traditionem reperiemus. Complures profecto mecum alii quotidie obſervarunt, eodem v. gr. verno tempore collectos optumos ſapidosque mytulos ſæpe albos eſſe, ſæpeque aurantios, eodem tamen gradu turgidos, nihilque ſæpe flavos ab albidis, ſaporis teneritate,

r 2 aut

r) In libro, cui titulus: *Experimenta circa ſanguinis miſſionem, &c. urticam marinam, &c. cum anatome mytuli.* Amſtelod. 1686. in 12. Et ex eo LISTER *Exercit. cit. p.* 37. *&* *alibi.*

aut ſuavitate, ſuperari; neque ætate ab invicem differunt, quum utriusque coloris, reperiatur pari fere copia minimi, & maxumi; teſta pariter tenuiore, parva, ſtriata, ac craſſiore, maxuma, & opaca. Ac quamvis flavi mytuli ſæpe ſicciores guſtu offendantur, fit tamen idem quoque cum albidis. Quid? quod oblatum quondam unum e maxumis illis mytulis, ad littus Norvegicum (s) ſub marinis rupibus adfixis, cujus teſtæ longitudo palmum transverſum excedebat, quum aperuiſſem, bene multa carne præditum, & molliſſime turgidum cognovi, flavo licet colore gauderet. Ad longe aliud igitur examen progrediendum erit, ſi veram utrorumque differentiam inveſtigare velimus, in ſola forte ſpecierum diverſitate quærendam, non autem in diverſis anni tempeſtatibus, in quibus perpetuo, & albi, & flavi, eadem bonitate ſunt obvii; nec in alia rerum cauſarumque varietate, incauto obſervatori facile imponente. Etiamſi vero duum horum generum macerrimos comedimus; nullum tamen exinde majus incommodum percipimus, ac tardiorem illorum forte in ventriculo digeſtionem; quem ad modum pluries in me ipſe expertus fui. His itaque macies mytulorum, veneni putatitia cauſa, exul eſto.

Majori imagine veri, morboſum quid heic adcuſavit aliquoties jam laudatus D. D. BEHRENS, (t) quoniam ea ſententia cum raritate ægrotorum, a mytulis poſt idem prandium decumbentium, uti in antecedentibus oſtenſum pluribus eſt, pulcre conſpirat. Cum enim ex ſuperioribus, tum per ſe ſatis evictum eſt, nihil ipſis in mytulis ſanis, quod hominum proſperæ

s) Vid. *Ol. WORM. Muſ. p.* 256. **His tamen, nimis dura ſubſtantia gaudentibus, minores præferuntur.**

t) *pag.* 21. *ſeqq.*

ſperæ valetudini adverſaretur, latere: Ergo veneni cauſa vel in mytulorum morbo aliquo, vel alia in re damnoſa, iis forinſecus adplicata, quærenda eſt. De prima re vix indubium quid ab hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus memoriæ proditum reperiri credo, niſi celebris POUPARTII (u) obſervatam in teſtis adfectionem puſtularem, ſcabiei æmulam. Ego quoque in inſula Wangerogenſi, ad ditionem noſtram pertinente, teſtam aliquando, ab animali ſuo relictam inveni, cujus altera valvula, olim transverſim fiſſa, ſuccum exſudaverat in interiorem valvulæ partem concavam, unde callus, ejusdem cum teſta ſubſtantiæ, dimidiam cavitatem explens, & ſuperficie ſua aſper & rugoſus, erat exortus. Sed hæc & talia teſtarum vitia vix ac ne vix quidem animalculum ipſum depravare ita poſſunt, ut venenati quid cum homine communicet, tam celeriter, tamque atrociter ſæpe furens.

A teſtarum itaque morboſa indole ad ipſas animalis ægritudines veniam, quarum nulla plane ſigna ullibi exſtant. Quidquid enim de veſiculis illis aquoſis, poſt coctionem ab elevata mytuli epidermide formatis, a credulis quibusdam narratum eſt, tam exigua probabilitatis ſpecie gaudet, ut per illud nihil dictum videatur, & vix tam clara ejus confutatione opus fuerit, qua ad opinionem hanc evertendam uſus eſt optumus D. D. BEHRENS. (x) Et quoniam ab experientia juvantium nocentiumque luculentiſſima teſtimonia merito petuntur, ſolus ejusmodi mytulorum, veſiculis in ſuperficie turgidorum, frequens & innoxius uſus cibarius b. D. D. WALDSCHMIDIUM, (y) ut

r 3

u) *In Act. Acad. Paris.* 1706. vid. BEHRENS *p.* 22.

x) P. 22. & 23.

y) Referente illud Ill. D. D. VOGT. *Comm. litt. Norimb.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 242.

ut quotidianam meam, & aliorum heic terrarum experientiam ſileam, a multis annis argumenti levitatem docuit.

Latente vero debilibus noſtris oculis morborum, quibus mytuli vexantur, numero pariter, ac indole, in iis jam inveſtigandis operam navemus, quæ extrinſecus in illos incidere poſſunt, ut veneni cauſam eruamus. Poſſe cum cibo quædam, corporibus deinde noſtris inimica futura, in hiantem mytulorum teſtam irrepere, aut ab iisdem attrahi, bene cum aliis monuit D. D. BEHRENS, (z) cujus verba legi merentur: „Verum „enim vero„ ait ille, „non penitus quoque negaverim, contin„gere etiam poſſe, ut hæ beſtiolæ noxium quemdam cibum in„terdum capiant, & in ventriculo, & anfractuoſo inteſtinulo re„conditum habeant, qui, ſi majori præſto ſit copia, tales mo„leſtias excitare potis ſit.„ Et paulo poſt (aa) inſecti, limacum hoſpitis, e Perill. REAUMURIO (bb) mentionem fecit. In Anglia porro & Belgio inſectum marinum, ex araneorum genere, in teſtas mytulorum diductas ſeſe inſinuans, & hiſce acrimoniam ſuam venenatam conferens, adcuſari vulgo, ipſe Tu, amantiſſime WERLHOFI, (cc) expoſuiſti; cui obſervationi poſthac D. D. STOCKHAUSEN in litteris, (dd) ad Te exaratis, propria vſus experientia, ſuffragatus eſt. Clariori res hæc luci redderetur, ſi inſectum illud ſpecie ſua ad leges hiſtoriæ naturalis determinatum fuiſſet; quo facto, illius proprietates & affectus aliunde melius forte paterent.

Inter

z) *Pag.* 23.

aa) *Pag. cit.*

bb) *Comment. Acad. Scient. Paris* 1710.

cc) *Præfat.* ſuperius *cit. pag. ult.*

dd) Vid. *Comm. litt. Norimb.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 241.

Inter hæc meminiſſe quoque juvabit, minus quidem attente STOCKHAUSII verba perpendiſſe D. D. TRUMPHIUM, (ee) per corpus illud, araneæ ſimile, quod modo memoravimus, intelligentem ſetas mytulorum criniformes, (ff) quarum ii ope aliis rebus extraneis firmiſſime adhærent. Quamvis autem hæ communiter jam ante coctionem ab ancillis vi evellantur, neque ob habitum crinitum ad palatum ſint: fieri tamen ſæpius ſolet, ut mytuli, præſertim ſi aliquamdiu extra aquam jacuerunt, earum partem præcipue inferiorem, occluſis arctiſſime valuis, detineant, eisque totis, prout e teſta eximuntur, minus delicati ſine ullo incommodo veſcantur. Vix itaque crediderim, vel Bremenſes, (gg) vel alios quoscunque populos, ſetarum illarum ſimilitudine, quam cum araneis habere videntur, fraudatos, eam iis tribuere vim venenatam poſſe, quam alteri inſecto marino, ex araneorum ſodalitio, haud prorſus negaverim, quodſi clarior ejus notitia ſuppeditata fuerit. Neque corpus illud linguæforme, (hh) licet una cum tendinibus reliqua mytuli parte (ii) durius & concoctu parum difficilius ſit, infeſtum adeo ſaluti noſtræ exiſtimaverim, ut ſine aliquo exinde ſubſequuturo morbo in cibum adſumi nequiret: quotidie namque ac innocue (kk) a compluribus heic locorum deglutitur.

Expenſis

ee) Vid. *idem Commerc.* 1736. *hebd.* 26. *p.* 204. *ſeq.*

ff) Vid. LISTER. *Conchyl. bivalv. utr. aqu. Exercit.* 3. *p.* 43. *t.* 4. *f.* 5. & 8.

gg) Referente eodem D. D. TRUMPHIO *loc. cit.*

hh) Vel penis LISTERO *l. c. p.* 47. *f.* 5. & ſub microſcop. pict. *fig.* 3.

ii) Præcipue ovario labiato. LISTER. *ibid. p.* 37.

kk) Ceterum non eſt mihi ſtomachi, ut ad multorum perſuaſionem, communemque fere ac cœcum uſum, comeſtis vix mytulis ſpiritus vini hauſtum,

Expensis jam aliis de mytulorum veneno venenique causa diversa judiciis, superest, ut & meas super hac re meditationes proponam; quarum probabilitate, a Te, Vir illustris, dijudicanda, commotus, ad castra mea, nisi mihi ipse nimium blandior, transeas, vel via minimum ad invictam rei certitudinem explorandam sternatur. Uti vero similium par ratio esse solet: ita & ego, effectuum, ab aliis in aliis corporibus productorum, *αναλογια* fretus, in causam mox nuncupandam adductus sum.

Sale acri, & plerumque volatili, ac alcalino, hominibus &c. inimico, complura insecta & amphibia referta esse, post alios venenorum explicatores, apud Celeb. D. D. STENZELIUM (ll) adnotatum invenimus. Et bene adhuc recordor lepidæ historiolæ, cani meo ante aliquot annos cum scarabæis majalibus (mm) vulgo dictis evenienti. Quorum quum ingentem copiam, salicibus insidentem, conspicerem, & agitatis arboribus humi prosternerem, adstans canis, prout successive decidebant, vivos 50. vel 60. pluresve magna aviditate deglutiebat. Sed hostis intra mœnia inclusus male rem vertebat: elapsis enim paucis horis, tanto alvi profluvio canis torquebatur, ut ex misero ob tormina edito ejulatu mortem oppetiturum crederem. Hausto tamen multo lacte, a malo alterius diei mane liberabatur. Huc

stum, melioris, ut opinio est, concoctionis gratia, superbiberem; quis enim nescit, quanta eis, & aliis multis piscibus, præsertim marinis in ventriculo duritia, digestu multo difficilior, ac linguæforme mytulorum corpus, spiritus illius ardore exsiccante concilietur? Prudentius agunt, qui *Zytho*, aliove potu aquoso, mytulos in stomacho diluunt.

ll) Diss. *de Venenis acutis*, §. 46. *sqq.*

mm) E pilulariorum genere.

Huc quoque hiſtorias Tuas cum aſellis (nn) & osmeri ſpecie prima (oo) trahere liceat. Propiora ſunt, quæ de lepore marino (pp) laudatus STENZELIUS (qq) litteris mandavit.

Et exemplorum in hiſce regionibus maritimis magna eſt multitudo, quod piſcatores, & alii homines, rei navali operam dantes, nudatis quandoque pedibus, tempore decrementi maris, in vado illo, oceanum inter ſeptentrionalem & terram continentem ſito, WADT (rr) ſermone patrio adcolæ adpellant, aliquam diu commorati, ſæpe tibiis ſuis urticam marinam pertinaciter inhærentem percipiant, qua ſponte dimiſſa, aut vi avulſa, haud ita multo poſt in toto pede pruritus ardentiſſimus, & rubor, & aliqualis tumor, & papulæ tandem urticatæ exoriuntur, non niſi horis quibusdam exactis abeuntes.

Hujusmodi quoque ardentem ab urticis marinis effectum cum Græci, tum Latini antiqui relatu jam dignum cenſuerunt. Et e BELLONIO GESNERUS (ss) „Vis quidem in his mordax, eumdemque fere, quem terreſtres urticæ, pruritum excitant.„ In tanta igitur ſymptomatum, mutua ſimilitudine ſeſe prorſus exſcribentium, claritate non poſſum, quin ab urticis

nn) In *præfat. ad Behrens de adfection. a mytulis, pag. ult.*

oo) ARTED. *Ichthyol. Synonym. piſc. p.* 21. cujus Tu in *Comm. litter. Norimb.* alicubi, (locus non ſuccurrit) mentionem injeciſti.

pp) Conf. GESNER. *Hiſt. aquatil. p.* 561. *ſqq.*

qq) *Diſſ. cit.* §. 49.

rr) Vocis origo a Germanorum *Waden*, quia totum refluxus marini tempore pervadi poteſt.

ss) *Hiſtor. aquatil. p.* 1239.

ticis (tt) marinis venenatam illam indolem, in mytulis enaſcentem, & inde ad hominem delatam, derivem.

Fieri autem ſæpiſſime poteſt, ut urticæ marinæ mytulis alimento ſint. Sive enim hiemali potiſſimum aura frigida venti orientales conſtanti per aliquot dies directione flarint, aquæ incrementum vix tantum eſt, ut navibus per vadum iter liberum pateat; hinc ſubſidentes ſenſim cum aquarum decremento urticæ, mytulis libero tum aëri acervatim expoſitis, inhæreſcunt, a quarum deinde teſtis diductis relaxata urticarum tentacula potiſſimum filiformia, quibus maxuma urentis ardoris vis ineſt, amplectuntur: Sive eædem undarum ſuperficiei, durante gelu, innatantes, in mytulorum acervum una cum glacie demittantur, perinde valebit mytulis oblata eſca.

Ex hiſce vero ſimul patet, quam pauci mytuli nutrimento huic pernicioſo obnoxii evadant, vix milleſimâ urticâ, ſemel in mytulorum acervum depoſita, ibidem relicta; quoniam ſucceſſive adluentes, & vi ſua modo majore, modoque minore & inæquali reuerſæ undæ, magnum earum numerum in oceani torrentem ſecum reducunt. Neque clare ſcimus, quantum temporis ſpatium apud mytulos veneni efficacia perduret, ac numne continua aquæ adfluentis ſalſedine brevi illud diſſipetur, quod magnæ probabilitatis eſt. Præter ea quoque mytulorum plurimi durante refluxu maris apud nos capiuntur. Ergo ii tantum mytuli damno eſſe nobis queunt, quibus urtica paucis horis ante adhæſit, & qui eodem die ad nos advehuntur, quorum perraro, relatis ex cauſis, eſt occaſio.

Solli-

tt) Vel ab omnibus meduſæ ſpeciebus; vid. LINN. *Syſt. Nat. edit.* 2. *p.* 63. Frequenter hiſce in oris ſpecies eſt, ad GESNER. *Hiſt. aquatil. p.* 1239. figuram accedens, quæ maris adcolis apud vos *Glarre*, vel *Glagge* vocatur.

Sollicite quoque inter graviorem illam & leviorem, a mytulis obortam valetudinem diſtinguendum eſſe arbitror: quo facto, alui profluvia, eſum eorum ſequuta, & ſimilia mitiora ſymptomata, impuritatibus aquæ littoralis; graviora autem, puto motus convulſivos, vehementiſſimum ardoris in alimentorum canale ſenſum, nauſeam, vomitiones, papulas urticatas &c. Urticarum marinarum, aut ſimilium inſectorum, virulentæ indoli adſcribemus.

Parca vero ſpes eſt, fore ut ſanos a venenatis mytulis dignoſcamus. Sapor quidem, teſte D. D. BEHRENS; & meis ægrotis, improbari nequit: & externus color idem his ac illis viſus eſt naturalis. Veneni quoque ſubtilis per mytulum diſtributio, & actio paucarum horarum, vix ſuadet externum venenatorum ſignum. Id unum forte inquiſitione indiget, annon parvæ puſtulæ, illis *Poupartianis* ſimiles, in cute ipſorum detegi queant.

Expoſita jam veneni indole & cauſa, ſupereſſet, ut ſignorum morbi explicationem exhiberem. His autem ex aliorum meisque hiſtoriis facile manifeſtis, monuiſſe tantum ſufficiat, vix quemquam, quantum noſtra quidem memoria conſtat, eo morbo e vivis ſublatum eſſe; neque funeſtum videri eum, niſi triſti forte hora in plures ſimul mytulos venenatos aliquis inciderit. Quamdiu itaque exemplis eventus ab hoc morbo mortiferi deſtituimur: (uu) tamdiu minus periculoſum, at bene angentem, pronunciamus eumdem.

S 2 Curam

uu) Ab oſtreo tali in vicinia uxor quædam animam olim efflaſſe perhibetur: ſed de fide rei geſtæ minus reſpondeo. Neque ullo facile argumento

Curam ſatis enodavit D. D. BEHRENS; cujus ſumma, ut breviſſime me expediam, eſt, mox ab initio excitaſſe vomitionem, ſubjunxiſſe cum lenientibus & lubricantibus oleoſis, aut lacticiniis, pauca quædam, membrorum rigorem laxantia, & papularum eruptionem adlevantia: opiata vero vix prodeſſe; e quorum numero theriaca eſt; quæ ſi juvat, id omne ſudorem pellendo ac leniendo dolorem facit; hinc primis viis a veneno vacuatis, demum addenda, ſi cui placuerit.

Jam Tu porro, animo exoptate WERLHOFI, ſat nominis famæque Tuæ celebritati age. Noſti, quanto Te fervore colam; Tuorum vero in me officiorum uberrima teſtimonia ſunt. Illuſtrem HUGONEM, aulæ veſtræ & rei medicæ magnum decus & ornamentum, cujus ſinceram humanitatem ac liberalitatem corporum naturalium collectio mea læto calculo notat, plurimum ſalvere jubeas velim. Tu vero iterum iterumque vale, meque redamare perge. Scrib. Jeveræ, a. d. XXVIII. Mart. CIↃ IↃCCXLII.

DE

mento evinci poteſt, virum illum, cujus VALENTINI *Pand. med. legal.* *part.* I. *Sect.* 3. *caſ.* 27. *p.* 385. *ſq.* & AMMANNUS in *Iren. p.* 213. *ſq.* meminerunt, aliquam ab ingeſtis mytulis ægritudinem, præter primam vomitionem perpeſſum, multo minus neci datum fuiſſe: quoniam cauſa mortis apud eum in humoribus corruptis bilioſis, magna veri ſpecie judicantibus Lugdunenſibus & Lipſienſibus, latuiſſe videtur; vix in alio veneno etiam exhibito, ſuſpicio licet contra defuncti uxorem mota fuerit.

DE

HÆMOPTOES, INPRIMIS VERO HABITUALIS, SEU PHTHISICÆ, EXPEDITIORI QUADAM EFFICACIORIQUE CURATIONE

DISSERTATIO

AD

INCLYTAM AMPLISSIMAMQUE

NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIAM LEOPOLDINO-CAROLINO-CÆSAREAM,

QUUM LIBERALI ILLIUS MOTU PAULO ANTE COLLATO IN RECEPTIONIS SYMBOLUM SILIMACHI SECUNDI NOMINE COOPTATUS ESSET,

GRATITUDINIS OBSERVANTIÆQUE ERGO SCRIPTA

A

JOANN. GERARDO WAGNER D.

MEDICO LUBECENSI.

Ad
Inclytæ Naturæ Curioſum Academiæ
ILLUSTRES ATQUE EXPERIENTISSIMOS
VIROS
DN. PRÆSIDEM, DIRECTOREM,
Adjunctos & Collegas
reliquos
Præfamen epiſtolare.



Prili jam menſe *Vobis* debebatur, quod, Auguſto demum præcipite, iter ad *Vos* ingreditur. Etenim, quum Martio menſe mihi redditæ eſſent *Tuæ, Præſes Illuſtris*, litteræ, plenæ humanitatis, plenæ in hominem immerentiſſimum favoris, quibus tabellas receptorias, *Tuo*, inclytæque, cui præſides, *Academiæ* nomine ad nos datas, comitabare; meum omnino fuiſſet, id ſerio agere, ut data facultate, quo poſſem ſpecimine inaugurali, nomen meum novo Actorum Academiæ Volumini, tunc temporis ad finem properanti, inſinuarem. Sed quod magis

gis honorificum mihi novum Academici nomen videretur, quam quod Obſervatiuncula tantum, ſeu hiſtoriola quadam, auſpicarer; ſtatuebam aliquod diſſertationis cujusdam practicæ argumentum, ex Adverſariis noſtris depromptum, ampliori conſummatiſſimorum Medicorum Societatis experientiæ ulterius perficiendum tradere.

Venit hoc omine ad *Vos*, *Viri Illuſtres*, hoc quidquid eſt ſchediasmatii, quod neque ex intervallo temporis ipſius elaborationi dati, neque ex ſcripturæ genere, ſed ex ſolo, quo ſcriptum eſt animo, metiemini. Quod enim ad tempus ipſius elaborationis attinet, næ iſthæc elaboratio in ejusmodi temporis incidebat periodum, qua praxis clinica non totis ſolum nos diebus exercendo, ſed ne noctes quidem ab interpellationibus nobis vacuas linquendo, propriam non raro valetudinem in diſcrimen adducebat, lectoque nos interdum adfigebat. Patet hoc ipſo, quid de ſtili orationisque genere futurum ſit, manu nunc a labo-

a laboribus, nunc ex morbo, languida ſtilum toties reſumente. Solus itaque in juſtum ſchediasmatii noſtri modulum ſupererit animus, quo hæc publici juris facimus, propenſiſſimaque in artem mihi dilectiſſimam humanæque ſaluti obſtetricantem, voluntas, qua quantulamcunque in hoc ſcientiæ genere, & inprimis ad medicinam certiorem efficacioremque, acceſſionem, longe maximi faciendam eſſe cum candidiſſimo *Sydenhamo* ſemper exiſtimavi.

Ceterum, ut ſummum Numen *Vos*, magnos artis naturalisque ſcientiæ promotores & ſtatores, incolumes ad ſeram ſenectutem ſervare velit, enixe voveo, *Veſtro* me favori etiam atque etiam commendans

Illuſtrium Nominum
Veſtrorum

Dabam Lubecæ IV. Calendar.
Septembr. CIↃIↃCCXLII.

Cultor obſervantiſſimus

Joann. Gerard. Wagner.

PROOEMIUM.

NUllis quidem ratiociniorum argute excogitatorum ornamentis, aut verborum phaleris comtam, attamen candide ſcriptam, de efficaci quadam Hæmoptoës curatione, commentatiunculam Tecum communicamus, Lector benevole. Quod, qua occaſione fiat, quemadmodum ex titulo jam perſpicies; ita ex nuncupatoria epiſtola, quo otio, quaque ſcribendi facultate hoc præſtitum ſit, intelliges, inprimis autem in ipſius commentatiunculæ ulteriori perluſtratione clarum Tibi fiet, quibus modis, quaque, ut ita dicam, manuductione, hoc curationis genus nobis innotuerit. Tui nunc eſto judicii, quota hujus pars nobis debeatur, & quatenus illam jam ante nos adhibuerit *Mortonus*; ipſis doctiſſimis *Mortoni* interpretibus (*) ex ejus ſententia Corticem non tam præſenti hæmorrhagiæ curandæ, quam futuræ cavendæ præficientibus. Nos illum in utroque caſu utiliſſimum deprehendimus, ſiquidem pulveri abſorbenti Wedelii, indicationi cohibitoriæ ſanguinis præficiendo, in adjumentum detur; ſic ut his unitis & promtior & tutior inde emergat medela. Quæ quidem omnia ita exponere ſtuduimus, ut quovis pignore decer-

*) Vide ſis ſagaciſſimi TRALLESII Examen rigoroſius Medicamentorum terreorum, p. 261.

decertare audeamus, medicos doctos hæc ex arte imitaturos, eosdem nobiſcum, imo præſtantiores non raro, curationis ſucceſſus eſſe experturos. Et vero hoc ſtudio, hac fiducia, factum eſt, ut non piguerit, hiſtorias curationum noſtrarum, eo plane modo, quo illas in Adverſaria noſtra, in proprios uſus, pleniori narratione, retuleramus, exhibere, non antecedentia ſolum horum morborum, quatenus illa innotuerant, ſed ſequelas etiam, & quomodo poſt curationes has valuerint noſtri, notantes. Neque enim cæco methodi cujusdam amore, ſive illa aliena ſit, ſive noſtra, (ſi præſertim illa magnis utatur remediis, aut circa morbos facile recidivantes verſetur,) ita ducimur, ut illa ſtatim adplaudamus, ſi modo curatus ſit pro tempore ægrotus, ſeu in vivis ſervatus. Ipſas adeo morborum ſequelas ſollicite nobis notamus, quatenus illæ inprimis (non credulitate quadam proletaria, vel opinione forte noſtra, ſed mechanice, & ſecundum obſervationem œconomiæ naturæ) cum iis, quæ anteceſſere, cohærent. (**) Hujusmodi vero rigoroſiori etiam examine

**) Exempli cauſa: Si poſt methodos medendi ſanguinis nimis prodigas, in Hæmorrhagiis præſertim, illa mala, quæ utplurimum omnem nimiam ſanguinis proprio naturæ motu factam jacturam preſſo pede ſequi ſolent, (v. gr. enormior, nec facile refocillanda virium jactura, ſenſuum debilitationes graviores, cachexiæ, œdemata, & quæ ſunt hujus commatis,) ſequantur, nemo, arbitror, vitio mihi verret,

examine adhibito quum ſeſe nobis hucusque methodus hæc penitus probaverit, hyſterergiaque adhuc ſemper felici ſit gaviſa, tanto rectius a nobis eandem ulteriori Medicorum ſagacium perfectioni traditam arbitrabimur. Vale, Lector benevole, feliciterque age.

tet, ſi ejusmodi curationem, licet ſuccedentem, ægrosque in vivis ſervantem, poſthabeam methodo, ſuos tam triſti ὑςερεργεια non mulctanti. Et ſane ampliſſimus ſe hic nobis aperiret dicendi campus, ſi de ὑςερεργεια methodorum, magnis remediis (vtor hoc vocabulo SYDENHAMI in morem) nimis audacter, & ultra quam par eſt, aut neceſſitas exigit, peractarum, diſſerere ſuſtinerem, atque demonſtrare, in ejusmodi caſibus ſæpe curatos dici vel haberi, qui tantum ſervati violento medelæ genere μεταςασιν ſolum, ſeu μεταβασιν νοσυ εις αλλο γενος, extorquente. Quod quemadmodum in caſu penitus deſperato ſemper licitum eſt; ita illud proſtantibus methodis ſecurioribus, & quæ ejusmodi manes non patiantur, illicitum, & egregio illo Medici charactere, puta φιλανθρωπιας, indigniſſimum arbitramur, ſolentque mihi in ejusmodi negotio atque nimio deſperatiorum, ſeu extremorum remediorum uſu in mentem venire verba FREINDII, refrigerantium in acutis abuſum, ſeu niminum potius uſum, taxantis, faceteque tandem, *quaſi vero*, inquientis, *quia nefas ſit ægrotum comburi, ideo protenus frigore enecare oporteat.*

Conſpectus contentorum Diſſertationis.

§. I. Hæmorrhagiæ per os fientes, morbi haud leve genus,
II. Hæmoptoës, Hæmoptyſeos & Vomitus cruenti nominibus inſignitum.
III. Quæ vel *accidentales*, vel *habituales* ſcholis dictæ,
IV. & medicamentis varie quidem debellatæ, rarius victæ.
V. Deſiderata Therapeutica circa Hæmoptyſes, &
VI. quatenus his in medicina ſatisfactum ſit? nec ne? *Pulvis abſorbens Wedelii* ſummum ad compeſcendas hæmorrhagias remedium internum; habitualibus tamen præcavendis non ſufficit.
VII. Quo caſu corticem Peruvianum, ipſa hæmoptyſi adhuc furente, tuto fructuoſeque adhiberi didicerimus,
VIII. & quomodo hanc experientiam deſideratis Therapeuticis §. V. propoſitis, ulterius accommodare animum induxerimus.
IX. Hiſtoria II. hæmoptoën habitualem, quater, imo quinquies, in eodem ſubjecto curatam, exhibens.
X. In hiſtoriam antecedentem ſcholion & epicriſis.
XI. Hiſtoria III. hæmoptoën habitualem graviſſimam, percuratam ex methodo, exhibens.
XII. Hiſtoria IV. antecedenti ſimilis.
XIII. Quatenus Corticis in Hæmoptoë uſum, rarius celebratum, nulloque præter experientiam & caſum, auctore, a nobis hucusque tentatum, *Mortoni*, *Hoffmanni* & *Heldii* calculi firmaverint.
XIV. Quomodo his ducibus in faciendis periculis navius dein perexerimus, Hiſtoria Vta, hæmoptyſin habitualem, haud levem, eamque percuratam, ſiſtente, declaratur.
XV. Hiſtoria VIta, hæmoptyicum itidem curatum ſiſtens. NB. In hujus hiſtoriæ initio a nobis prætervisum notare, quod hic æger non ſolum ante hos quinque annos pleuritide exquiſitiſſima, quaque ægre a nobis ſervaretur, decubuerit, ſed etiam duobus jam inde ab annis tuſſi pulmonali graviſſima, crebrius, idque integris menſibus, ſanguinem ſimul tuſſiendo, laboraverit; ſed quod is paucus eſſet, & cetera ſub his mediocriter valeret ægrotus, non magnopere curaſſe hanc tuſſim, licet cruentam.
XVI. Hiſtoria VII. Juvenem hæmoptyicum curatum exhibens, qua ſimul, an cortex ſolus hæmoptyſi præſenti compeſcendæ ſufficiat? ſed irrito auſu, tentatum, id quod etiam
XVII. Hiſtoria VIII. vetulam vomitu cruento laborantem, & ex methodo curatam, exhibente, confirmatur.
XVIII. Methodum noſtram per Hiſtorias, ſeu Obſervationes ſpeciales ſparſim traditam, anacephalæoſi ſuccincta exhibet.

Elenchus

Elenchus Scholiorum,

sive

Notarum.

Not. 1. Quid hæmoptoë *accidentalis* dicatur, quid *habitualis*, Mortoni verbis describitur.

2. Votum pro separatione medicinæ efficacis ab inertiori.

3. Pulveris absorbentis Wedeliani Descriptio ex Wedelio exhibetur, simul & illius, quo nos usi sumus.

4. Hujus pulveris laudes, seu virtutes ex Wedelio recensentur, simul tamen longe majores ipsi inesse a) ad sistendas efficaciter hæmorrhagias, (id quod Historia quadam insigni confirmatur), b) ad fluxus alui enormiores sistendos.

5. Hæmoptoës habitualis plenior ex Mortono descriptio, nec non

6. insida indoles, imperfectaque vulgaribus modis suscepta curatio, ex eodem.

7. Corticis usum ad hemitritæam & epidemicas malignas Febres, item ad icteros, dudum quidem nobis, non vero ad hæmoptoën, innotuisse.

8. Phthises veras Lubecæ rariores esse, tabemque ex febre ventriculi lenta cum tussi (a Mortono non descriptam) frequenter pro phthisi haberi, pessimeque sic curari.

9. Pulvis Cornachini Infuso laxativo Managettæ remixtus, expeditum catharticum.

10. & 11. Levia textus additamenta continent.

12. A sputorum conditione quomodo de statu ruptorum intus vasorum, seu vulneris interni, judicari possit, pleniori descriptione dignam rem in gratiam tironum omnino videri.

13. A sudore etiam in hæmorhagiis internis præcipua quædam signa desumi posse, in vulgus minus nota res.

HIPPOCRATEM Sudores in Semeioticen jam invexisse, licet nullam minus rem, quam methodum diaphoreticam (*id quod mascule & pro admirabili ingenii, lectionis, judicii, artisque facultate, post Sydenhamum, Freindius, in aureolis de Febribus Commentariis, Commentario III. evicit,*) curaverit. Sed post *Hippocratem* hanc Semeiotices partem, æque ac alias præstantiores, neglectius habitas fuisse.

Non vacare quidem nobis hoc loco hos defectus resarcire, nihilosecius ως εν παροδῳ lubere generalia quædam de his tradere, inprimis vero peculiarem aliquem, minusque celebratum boni sudoris characterem, cum lectore medico communicare.

Hujusmodi sudoris μηχανικη, ex doctrina motus sympathici membranarum membranosarumque H. C. partium in motibus morbosis, inprimis explicanda, quæ doctrina illustratione adhuc dignissima.

Hæmorrhagiarum internarum, inprimis habitualium, mechanicen (adde inprimis, *pervicaciam*,) e spasmo partium externarum sub his vigente, & periodice recurrente, præcipue pendere.

§. I.

Inter illas ægritudines, quæ ægrotos non minus, quam medicos, symptomatum atrocia, mortisque instantis metu, mirifice exercent, haud postremum locum occupant illæ hæmorrhagiarum species, quibus vitalis latex ore, vel screando, vel tussiendo, vel vomendo ejicitur.

§. II.

Nemo forsan medicus est, quin perspiciat, nos hoc loco, neque gingivas cruentas, neque præternaturales quascunque totius oris cruentationes, morari, sed illas indigitare præternaturales sanguinis per os eructationes, quæ termino technico, *Hæmoptoës, Hæmoptyseos, Vomitusque cruenti* nominibus veniunt.

§. III.

§. III.

Habes, Lector, tituli præfixi rationem ex parte, de quo etiam hoc paucis monendum, quod hæmoptoen ſimpliciter talem, (quam cum MORTONO non male forſan *accidentalem* adpellamus) dicamus illam, quæ ex ruptura vaſorum pulmonalium, ſine prævia pulmonum, imo & maſſæ ſanguineæ notabili labe, quacunque demum ex cauſa, contingit; phthiſicam vero illam, quæ ex pulmonibus & ſanguine, chronico jam malo plus minus infectis proficiſcitur, quam MORTONUS (1) *habitualis* hæmoptoës appellatione deſignat.

§. IV.

Atque horum quidem malorum ad curationes quod attinet, adeo infinitæ illæ numero ſunt, ut ſola earum recenſione hiſtorica magnum ſatis volumen concinnari poſſe videatur, quum nullum facile opus practicum, nullum conſiliorum volumen, reperias, quin ſpecioſis hæmoptoës remediis, curandique methodis adeo abundet, ut mireris, paſſim, nec rara efferri,

1) Rectiſſime his ſuccinctam MORTONI, naturæ voce loqui ſoliti, explicationem jungimus, Phthiſiologiæ Libr. III. cap. V. *Plurimum*, inquientis, *hic refert inter hæmoptoën* accidentalem & habitualem *diſtinguere*. Accidentalem *eam voco, quæ mere ab accidenti aliquo procedit, uti a vociferatione nimia, exercitio, vel tuſſi vehementi, ab hæmorrhagiæ ſolitæ ſuppreſſione, a lapidibus cretaceis in ipſis pulmonibus generatis, vel ab aciculis atque aliis ab extra in eos demiſſis:* Habitualem *vero, quæ a vitioſa acri & fermenteſcente ſanguinis diathesi dependet: ita ut penus & fomes morbi ſemper intus deliteſcat. Hæmoptoë iſta accidentalis curationem non difficulter admittit &c. habitualis vero, ſicuti ab inteſtino ſanguinis fermenteſcentis motu & ab aperientis vaſa acrimonia dependet; ita etiam febrem cum accelerato pulſu, & urina ſubrubra, ſemper conjunctam habet, & poſt incerta intervalla itentidem ſolet recurrere.*

ferri ejusmodi malis defunctorum funera. Taceo dissertationes academicas & peculiares de hæmoptoë & hæmoptysi, nec non de sputo vomituque cruento, commentationes; taceo tot schedulatim sub certissima salutis sponsione in orbe circumuolitantes hujusmodi malorum curationes; taceo arcanas medicamentorum ischæmorum artes, promtam securamque sanguinis cohibitionem, tantum non jurato, pollicentes, nihilo secius ægrotos haud raro artificemque turpiter destituentes.

§. V.

Ut vero nunc pressius indicemus, quidnam istud sit, quod in curatione hæmoptoës, vel hæmoptyseos, medicos æque ac ægrotos exerceat, certiorisque vel efficacioris medelæ desiderio torqueat: sunt illa, primo hæmorrhagiæ cita cohibitio; dein ut hæc cohibitio constans sit: tum ut illa tutis fiat modis, hoc est, ut ne ægrotus post cohibitum sanguinem in graviora mala incidat, graviusque ægrotet, quam quidem durante, vel per vices redeunte hæmorrhagia ægrotaverat. Nescio, annon triplici huic voto novum adjungam, nimirum, ut ante dictis indicationibus, non demum longa, tædii plena, facileque in prius ruente curatione, satisfiat, sed quantum ejus fieri potest, curatione expedita efficaciterque ægrotos levante.

§. VI.

Tui nunc facio, Lector medice, & inprimis practice, judicii, quousque justissimis hisce desideriis, in curationibus summorum, præsentis æque ac præteritæ ætatis, medicorum satisfactum sit? Jam quidem is ego nequaquam sum, qui neget, medicos in scriptis claros, æque ac alios, vate quidem sacro carentes, nihilosecius cordatos eruditosque medicos clinicos, cura-

curatione cita non minus, quam tuta & constanti, hæmoptyicos restituisse. An vero exinde id in communem publicamque utilitatem redundarit, ut methodus ejusmodi efficax, observationesque practicæ ipsi velificantes, præ reliquis (2) passim obviis, medentium quotidianis vsibus, & inprimis ad medicinam ituris universim in scholis, commendarentur, haud facile adfirmaverim. Ego certe summorum præteritæ æque ac præsentis ætatis medicorum præceptis, interpretibus ad hanc rem viris doctissimis, & in omni artis medicæ, uti ambitu, ita exercitio, versatissimis, innutritus, nihilo secius quum ad medicinam faciendam me contulissem, magno meo dolore comperiebam, nondum in præceptis faciendæ feliciter medicinæ eo ventum

2) *Præ reliquis)* Vehementer optandum esset, ut medici practici, tam viva voce in academiis medicinæ tirones artis principiis imbuentes, quam scriptis suis vtilissimas veritates medicas publici juris facientes medelas heroicas & præ ceteris expectationi & voto saisfacientes, ipsarumque utendi modos, (si illæ præsertim facile parabiles sint, nec magno adparatu stipentur,) præ aliis minus efficacibus, tironibus minusque expertis, commendarent. Incredibile enim dictu est, quanta medicinæ efficacis pars in Democriti puteo adhuc delitescat, non tam publicæ academiarum luci, quam, post medicos nosocomiis militaribus æque ac civilibus præfectos, isti medicorum generi, quod elatioris supercilii medicis practicorum urbicorum nomine, quasi per ludibrium, venit, introspicienda. Et sane disertus esse possem, si vel solo exemplo curationis febrium sic dictarum acutarum exanthematicarum mali moris, demonstratum ire sustinerem, quantum discriminis inter efficaciam praxeos urbicæ & praxeos cathedralis (quam phrasin quo sensu accipi velimus, in schediasmatio, cui titulum fecimus: Unvorgreiffliche Gedancken, wie Medici Practici, besonders in grossen Städten, die, zum grösten Schaden der Medicin, in Verfall gerathene Vortheile der Praxeos medicæ zu verbessern, und selbige vor fernerem Verfall zu bewahren, vermögend, pag. 114. Not. 3. pluribus indicavimus,) ut ita dicam, non raro intercedat.

tum esse, ut desideratis, thesi antecedenti propositis, utplurimum saltem, satisfieret. Tametsi enim mature satis ischæmorum, & inprimis (præceptore venerando Parente meo, τῳ νυν εν ἁγιοις, *Pulveris absorbentis Wedeliani* (3) internam ad sistendas omnis

3) De pulveris hujus compositione celeberrimus suæ ætatis medicus, G. W. WEDELIUS in Opiologia Lib. 2. Sect. 2. cap. 3. hunc in modum scribit: *In usu nobis est*, Pulvis absorbens *dictus, ex Vitriolo ♂tis, cum Antim. diaph. Conchis, Lap. cancror. Coralliis & Cinnabari compositus, ita, ut singula dosis constet grano uno solum vel altero Vitrioli martis, & tota compositio recipiat simul opium*: v. gr. Rec. Vitrioli Martis gr. vj. Conch. ppt., Lap. Cancror. ppt., Coralliior. r. ppt., Antimonii diaph., Cinnab. nativ. ana ℈ß. Laud. opiati gr. j. M. f. pulvis. Parum quidem, nonnihil tamen, ab hac compositione distat formula (ab ipsius, ni fallor celeberrimi auctoris filio, Medicinæ Doctore & Practico in hac quondam urbe inclyto, in nostra pharmacopolia introducta,) secundum quam dispensatum, eundem in nostris curationibus adhibuimus. Est vero sequens: Rec. Vitrioli Martis ʒv. Conch. ppt. Oc. cancr. ppt. Antimon. diaph. Cinnab. nativ. ppt. ana ℥j. & ℈j. Laudani opiati ℈iiß. M. f. pulv. Ex cujus compositionis, seu dispensandi modi calculis rite subductis, facile patet, quod cum in Wedeliana illa formula, quam ex *Opiologia* exhibuimus, Vitrioli Martis proportio ad massam quinque absorbentium, sit, quemadmodum 6. grana ad grana 50. seu uti 1. ad 8. circiter, & Laudani, uti 1. ad 50; tum in hac proportio Vitrioli ♂tis ad absorbentia sit uti 1. ad 5. Laudani vero, uti 1. ad 30. Verum enim vero, quemadmodum 5. gr. ex uno pulvere, antispasmodico Stahlii dicto, seu ex tribus illis constituentibus, Nitro nimirum, Tartaro vitriolato & Lapidibus cancrorum, adjuncta arbitraria Cinnabaris portione, diversa horum proportione ad invicem data, hic pulvis infinite modificari & præsenti rerum statui accommodari potest, (sic ut in acutis, v. gr. vomitu, dejectionibus alvinis, intestinorumque doloribus urgentioribus; major absorbentis, minor vero salium portio adhibeatur, & vice versa, si hæc non urgeant, sed in æstus mitigationem plenis passibus ire permittant;) ita etiam quivis artis peritus facile perspicit, pro re nata anodyni & salis martialis portionem nunc augere, nunc

omnis generis hæmorrhagias efficaciam (4) insignem, creberrimis exemplis didicissem; tamen & infidas hujusmodi morborum subdolasque inducias, & faciles sub maxima etiam morbi

u 2 sereni-

nunc minuere, artifici integrum manere. Interim si quis experimenta nostris analoga instituere suscipiat, facile patet, pulverem eo modo paratum, quo nos usi sumus, ad manus sumendum esse.

4) Audiamus de virtutibus hujus pulveris, ipsius auctorem felicissimum, quando in *Opiologia*, loco paulo ante citato, *in ægris*, inquit, *lipothymia, syncope & cordis palpitatione laborantibus, quæ symptomata sæpissime in hypochondriacis observavimus, cessantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad sensum, nil præsentius invenimus & consultius, quam resolventia & præcipitantia opiata per vices adhibita. Abegimus adfectum illum & præcavimus his solis. In usu nobis est eum in finem pulvis*, absorbens *dictus &c. Non possum satis deprædicare effectus, quos ab hoc vno pulvere vidi, quam cito omnia conquieverint inde symptomata, quam feliciter tono suo restitutus sanguis, quam optime etiam symptomata hysterica huic ipsi morem gesserint, subsequuto sæpius vomitu cum maximo juvamine, ceu ab ejusmodi resolventibus novum non est in praxi, & alvum & vomitum quandoque cieri. Præferendus eo nomine hic merito tot Syrupis, speciebus & compositionibus cordialibus.* Hactenus ille. Tantum autem abest, vt his omnes hujus pulveris laudes comprehendantur, ut potius maximas eorum adhuc intactas reliquerit. Vti enim dies diem docet, ita etiam in hoc pulvere majoris adhuc momenti virtutes delitescere, experientia docuit, in omnibus illis morbis, in quibus vel insignis in primis viis humorum acredo peccat, vel ubicumque fibra nimium, idque ἀτάκτως, quacunque demum ex causa, tensa, præcipua malorum causa est. Sic deprædicatam mihi olim a venerando parente meo virtutem hujus pulveris internam ad compescendas moderandasque hæmorrhagias, a causis internis oriundas, a quibus ne quidem abortum & hæmorrhagias post partum enormiores excipio, (modo insigniorum vasorum parietes putredine ita nondum exesa sint, ut nullus coalitioni vulneris locus relinquatur,) innumeris propemodum praxeos clinicæ suffragiis tantam reperi, ut quod candide scribo testorque, omnem interdum expectationem superaverit, fefellerit vix vnquam. Quoties enim cunque mature satis adhibitus

ſerenitate, exiguoque vel nullo ægroti delicto, relapſus deprehendebam. Quid? quod etiamſi effectus huius pulveris iſchæmus

---

hibitus (quid enim poſt bellum machinæ?) hæmorrhagiæ cohibitionem indicari deprehendi, intrepido & per minuta horæ pro re nata continuato hujus pulveris uſu, tantum per Dei gratiam hoc profuimus, ut ſexcentis aliis incaſſum adhibitis, hoc medicamentum cito palmam præripuerit, ſive hæmorrhagia pulmonaris, ſeu uterina, ſeu hæmorrhoidalis eſſet, ſive ex ventriculi aut œſophagi, aut narium vaſis, proficiſceretur. Et memini quidem, me in Hygeiæ caſtris admodum novitium adhuc, ad juvenem hæmorrhagia narium vehementiſſima, multasque horas durata, & ad quam iterata Venæ Sectio in pede, internaque, neſcio quæ, remedia, ligaturæ itidem, & tandem incantatoriæ quoque pulveris ſympathetici, nulli non hæmorrhagiæ ſiſtendæ (ſi chirurgo ipſius poſſeſſori adminiſtratorique credere fas eſt,) inſufficientis, artes, fruſtra fuerant, prono ſemper flumine vel e naribus, vel in fauces defluente ſanguine, accerſitum, quum jam ſingultus, pulſus anomalus, tendinum ſubſultus, ſudores frigidi, facieſque moribundo ſimilis, mortem præ foribus nuntiarent, uno hoc puluere, affatim parvis præbiis exhibito, ſubitaneam hæmorrhagiæ opem attuliſſe, hominemque, Deo benedicente, ſervaſſe, de cujus ſalute vel intrepidiſſimus in Hygeies caſtris veteranus deſperaſſet. Et vivit quidem hic vir, (quum poſt hanc hæmorrhagiam cohibitam, curationi noſtræ ſe totum commiſiſſet,) ex illo tempore, valetque ita, ut effatum expertiſſimi MORTONI non raro in memoriam nobis revocet, *Æger*, inquientis, *per debitum regimen poſt hæmorrhagiam accidentalem liberatus, paulatim, ſicut poſt fluxus menſtruos immodicos, atque alios ejusmodi, fieri ſolet, ἐύχρωος atque ἐύσαρκος evadit.* Quodſi nunc præter iſchæmum hunc effectum, quantum pulvis hic Wedelianus ad ſiſtendos fluxus alvinos, (ſi præſertim Vitrioli ♂ proportio nonnihil imminuatur) valeat, ediſſerere ſuſtineremus, vel effectus heſce ex mechaniſmo morborum C. H, & actione medicamentorum in illud, explicare ſtuderemus, inprimis vero de conſenſu & diſſenſu medicorum primi ſubſellii, circa tam theoriam, quam therapiam hæmorrhagiarum, præſertim hæmoptoes, diſſerere ſuſciperemus, facile vides, lector benevole, integrarum nobis diſſer-

mus conſtans eſſet; nihiloſecius ægrotos periodicis præcordiorum anguſtiis, æſtuque febrili, ipſa prope hæmoptyſi pejoribus, illosque funeſta pedetentim facie induentibus, mirifice exagitatos (5) invenerim. Ad quam quidem periodicam exacerbationem, ſeu febrim, exquiſitiſſima quævis alios æſtus refrigerantia, aliasque præcordiorum anguſtias levantia, licet nec perfunctorie, nec ſine ſelectu eſſent adhibita, vel penitus fruſtra erant, vel longa demum, tædiique & morarum pleniſſima curatione proderant. Accedit, quod maxima ſanatorum pars minus firmiter convaleſcerent, (6) hoc eſt, quod valde cauſarii

 eſſent,

diſſertationum materiem exſurgere. In qua digerenda & polienda quidem cum voluptate ſane verſaremur, niſi noſtræ quoque eſſent, quæ quondam *Guidonis* PATINI, querelæ: *La vie, que nous menons, eſt trop agitée. L' exercice de notre profeſſion nous ote cette tranquillité qu' il faut avoir, quand on veut ecrire pour l' eternité.*

5) Audiamus hæc iterum pulcre ex ſua, ſeu quotidiana potius, experientia, explicantem MORTONUM: *Vbi ſcilicet paroxyſmus febrilis incertus*, ita ille, *a ſanguinis adeo ferociter efferueſcentis impetu recrudeſcit, tenera pulmonum vaſa, cum motum hunc citatiorem ferre non poſſint, iterum atque iterum debiſcere ſolent, una cum magno purpurei liquoris diſpendio, qui vt plurimum fluere non deſinit, usque dum orgaſmus febrilis, & motus ſanguinis inteſtinus inde dependens, vel artis ope, vel ſponte ſua, ſaltem a quantitate liquoris imminuta, penitus ceſſet. Et tunc etiam infidæ tantum induciæ dantur, donec vaſa iterum a præternaturali ſanguinis motu in paroxyſmo ſubſequenti nimis diſtendi contingat. Et quidem hæc eſt fatalis illa hæmoptoë, quæ uti difficilem curationem admittit, atque ægro ſæpius inexpectato ſupervenit, ita febrim primo putridam, dein becticam conjunctam habet, quæ in phthiſin fatalem atque incurabilem ſæpiſſime terminari ſolet.*

6) Conſpirat cum noſtra hac obſervatione πρακτικωτατȣ MORTONI deſcriptio, *phthiſiologiæ lib.* 3. *cap.* 5. *Uti enim*, inquiens, *aliquos phthiſicos, qui frequenti hæmoptoë, vel leviſſima de cauſa obnoxii fuerant, debita cura & regimine vitam ſuam per plures annos protraxiſſe vidi, ſolitis etiam muniis fungentes, licet valetudinarie ſe haberent, cum tuſſi atque aliquo dyſpnœæ gradu,* quoties

essent, & erroribus in diæta, ut ut illi leviores essent, facile in veterem morbum revolverentur, vel asthmate deinceps, eoque non raro in veram phthisin desinente, tentarentur.

§. VII.

Edisseram nunc paucis, quid mihi in tanto solidioris methodi desiderio usu venerit. Decem propemodum nobis in artis exercitio anni effluxerant, quum probatissimas quasque methodos, summis quos antea honoris causa nominavimus viris familiares, pro re nata, nec temere nec timide iterato adhibuissemus. Sed quum illæ tantum non omnes difficultatibus paulo ante commemoratis premerentur, diu animum meum sollicitum habebat methodi efficacioris desiderium, sic, ut nihil non cum ratione in hanc rem ulterius experiri statuerem. Adjuvabat institutum fortuna, vel casus. Vocabar, anno MDCCXL. exeunte, ad hominem 30. circiter annos natum, murariam exercentem, causariam corporis conditionem diæta pessima multis jam inde ab annis vel contrahentem, vel certe magnopere alentem. Invaserat hunc hæmoptoë violentissima, qua integras phialas sanguinis puri æque ac coagulati eructaverat. Chirurgus adhibitus, venæsectionem, & nescio quæ medicamenta interna, ministrat. Sed his parum proficientibus, & hæmoptoë post nychthemeron increbescente, in consilium adhibeor. Invenio hominem viribus & sanguine (is enim ad integras libras profusus in vase figulino servabatur,) prope exhau-

quoties scilicet tubercula pulmonaria contigit esse pauca, minuta & putrefactioni inepta; vel quoties hæmoptoë, a lapidibus intus generatis, vel ab externo aliquo accidenti, magis quam a motu effervescentis sanguinis intestino hectico ortum suum duxit; ita alios morte præcipiti intra paucarum hebdomadum spatium e vivis sublatos observavi, quoties scilicet hæmorrhagiæ graves a sanguinisērociter effervescentis motu in ægrum frequenter reverterunt; vel tubercula alicujus maligni genii præcipitarunt, atque inde putrefactionem citam subierunt.

exhauſtum; facie Hippocratica, lipothymiis affatim infeſtantibus; æſtu nihiloſecius urentem, tuſſisque ſuccuſſationibus, novum ſemper ſanguinem extorquentibus, miſere adfectum. Præſcribo quantocyus Mixturam temperantem ℥iv. leviterque analepticam, cui pro baſi eſſet pulveris abſorbentis Wedeliani drachma circiter una, a qua benedicente Deo, brevi hæmoptoë compeſcebatur, ſic, ut, non obſtante tuſſi, ſanguis floridus emergere ceſſaret, atque intra nychthemeron ſigna coalitionis vaſorum pulmonalium non leviter profectæ, ſub quietiſſima ægroti, mortem metuentis, in lecto continentia, ſeſe proderent. Adeo poſt epotam hanc potiunculam hæmoptoë ſeſe in meliorem frugem receperat, ut die ſecunda curationis noſtræ (quæ tertia ab invaſione hæmoptoës erat,) ſimili potiunculæ pulveris Wedeliani ℈j. tantum, prophylaxeos ergo, adderemus, dieque tertia illum jam plane omitteremus; potiunculam ex terra fol. tartari, C. C. ſ. igne, Conch. citrat. & antimonii diaph. ana cum aquis temper. & leviter analepticis, cui pro agrypniis Extractum ſeminis papaveris albi ad aliquot ſcrupulos addebatur, ipſi ſuccenturiantes. Morbus ſub horum uſu mirifice miteſcebat, ſudoribus æqualibus bonæ notæ, urinisque turbatiſſimis, prodeuntibus, &, quod præcipuum, expectoratione tali, qualem in legitima vaſorum coaleſcentia eſſe oportet, cumque pro alui laxitate (nihil proficientibus tribus infuſi lax. Mannag. unciis, die tertia & quarta κατ' ἐπίκρασιν datis,) die quinta curationis noſtræ potiuncula laxans ex Infuſi lax. M. ℥ij. cum totidem pulveris Cornachini ſcrupulis & Oxymelitis ſcillitici ʒj. conflata, cochleatimque exhibita aluum expediviſſet; adeo ſibi nobisque levatus pomeridie videbatur ægrotus, ut jam prope ſperare inciperemus. Sed breve admodum hoc gaudium: verſus veſperam enim illius diei, poſt prævias oſcitationes & pandiculationes, frigore febrili, intermittentem plane

refe-

referente, cum summis præcordiorum angustiis, (sub quibus etiam purus sanguis, licet is paucus esset, cum summo ægroti metu, tussiebatur,) corripitur. Jam tametsi sanguinis meri exscreatio Mixtura ejusmodi, qualem supra commemoravimus, cum pulveris absorbentis ℈j. facile sopiretur; tamen non poterat non morbus inde in novas turbas concitari, cumque similis paroxysmus alterius diei meridie ægrotum vehementer exercuisset, imo excruciasset, flebiliter ille, ut nihil adeo quam Febrem altero mane metuendam curare vellem, obsecrabat. Atque ipse quidem hoc mihi negotii dari, ægro vel non orante, intelligebam. Quodcunque enim de vita, vel viribus ipsius servatum aut recuperatum antecedenti quatriduo fuerat, id omne bini paroxysmi abstulerant, tertio majores adhuc ruinas minitante. Quod interim, si non juvaret cortex, etiam nocere non posse videretur; (7) finito paroxysmo illum statim ad manus

7) Didiceram equidem, MORTONO præeunte, & experientia confirmante, quod non solis intermittentibus Cortex debeatur, sed multæ quoque acutarum eundem egregie ferant; neque hemitritæis solum illum frequenter fructuoseque, sed malignis etiam epidemicis, πρακτικοτάτῳ APINO magistro, imo & continuis lentis, ictericis, & quæ sunt hujus commatis, adhibueramus. Verum an ad hæmoptyses secure adhibeatur, id me tunc temporis cum ignarissimis scivisse profiteor. Solet autem providis experimentatoribus in ejusmodi negotio usu venire, quod de primis nauticæ inventoribus eleganter, ut solet, CLAUDIANUS:

Inventa secuit primus qui nave profundum
Et rudibus remis sollicitavit aquas,
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat præbuit arte vias.
Tranquillis primum trepidus se credidit undis
Littora securo tramite summa legens;
Mox longos tentare sinus & linquere terras,
Et leni cepit pandere vela noto;
Ast ubi paulatim &c. &c.

manus ſumebamus, electiſſimum eundem & alcoholiſatum ad ℈j. omni bihorio exhibentes, interponendo unum alterumve cochleare Mixturæ ſupra commemoratæ, ſic ut verſus meridiem craſtinæ diei duæ ad minimum corticis drachmæ abſumerentur. Qua medicatione cum Deo benedicente tantum profectum eſſet, ut alterum mane, æque ac meridies, ſine febre non ſolum abiret, ſed ægrotus etiam mirifice ſibi recreari videretur; æſtu febris continuæ in pulſu & urina valde remittente, pureque albo coctiſſimo per expectorationem ex voto ſuccedente: non dubitabam proximo nychthemero eidem methodo plane inſiſtere; hoc tantum diſcrimine, ut Cortex (ægro bihoriam exhibitionem deprecante) per trihoria ſolum, & præter hunc nihil medicamentorum, ſumeretur. Mirabile dictu, & incredibile forſan indignis Corticis oſoribus (quos per ἀπειρίαν, aut certe ἐμπειρίαν minus legitimam, ita judicare oportet,) eſt, quantam ab hac methodo euphoriam ſenſibus ſuis ægrotus mecum uſurpaverit omnibus, facileque exiſtimabit lector benevolus, quanto jure eidem per proxima nychthemera inſtiterimus, ægroto ſiquidem inde rectiſſime convaleſcente. Judicabit tamen etiam exinde, quanta indignatione, quantoque dolore, poſt exactum prope hac tranquillitate integrum ſextiduum, noſtrum, poſt frivolas aliquot cum agnatis objurgationes & cereviſiæ meracioris ingurgitationem, natura usque recurrente, invenerimus tuſſicula valde vexatum, anheloſum, ſputis non ſuccedentibus, æſtu intenſiſſimo torrefactum, tuſſique merum non raro ſanguinem ex vaſis pulmonum extorquente. Equidem nihil non pro hominis ſalute moliebar, temperantia ſelectiſſima, iſchæmis & Cortici pro re nata maritans, nec analeptica neceſſaria omittens; attamen vires uno ictu quaſi proſtratæ, cum febre tantum non continente, intercurrente hæmoptoë, ſanguinem purum, non minus quam coagulatum putridum fœtidiſſimum

eructante, eo ipsum redigebant, ut vitam, cujus servandæ causa antea nihil non moliri statuebat, pœnæ loco amplius haberet, illamque cum morte commutare, siquidem fatis ita videretur, vehementer etiam atque etiam optaret. Adnuebant etiam voto fata, sic, ut, die ab invasione hæmoptoës vigesima tertia, morbo confectus expiraret. Jam quidem illi, qui curationes ex eventu magis, quam ex methodo, qua gestæ sunt, metiri solent, hanc circa usum Corticis experientiam parui facient. Secus autem, arbitror, justi rerum æstimatores statuent, hancque historiam non plane insufficientem existimabunt, quin exinde legitimus a nobis ad nova tentamina factus fuerit in hæmoptoë phthisica transitus.

§. VIII.

Duplici hac itaque instructus experientia, nimirum, quantum pulvis ille Wedelianus ad compescendas hæmorrhagias, Cortex vero ad extinguendam flammam & motus febris phthisicæ, (novas uti in toto vasorum sanguiferorum systemate turbas, ita inprimis novas ad pectus congestiones, & cum his vasorum in pulmonibus rupturas, producentis) valeat; & inprimis, quod ille ad hanc secure adhibeatur: statuebamus pro methodo efficaciori in posterum egregia hæc duo medicamenta pro re nata jungere, unitique vires experiri, nihilque magis in votis habemus, quam ut primo quoque tempore tentaminis hujusmodi sese efferret occasio. Jam quidem duo prope menses abibant (8) antequam in hæmoptoë quadam graviori rem experiri

8) Phthises veras, una cum hæmoptysi, frequentiori phthisium causa procatarctica, in his terris rariores esse, quam quidem in Germania mediterranea, observabile est. Tametsi enim passim obvii sint, qui cum tussi contabescant, & endemia loquendi formula, daß sie den Ziesch haben, (h. e. quod phthisici sint,) pronuntientur; tamen re penitus conside-

periri contingeret. Nihllo secius hæc æqui bonique consulentes, experientiamque inde instaurantes, præmunitiores quodammodo nova pericula præstolabamur. Et vero hoc bimestri exacto voti nostri ita damnabamur, ut intra octimestre proximum anni superioris admodum insignes experiundi occasiones sese nobis in praxi nostra offerrent: quas nunc ita, quemadmodum illas, quum confierent, in adversaria nostra medica retulimus, cum benevolo Lectore communicabimus.

§. IX.

Cuprifaber XXXIV. circiter annos natus, parentibus editus phthisicis, & cujus soror æque ac germanus frater phthisi perierant: asthmati tussique humidæ, eique non raro sanguinolentæ, nec minus sudoribus nocturnis & decubitui verticaliori, obnoxius, ossibus cetera & fibris quidem gaudens satis robustis, toto nihilosecius externo habitu phthisicus, ingenii valde iracundi, mense Novembri MDCCXL. in hæmoptysin incidit, qua sanguinem nunc floridum, nunc coagulatum affatim eructaret. Quod interim non valde magnam cruoris jacturam fecisset, Venæsectioni protinus administratæ, Mixturas temperantes cum Pulvere absorbente Wedelii, advocatus iungebam, quarum ope, si a divina gratia discedas, meri sanguinis eructatio legitime compescebatur, vasaque rupta ad coali-

X 2 tionem

considerata, plurimi horum non phthisi pulmonali (ut ut illa interdum scenam claudat,) sed stomachica, seu potius tabe ex febre ventriculi lenta, (quam apud MORTONUM in *phthisiologia* non invenio,) laborant. Et mereretur sane hoc morbi genus hoc loco digressiunculam aliquam, quum methodi medendi ipsi ut plurimum adhiberi solitæ, tantum non omnes, si verum dicere velimus, id agere videantur, ut ægrotus citius certiusque pereat. Sed quum hoc tempore non vacet, debitam hujusmodi *παρεκβάσει* adhibere operam, rectius illam, Deo vires otiumque largiente, in aliud tempus differimus.

tionem ejusmodi perducebantur, ut ſub quieta in lecto continentia, nullus (licet valde tuſſiret,) ſputis, cetera recte ſuccedentibus, intereſſet ſanguis. Aſt quum, his ita belle ſe habentibus, poſt aliquot dies non ſolum lecto ſe pro lubitu abdicare, ſed in conclavi adeo frigido cubitum ire auderet: tuſſi vehementer concitata, denuo merum eructare ſanguinem cum febre intenſiſſima incipit. Advocatus denuo, methodum, quæ paulo ante profuerat, reſumo, graviterque objurgata hominis levitate, prognoſique periculoſiſſima occentata, rectius valetudinem curare ſuadeo. Succedebat his obſervatis curatio denuo per Dei gratiam ex voto, niſi quod tuſſi ferinæ propemodum, & novas ſemper vaſorum rupturas minanti, aliquot pro rei exigentia M. Pilular. de Styrace c. o. grana, (cui illa de Ammoniaco adjuncta eſſet,) opponerem. Qua methodo octo circiter dierum intervallo continuata, noſter ad illum convaleſcentiæ gradum, quem intemperanter perdiderat, reducitur, cautiusque mercari doctus, in conclavi calido, lecto relicto, degens, levioribus opificii laboribus manus admovere cum ſucceſſu tentat, gradatimque durioribus ſeſe accingens, obſtante auſtera aëris conſtitutione, plane cum ſanitate in gratiam redire incipit. Sed ne hoc quidem gaudium valde diuturnum. Vix enim integrum in hac ſerenitate menſem exegerat, quum quotidianis objurgationibus & rixis, tóta veterum malorum acies, pulcre hucusque ſopita, in novas turbas concitaretur. Denuo igitur accerſor, utque ſuppetias, ſi poſſem, conſtantioris effectus adferrem, rogor. Ego vero, quam in tanta morum intemperantia nullum curationis genus conſtans futurum pronunciaſſem; utque non tam curationem imperfectam, quam ſemetipſum accuſaret, ſerio monuiſſem; ipſeque nihil non in hanc rem, ſi modo aliqua inde ſpes ſalutis adfulgere poſſet, ſpopondiſſet: novam curationem exordior. Incidebant

debant

debant hæc in illa tempora, quibus nuper admodum Corticis in hujusmodi negotio efficaciam didiceramus. Nulla proinde mora interjecta illum ad manus ſumere ſtatuebamus, ſic, ut ipſius ℈iv. cum ℈ij. pulveris abſorbentis Wedelii pro baſi eſſent Mixturæ temperanti quinque circiter unciarum, ex aquis pectoralibus & analepticis conflatæ, quam ad cochleare unum omni hemihorio tam diu hauriret, donec ſymptomata notabiliter levari perſentisceret; dein quauis hora ſolum, imo bihorio elapſo. Haurit avide noſter, indeque intra unum nychthemeron adeo ſe levari ſentit, ut ipſemet hanc medelam, guſtu licet antecedentibus nauſeoſiorem, efficacia tamen illis longe antecellere pronuntiaret, eandemque ſibi denuo expeteret. In quo cum facile conſentientes nos habuiſſet, (niſi quod ſolum per bihoria id admiſiſſemus,) cumque hanc potiunculam intra XL. horas proximas abſumſiſſet, incredibile eſt dictu, quam ad ſe redierit æger. Hæmoptoë enim hac ratione devicta non ſolum, ſed & ſputis vaſorum legitimam ſanationem, ſeu coaleſcentiam incipientem indicantibus, febre notabiliter, qua omnia ſui ſigna, deflagrante, reſpiratione in dies liberiori evadente, agrypniis ſudoribusque nocturnis miteſcentibus, inde illorum locum ſuccedentibus ſudoribus bonæ notæ; (conf. Not. 13.) non poterat non ad ſe redire, cumque hac ratione morbus adeo notabiliter miteſceret, denuo parata ſimilis potiuncula, per trihoria, imo quadrihoria ſolum, porrigebatur. Quid quod ex mero deinceps Cortice, cum dimidio Terræ fol. tartari probe ſubacto, addito tantillo pulveris abſorbentis Wedeliani, pulverem deinceps paraverimus, quorum quotidie tres doſes abſumeret. Pro ſiti reſtinguenda ipſi cerevifia Razeburgenſis ſub his erat, & pro cibo carnes teneriores, ipſarumque juscula. Inprimis vero delectari ſolebat pulte fagopyri, aliisque farinoſis in pultem conſiſtentiorem coctis, quibus cerevifiam Lubecen-

ſem meraciorem (acutis alias morbis non valde amicam) parce ſuperfunderet, aut bolos ejusmodi ipſi imbueret. Quemadmodum vero ſub toto curationis decurſu ad alvi laxitatem quotidianam (ob adpetitum inprimis ciborum haud levem, & quod pituitoſus valde eſſet,) ſemper reſpexeramus; (9) ita præſertim ſub morbi declinatione, & ægroto hac curatione intra dimidium menſem ad ſe mirifice redeunte, Decocto traumatico pectorali aperitivo, (cui pro baſi eſſet Decoctum aperitivum majus Diſp. Br.) ad libram j. quotidie, per tria præbia, poto, ſtatum ſanitatis firmare allaboramus; ſucceſſu rerum per Dei gratiam adeo optato, ut ad opificium ſolitosque labores Februario menſe, non obſtante aëris conſtitutione auſterrima, redire valeret, quem, unum alterumne menſem ſupervivere poſſe, amici omnes dubitarant, vel potius plane negarant. Suadebam, his adeo belle ſuccedentibus, ut vere ejus anni exeunte, curatione quadam prophylactica, quaque morbi adeo alte inſidentis radices plane præſcinderentur, ſeſe muniret; cujus quidem curationis omnem a nobis rationem, ſi luberet, expectaret. Sed quum etiam hac anni tempeſtate rectiſſime valeret, & ingenio præterea eſſet ad intempeſtivam frugalitatem, (quam, cum fortunis polleret, rectius avaritiem diceres) compoſito, de curatione prophylactica nihil admonebat. Aſt enim vero gravibus haud ita multo poſt cum agnatis implicitus jurgiis, in quibus a verbis adeo ad verbera iretur; gravioribus inde adhuc litibus

9) Obtinebamus ut plurimum hanc alvi laxitatem parvo admodum adparatu, nimirum, ſpecierum Decocti aperitivi minoris vnum alterumve pugillum aqua fervente infundendo; ſed ſi febris intenſior eſſet, non ſolum Infuſo laxativo largiter opus habebamns, verum illo adeo, pulveris Cornachini additione (quæ admodum expedita alvum movendi methodus eſt,) acuato.

tibus forensibus enascentibus: Julio mense veteris mali novi insultibus tentatur. Quod tamen pro antecedenti cura, imo pro alia adhuc in uxore puerpera peracta, sostrum nondum solvisset, aliquot hebdomadas sanguinis sputum, cum tota veterum malorum acie increbescens, imo hæmoptoës adeo levioris gradus, sustinet, antequam ad nos mitteret. Nihilo secius duro morbi vires sumentis telo adactus, quum integras pedetentim sanguinis libras eructasset, semianimisque fere, cum lipothymiis intercurrentibus & febre intensissima, decumberet, die 28. Augusti nos accersiri jubet. Adventans media circiter die, hominem invenio morbi rigore prope confectum, externa & vere Hippocratica facie moribundum referentem, quique continuo sanguinem coagulatum, florido multaque pituita mixtum, cum summo fœtore eructaret. Tussis adeo intensa, ut vix singula verba sine vehementi ipsius concitatione eloqui valeret. Pulsus parvus, durus & celer, præcordiorum angustiæ summæ, urinæ sanguinis instar rubentes. Verbo, tantum non conclamatus jacebat. Nihilo secius methodum, quæ antea ipsi profuerat, spe dubia experiri, quam nullam, statuebam, quantocyusque paratam Mixturam temperantem & analepticam quatuor circiter unciarum, (cui pro basi esset Cortex Peruianus electissimus cum pulvere absorbente Wedelii,) per hemihoria ad cochl. j. exhibendam præscribebam. Hauriebat hanc naviter ægrotus, id inde utilitatis referens, ut versus vesperam adventans, morbum mitescere incipientem reperirem, ægroto sputa liberius, & sine recenti sanguine, exscreante, minus anhelose respirante, pulsu molliori, nec adeo frequenti, adeo, ut ægrotus cum uxore tantas morbo inducias a se datas detestarentur, inque spem non mediocrem venire inciperent, curationem anno ineunte sibi proficuam etiam nunc salutariter evenire posse. Jam tametsi his non magnopere adstipulari præsens rerum facies

per-

permitteret; tamen quum continuata per proximum ſextiduum methodo ſupra deſcripta, ægrotus ultra quam ſperare licuerat, ad ſe rediret, omnibus legitime ad ſanationem pergentibus, ſic, ut ſeptima jam die pus laudabile; hoc eſt, quod ſanguine nigro & fœtore vacuum eſſet, nec quantitate excederet, prodiret: ipſi non levem in ſpem adducebamur; adpetitu inprimis ciborum redeunte, redeuntibus etiam cum ſomno paulatim viribus, quum inprimis nihil ægro minus, quam a propria ipſius uxore, metueremus. Verum enimvero quum huic adeo difficile bile tumeret jecur, ut non ſolum a rei familiaris tædiis viro non caveret, ſed ipſamet illam (quod ab agnatis reſcimus,) in miſellum affatim eructaret, cum jam in vado omnia eſſe inciperent, nosque de hominis ſalute non ſperantes amplius, ſed adeo confidentes, illum jam rarius inviſeremus; reſuſcitata febre, novisque inſultibus hæmoptoicis emicantibus, in ſummis denuo anguſtiis hominem verſari, nuntiatur. Adventans, methodum, quæ bis jam profuerat, reſumo, nihilque non pro homine ſervando molior; ſucceſſu curationis tali prorſus ab initio, qualis proxime antecedenti periodo fuerat. Sed ſpes jam nobis non amplius eadem; partim quod a perditiſſimis uxoris moribus, ingenii itidem iracundiſſimi homini, nihil non metueremus; partim quod novæ curatione exantlandæ, vulnerique pulmonum toties refricato perſanando, vires ægroti vix pares deprehenderemus. Et peribat quidem noſter nocte intempeſta diem Septembris XV. & XVI. intercedente, febre mitiſſima, expectoratione juſtiſſima, reſpiratione mediocriter conſtituta, urinis optimis, animo ſibi plane conſtans, viribus exhauſtis ducendoque amplius ſpiritui imparibus. Et vehementer quidem optaſſemus hujus defuncti pulmones luſtrare; ſed quum noſtrates hujusmodi inſpectiones cadaverum humanorum vix ſatis dignas ingenuis moribus cenſeant, etiam hic, ut ſæpius antea, votis excidebamus juſtiſſimis.

§. X.

§. X.

Ex hac hiſtoria, utut τῷ ἐθανε terminaretur, facile adparet, quantæ utilitatis in morbo graviſſimo, ſubjectoque cauſario, methodus eſſe potuiſſet, niſi perditiſſimis hominis moribus toties illuderetur. In illa enim, ſi rite ſupputemus, quintuplex ægroti convaleſcentia. Et duplex quidem per methodum ſine Cortice, pulvere potiſſimum Wedeliano, peracta; triplex vero per Corticem pulveri Wedeliano junctum. Neque enim quod in quinta curatione, ſeu curationis periodo, perierit, tam morbo pulmonari, quam totali virium exhauſtioni, tribuendum videtur. Quid? quod, cum media die XV. Septembris illum inviſeremus, omnia ita comparata viderimus, ut non omnis plane ſpes evaneſceret, & fide dignis teſtibus nunc reſciamus, quod (cum antea crediderimus illum viribus exhauſtis ſuccubuiſſe) ipſa illa veſpera gravi iracundia fuerit adfectus, paroxysmo ſuffocativo inde ſub noctem reſultante.

§. XI.

Tranſeamus nunc ad hiſtorias curationum, Deo benedicente, methodique ope, felicius peractarum. Virgo ſex circiter ætatis luſtra emenſa, honeſtis parentibus edita, molliter educata, habitus corporis tenelli & ſtaturæ minoris, ex adverſis parentum, ſuique ipſius cum his, fatis, mœrore diu adfecta, in menſium ataxiam incidit, tandemque penitus ſufflaminatis iisdem, incommodis ejusmodi emanſionem preſſo pede ſequi ſolitis adficitur; præ cæteris vero ſumma reſpirationis difficultate, ſic, ut nec ſcalas adſcendere, nec greſſibus acceleratis incedere valeret, nec ſitum etiam in lecto horizontalem, aut qui huic proximus, perferret. Accedebat ad has ægritudines haud ita multo poſt tuſſicula, paulatim incrementa capiens, cum febre

lenta, viriumque decremento, ad quod ciborum adpetitus plus quam mediocriter vigens nihil valebat; cumque tandem ſanguinem tuſſiendo exſcrearet, nihil oberat, quin uti aliis, ita & nobis pro phthiſica haberetur. Increbeſcebant hæc, auctumno anni MDCCXXXVI. in hiemem vergente. At vero, quum omnem moverem lapidem, ut congeſtiones a pectore derivarentur, & inprimis natura ad perſolvendum lunare tributum in viam reduceretur; non obſtante auſteriori anni tempeſtate, trium circiter menſium medicatione, Dei gratia ægrotæque obſequio & fiducia adjutus, ægram tantum non omni morbi parte defunctam cernebam. Nam & catamenia rite fluebant, & febricula ceſſabat, & corporis motum æque ac ſitum in lecto decliviorem recte ferebat, ſic, ut Februario menſe exeunte præter tuſſiculam, ipſi habitualem fere, nullum morbi ſupereſſet veſtigium; cumque tuſſicula hæc unius circiter menſis medicationi auſcultaret, adeo belle annis proxime ſequentibus valebat, ut æſtate anni MDCCXXXIX. provinciam adminiſtrandæ rei œconomicæ non exiguæ mercatoris cujusdam primarii Lubecenſis in ſe ſuſciperet, & tota quoque ſequente hieme rectisſime gereret. Et vidi ego quidem toto hoc anno, ipſoque etiam brumali frigore rigente, recte valentem, rerumque ſuarum, nullis valetudinis incommodis interpellatam, ſatagere. Verum enim vero, quum graviſſimis quibusdam animi commotionibus factum eſſet, ut novis tributi lunaris ataxiis adficeretur, veteris morbi novis nuntiis paulatim redeuntibus, reſpirationis novis tentabatur difficultatibus. Quod interim Lubeca diſcederet, & nullam per integrum fere annum morbi medelam a nobis repoſceret, reſtitutam forſan naturæ autocratia ſanitatis integritatem ſperabamus. Sed ecce! tarditatem gravitate penſabat morbus. Etenim die XIV. Aprilis anni MDCCXLI. nuntius citato equo, quatuor inde ab urbe milliari-

liaribus advolans, optimam virginem tanto hæmoptoës impetu adortam nuntiat, ut omnia domeſtica remedia fruſtra fuerint, & ſe diſcedente ſemianimis jacuerit. Præſcribo quantocyus Mixturam ex methodo, (Rec. Cort. Per. Pulveris abſ. Wed. Antiſp. St. ana ℈ij. Antim. diaph. r. p. ʒß. M. bene tritis add. Aqu. Scabioſ. Millefol. Pap. rh. Cord. temp. ana ℥x. Conf. alk. inc. ʒij. M.) ad Cochleare 1. per horæ quadrantes tam diu, donec impeditior ſanguinis puri becchodes exſcreatio perſentiſceretur, exhibendam, miteſcente vero hoc impetu, per horas, imo bihoria. Redit die XVII. Aprilis nuntius, compoſitosque a medicamento morbi impetus eousque refert, ut ſub tuſſis induciis & quieto decubitu ſilentioque ægrotæ, (quam, ſe a nobis redeunte, ad ſequens nychthemeron ſupervivere poſſe omnes negarant,) nullum bronchia ſanguinem eructent; ſaltem illum non eructari merum, ut antea, ſed pituitæ mixtum. Adferuntur ſimul urinæ turbatiſſimæ. Præſcribo ſimilem antecedenti potiunculam, ſeu potius eamdem, morbo urgente exhibendam. (10) Qua per Dei gratiam ita proficiente, ut die XX. Aprilis nuntiaretur, ſputa excreta non niſi rariſſime, idque ſtriatim, ſanguinis veſtigia præ ſe ferre; ſequentem concinno formulam: Rec. Pulveris abſ. Wed. Antiſp. Stahl. Cort. Peruu. electiſſ. & alcoh. ana ℈iv. M. fiant XII. doſ. æqu. Horum pulverum ut quotidie tres, quo liberet vehiculo, (mane nimirum, pomeridie, & verſus veſperam unum,) ſumeret, ſicque proximo quatriduo tam curative, quam præſervative ſibi proſpiceret, ſuadeo, iisque abſumtis ad nos de ſtatu morbi perſcribi curatet. Paret monitis ægrota,

 dieque

10) Interponebatur his (quum alui obſtipatioris ſemper eſſet) ſtatim ab initio Infuſum laxativum Managettæ ac deinceps per totum morbi decurſum, ſimulacque aluus non largiter reſponderet, Infuſum foliorum Sennæ cum floribus acaciarum tepide potum.

dieque XXIV. Aprilis ad me perſcribi curat, hæmoptoës ne leviſſimum quidem veſtigium ſupereſſe, tuſſicula pus vaſorum ſuppurantium recte expectorante, ſic ut magnam in ſpem veniret, ſe compoſitis λειψανοις æſtus interni; viribusque aliquantiſper inſtauratis, brevi ſanitatem ſperare; ſi præſertim ſomnus in curationis partem veniat. Vrinæ rurſus craſſiſſimæ. Præſcribo his ita comparatis formulam ſequentem: Rec. Cort. Peruv. Terræ fol. tartari opt. ana ℈ij. antimonii diaph. r. edulc. Pulveris abſorb. Wed. ana ℈j. Extr. ſem. Pap. albi ʒß. Conf. alk. inc. ʒj. M. bene tritis add. Aquæ Looch ſan. Roſar. Cinnam. ana ℥ß. Millefol. ℥iij. M. detur per trihoria vel quadrihoria ad cochl. 1. Die XXIX. Aprilis omnia in vado eſſe nuntiatur, ſoliusque tuſſis ſiccæ medelam exorare ægrotam. Mitto pro his, Rec. MPil. de Styrac. cum & ſine opio, MPil. ſolutiu. noſtr. ordinat. ana ʒß. M. f. c. Elect. pect. Wed. l. a. Pil. Nro XX. ex ʒß. deaur. S. Pillen davon alle Morgen, item Nachmittags und Abends 3. Stück zu nehmen; donec nimirum vel tuſſis miteſceret, vel alvus inde nimis exſolvi videretur. Vix quatriduum ex hoc tempore effluxerat, quum amicus ægrotæ Lubecam iter faciens, ſalute mihi nunciare rogatur cum plurima, ægrotam adeo belle valere, ut medicamentis uti jam deſierit, quidque natura ſine illis valeat, experiri ſtatuerit; quidquid enim languoris adhuc ſuperſit, illud per Dei gratiam, adpetitu ciborum jam redeunte, facile victum iri. Neſcio proinde, quonam factum fuerit delicto, ut die octava Maji denuo ſanguis inter ſputa conſpiceretur, & ad nos de hoc ſtatu referretur. In quam rem ipſi miſſa ſequenti potiuncula: Rec. Cort. Peruu. ʒj. pulveris abſorb. Wed. antiſpasm. St. ana ʒß. antimonii diaph. ℈j. Aquæ Scabioſ. Pœon. Flor. til. ana ʒx. Conf. alk. inc. ʒj. M. Novi motus adeo belle fuerant compoſiti, ut nihil deinceps auxilii, vel conſilii a nobis repoſceret, & die demum

demum prima Menſis Junii, de ſanitatis ſuæ ſtatu per litteras nuntiaret, ſe ita valere, ut tantum pro tuſſicula ſub levi refrigeratione infeſtante, Pilulis antibecchicis a nobis ſibi miſſis, idque non valde crebro, indigeret, quarum ſibi novam portionem expeteret, noſtri ceterum faciens judicii, an illis aliquid Infuſi cujusdam pectoralis adjungere vellem. In quam rem quum ipſi ſequentem formulam ordinaſſem, (una cum regulis diæteticis ipſius ſanitati velificantibus,) Rec. Spec. pro Dec. flor. & fructuum, pro Decoct. ap. maj. ana ℥j. Hb. Millefol. ℥ß. cujus quotidie aliquot pugillos aqua feruente infunderet, & ubi leviter bulliviſſent cum Saccharo canarienſi biberet. Menſe Julio per litteras ſignificat, medicamenta ſibi transmiſſa, per Dei gratiam egregia præſtitiſſe, ſic ut ſoſtro ſoluto ſtatuerit experiri, quid natura regulis diætæ adjuta, contra morbum valeat? Et ex illo quidem tempore ad hanc usque, qua hæc ſcribimus horam, nihil amplius de ipſius ſtatu, quam quod valeat, parentibusque grandævis a miniſterio ſit, reſcio.

§. XII.

Antecedenti hiſtoria non minus memorabilis eſt, quam ſequentibus verbis in adverſariis noſtris medicis, quum adhuc ageretur, conſignavimus. Civis hujus urbis, octo circiter vitæ luſtra emenſus, corpore gracili & macro, genis intenſe rubentibus, tuſſicula prope continua laborans, asthmaticus ſæpe (patre itidem ſatus asthmatico, & cui tres ſunt iisdem ſatæ parentibus ſorores, una cum fratre natu majori asthmaticæ, & tuſſi, genisque intenſe rubentibus, pallente reliqua facie, diſpoſitionem phthiſicam præ ſe ferentes,) totaque externa facie ad phthiſin (quam tamen ſumma vitæ temperantia ſemper hucusque eluſerat,) pronus, quum ſub ædium ſuarum à nive corruptarum hiberna inſtauratione corpus diu multumque aëri

 brumali

brumali expoſuiſſet, vere anni MDCCXXXIX. ineunte, asthmate humido cum tuſſicula corripitur, cumque hæ ægritudines non leve in dies incrementum ſumerent, noſtra ope adhibita, menſis circiter unius ſpatio iis feliciter defungitur. Inde ad auctumnum usque illius anni recte pro more ſuo valens, quum denuo ſibi ab aëre auſteriori non caviſſet, iterum in ſimilem ægritudinem incidit, hoc ſolum diſcrimine, ut tuſſis ſicca jam gravius adfligeret. Vincebatur & hic morbus, Deo benedicente, noſtra opera, ſic, ut præcipite menſe Octobri, noſtro jam non amplius indigeret conſilio, indeque ad medium usque ejusdem menſis anni ſequentis MDCCXLI. belle valeret. Sed cum, veteris immemor in ſanitatem delicti, denuo dimidios ſub jove humido inter armenta veneuntia egiſſet dies, in ipſo foro armentorum, die XVI. Octobris, hora antemeridiana decima, horrore totius corporis vago cum inſultibus asthmaticis ſuffocativis & lipothymiis tantopere corripitur, ut duobus licet quadratiſſimis hominibus fultus; ægre tamen in domum ſuam deferretur, asthmate nunc in hæmoptyſin transeunte, pulmonibusque integras floridi ſanguinis uncias excutientibus; ſic ut ſemianimis in lecto a ſuis componeretur. Uxor non leviter perterrefacta, me quantocyus accerſiri jubet, cumque haud ita multo poſt adventarem, hominem reperio miſere decumbentem, continua tuſſicula merum ſanguinem (cujus libram ad minimum medicam pelui jam exceptam adſtantes monſtrabant, cum dolore exquiſito ſub mamma dextra, eructantem. Jam quidem an levi ſanguinis e vena pertuſa miſſione morbi furor minui poſſet, apud animum cogitabamus. Sed quum ægrotus, audito ſolum venæ ſectionis nomine, contremiſceret, & præterea non parum ſanguinis jam profudiſſet, ſtatuebam potiunculæ iſchæmæ, derivationis ergo, laxans addere. Concinnatam igitur potiunculam ſequentem: Rec. Pulveris abſorb.

Wed.

Wed. ℈ij. antiſp. St. ʒj. Cort. peruv. opt. ℈j. Inf. lax. M. ℥iß. Aqu. Buglosſ. Borrag. Cord. temp. ana ℥j. M. omni horæ quadrante ad cochl. 1. exhiberi tam diu jubebam, donec ſanguis ſubſiſteret. Ceterum imperata quieta in lecto continentia & ſilentio, cereviſiaque tenuiori pro potu ordinata, me pomeridie rediturum polliceor. Verſus veſperam rediens potiunculam vix dimidium abſumtam invenio, nihiloſecius morbi rigorem notabiliter ſopiri coeptum, ſic, ut jam non niſi integra vel ſesqui hora elapſa eandem, idque tantum ad alui ſolutionem usque, exhiberi juberem. Paretur; alteroque mane rediens talia omnia invenio, qualia morbum ejusmodi in meliorem ſe frugem recipere indicant. Aluo aliquoties reddiderat, pulſus inſtauratior & mollis, urinæ turbari coeptæ, reſpiratio liberior, nec doloris punctorii ante commemorati ſenſus amplius, niſi forte ſub reſpiratione graviori aut tuſſi fortiori: ſputa, ſanguine non niſi parce picta, libere exſcreabantur, ſudor calidus per totam corporis ſuperficiem æqualiter prorumpere moliebatur. Præſcribo pro curationis bene coeptæ continuatione: Rec. pulveris abſorb. Wed. Cort. Per. opt. Salis viperar. fix. ana ℈ij. M. bene tritis add. Aqu. Cord. temp. Buglosſ. Scabios. Borragin. ana ʒx. Syr. viol. ʒiij. M. Mirabile dictu eſt quam ſub hujus potiunculæ uſu bihorio vel trihorio ad cochl. 1. morbus proximis duobus nychthemeris mitescere cœperit, vaſorum ruptorum legitimæ ſanationis, ſeu coalitionis ſignis ſeſe rectiſſime prodentibus, ſic, ut die XIX. Octobris non ſolum denuo eumdem in modum confieret, ſed etiam, cum proximo triduo abſumta eſſet, denuo iteraretur, ægroto inde ex voto ſub quieta in lecto continentia non conualeſcente ſolum, ſed aliquot jam extra lectum horas impune quotidie agente. Ut interim alui ſolutione novarum ad pectus congeſtionum materies ſubtraheretur, uſui hujus Mixturæ quotidie per vices interpo-

terponebatur hemuncia potiunculæ laxantis ex Inf. lax. M. ℥ij. & Oxym. ſcillit. ʒij. Elixiriique pret. rubri Hannekeniani (quod nihil aliud eſt, quam balſamum liquidum ſpirituoſum, mitis gratiſſimæque indolis) ℈ß. His adeo ex voto ſuccedentibus, ut die XXVI. Octobris nullum morbi, præter aliqualem languorem, ſupereſſet veſtigium, cum ægrotum hoc die a medicatione feriari præcepiſſem, die ſequenti Pulverem prophylacticum ſequentem concinnabam: Rec. pulv. abſ. Wed. ʒj. Cort. Peruv. electiſſ. & alcoholis. ℈iv. Nitri cryſt. ℈j. M. F. pulv. D. ad ſcat. S. &c. &c. quem ad manus haberet, ſi veteris morbi motus denuo forte ſuſcitarentur, vel ſponte ſua id eveniente, vel admiſſo in rebus non naturalibus errore. Ceterum Elixirii viſceralis balſamici Hoffmanniani ʒj. per aliquot dies poſt prandium ſumendam præſcribebam, hacque methodo percuratum calendis Nouembris dimittebam. Et vidi ego quidem hunc virum, quum hoc anno ineunte ipſius liberos variolis correptos curarem, licet tempeſtas auſterrima phthiſicisque parum accommodata eſſet, nulla non ex parte valentem, remque familiarem & Zytopœicam, (eſt enim paterfamilias induſtrius) impune adminiſtrantem.

§. XIII.

Hæc ſunt, quæ praxi medica, imo & neceſſitate magiſtra, ϛωχασμῷ τεχνικῷ principiisque artis filum ducentibus, didiceramus, illoque animo, ut nobis olim, aliisque prodeſſent, in Adverſaria noſtra retuleramus. Ut interim certiores evaderemus, annon aliquid de admirabili hoc curationis genere litterarum monumentis proſtaret? varios omnino auctores, & inprimis illos, qui hodiernorum medicorum vel academicæ inſtitutioni, vel privatæ deinceps induſtriæ præfici ſolent, excutiebamus; ſed altum ubivis, de Cortice inprimis, ſilentium, ſi

Illuſtr.

Illustr. HOFFMANNUM excipias, Cap. de sanguinis fluxu ex pulmonibus, Med. rat. system. Tom. IV. parte 2. *Chinæ*, inquientem, MORTONUS in phthisiologia, *Corticem, in Electuarium cum Syrupo rosarum redigendum, mirifice commendat. Cui Extractum Cascarillæ aquosum, succinum & pulvis Nucistæ commode adjiciuntur. Hæc enim, dum partibus motricibus à robore defectis debitum tonum blande reddunt, ut sanguis per totum corpus promtius & expeditius cum omnibus succis circumeat, simulque cuticularis excretio libere succedat, faciunt, & sic utilitatem præstant.* Quibus verbis cum directe ad MORTONUM ablegati essemus, facile totius rei rationem perspiciebamus, non leviter mirati, memoria hæc nobis excidere, seu prætervideri potuisse, quum olim ex lectione hujus libri tantam percepissemus voluptatem, ut auctores extero cuidam, & ingenio & studiis, & praxi medica florentissimo Medico fuerimus, ut de Hydrope, ad exemplar MORTONI de Phthisi, commentarios pertexeret; quem quidem laborem uti nobis iterato rogantibus in se devolvi pro amicitia nostra tandem permiserat, ita certe in publicam vtilitatem eumdem nominisque famam pertexuisset, nisi fata, vix ac ne vix quidem adfecto opusculo, eundem mortalibus exemissent. Quemadmodum vero ex lectione MORTONI non poteramus sine summa voluptate perspicere, virum πρακτικώτατον, iisdem ductum praxeos clinicæ indicationibus, medicationis genere non valde dissimili electo, similes nobiscum, eosque felicissimos successus fuisse expertum; ita non poterant non consilia nostra ulterius confirmari, quum Commentarios Amplissimæ N. Curiosorum Academiæ evolvens, celeberrimum experientissimumque D. D. *Gothofr.* HELDIUM, *Cent. III. & IV. pag.* 383. hunc in modum in *Observatione*, cui titulus: *Cortex Peruvianus polychrestum remedium*, commentari invenirem: *Porro pro mulieribus ad nimium mensium fluxum & fluorem album, item ad hæmoptysin & vomitum*

cruentum, & in genere ad omnes hæmorrhagias, Corticem instar arcani, experientia edoctus, commendo.

§. XIV.

His uti justum experiundi desiderium non poterat non magnopere inflammari, ita, casu adjuvante, paulo post novam experiundi occasionem denuo nanciscebamur, in Zytopœo isto, de quo §. XII. sumus loquuti. Is enim quum ita sibi valere videretur, ut qui ægrotare denuo non posset; hocque animo præter alios duriores, mense Februario, in frigido aëre susceptos labores, saccos majores hordeo plenos (quorum quilibet septingentas libras pondere excederet,) trochlea in triclinium levaret, motus genere totum corpus varie vehementer exercente, & inprimis brachia super caput violentius levante & distorquente; die XXI. Februarii, post prævios horrores vagos & sensum punctorium pulmonum in sinistro latere, sanguinem merum floridumque tussire incipit. Curritur quantocyus ad me, cumque adventans, causas procatarcticas externas magis, quam internas fuisse, reperirem, bono ipsum animo esse jubebam. Sanguis tussi rejectus duas vix excedebat uncias. Nihilo secius quum V. Sionem & nunc, uti in antecedenti morbi stadio, vehementer deprecaretur, illa omissa, methodum antea salutarem resumere statuebam. Concinnata proin quantocyus sequenti formula: Rec. Cort. Peruv. Pulv. abs. Wed. ana ℈ij. Antim. diaph. ℈j. Nitri cryst. Tartari vitriolati ana ℈ß. M. bene tritis invicem add. Inf. lax. M. ℥iß. Aqu. Cord. temp. Scabios. ana ℥x. M. illam tamdiu quavis ½. hora elapsa ad cochl. 1. offerre suadeo, donec in exscreatis sanguis notabiliter minui inciperet; dein hora integra elapsa solum, nisi forte confertior alvi laxatio usum ad trihoria restringere juberet. Paretur, & post nychthemeron rediens, nostrum sputa libere & sanguine non nisi

levissime

leviſſime tincta, exſcreantem reperio; reſpiratio non impedita; alvo confertius dejecerat; quapropter tertia potiunculæ pars adhuc ſupererat. Sudore madebat per univerſum corpus æqualiter diffuſo; urina turbatiſſima cernebatur; pulſus mollis & æqualis, fauces humidæ; verbo, nulla non ex parte notabilis erat in melius mutatio. Quod interim ob laxans κατ' ἐπίκρασιν additum priori iſti potiunculæ non amplius inſiſtere poſſemus, ægrotusque de dolore tantum punctorio in regione mammæ ſiniſtræ quereretur; ſequentem potiunculam præſcribebamus: Rec. Pulveris abſ. Wed. Cort. Per. el. ana ℈ij. Nitri cryſt. ℈j. Extracti ſeminis papaveris albi ʒß. M. bene tritis add. Aquæ Scorzon. Tormentill. Papav. rh. ana ℥x. Syr. Papav. albi ℥ij M. S. Vorerſt alle Stunden, hernach alle 2. Stunden zu einem ordinairen Suppen-Löffel voll. Succedebant hæc adeo ex voto, ut die XXIV. Februarii eamdem potiunculam denuo confici & per trihoria ſumi e re ægroti judicaremus, cui pro alvo expediendo interponerentur λείψανα potiunculæ prioris cum Infuſo Laxativo; his vero ad laxationem non ut antea ſufficientibus, (cum inprimis ciborum adpetitus jam creſceret, & ægrotus quoque ita jam firmari inciperet, ut maximam diei partem extra lectum ageret,) Infuſi lax. M. ℥ij. cum Oxym. Scillitico & Syrupo roſarum ſolutiv. ana ʒj. perſcribebam, cujus hemunciam omni trihorio ad ἐνέργειαν usque ſumeret. Laxabatur inde quidem noſter valde leviter, aſt cum ſumma euphoria & ejusmodi curationis ſucceſſu, ut jam integris diebus, præcipite Februario a lecto abeſſet, & præter languorem & tuſſiculam, (utrisque tamen valde levibus,) nihil magnopere quereretur. Urina toto hujus curationis decurſu valde rubella quidem mejebatur, ſed quæ haud ita multo poſt aquam luto murariorum ſaturate tinctam referret. Interim pro colophone curationi addendo pridie calendarum Martiarum, ſequentes Pilulas quoti-

die ad gr. iij. ter, (donec nimirum confertior laxatio pergere vetaret,) ſumendas præſcribebamus: Rec. M. Pil. ſolutiv. n. ordin. ℈iv. de Styr. c. o. Extr. Panchymagog. ana ℈j. M. f. c. Elix. pect. Wed. l. a. Pil. pond. gr. j. Sub harum uſu ita cum ſanitate in gratiam redibat, ut & in aërem liberum prodire, & ad munia rei familiaris ſe accingere impune tentaret. Et valet quidem ex illo tempore hic vir adeo belle, ut in hanc, qua hæc typis tradimus, diem, nullis ex illo tempore adverſæ valetudinis tædiis adfectus fuerit.

§. XV.

Hoc ægroto itaque, Martio menſe ineunte, pulcre convaleſcente, menſe Aprili, & quum hanc commentatiunculam jam apud animum meditaremur, nova experimenti ſeſe offerebat occaſio. Vir temperamenti ſanguineo-cholerici XXXV. circiter annos natus, exquiſito naturæ robore pollens, vitæ genus agens ambulatorium, quodque multa diſcurſatione conſtaret, quum vitæ morumque & animi intemperantia varie variis conflictatus eſſet acutis æque ac chronicis malis, ad quæ propria partim, (callet enim Chirurgiam) partim noſtra uſus eſſet curatione, medio Aprili hujus anni hæmoptoë corripitur. Suberant rationes nonnullæ, quam ob rem ad nos confugere tergiverſaret. Sed ingraveſcentis mali duro adactus telo, hæmoptyſi ſub veſperam diei XIX. Aprilis increbeſcente, hunc valetudinis ſuæ ſtatum nobis nuntiari jubet: quodque nec pertuſa, die antecedenti, in pede vena, nec proprio marte ſumta medicamenta, ullam malo medelam attulerint. Præſcribo quantocyus: Rec. Cort. Peruv. electiſſ. & alcoh. ℈iv. Pulv. abſ. Wed. ℈ij. Sal. viperarum fix. Conch. citrat. ana ℈j. Inf. lax. M. Aquæ Scabioſ. Heder. terreſtris, Cord. temper. ana ℥x. M. S. Tränck-lein, alle halbe Stunden zu einem Löffel voll, bis zu anſcheinender Beſſe-

Besserung, wohl gerüttelt zu nehmen. Altero mane ægrotum invisens, potiunculam hanc penitus, cum dimidia ejus parte ex pharmacopolio denuo repetita, consumtam, invenio; nihilō secius sanguinem adhuc merum floridumque, tam sponte, quam tussicula incitante, erumpentem, quantitate vix parciori. Febris, utut sudore viscido bonæque notæ solvi inciperet, nihilo secius adhuc intensa, urinis fuscis & pellucidis sine mutatione perstantibus, ejus pertinacitatem prodentibus. Alvo biduo non reddiderat. Duo hinc potiores enascebantur indicationes, nimirum ut primo hæmoptoë fortius coërceretur, dein ut alvo plus laxandæ medicamenta accommodarentur. In quam rem quum pulveris absorbentis Wedeliani anaticum prope pondus Cortici admiscuissemus, (nimirum ℈iiß. ad ʒj.) & Infusi laxativi ℥iß. ad aquarum temperantium tres circiter uncias adjunxissemus, quid proximo nychthemero inde futurum esset, præstolabamur. Altero mane rediens, parcius scaturientem e pulmonibus sanguinem, febriculam longe mitiorem, urinas turbari incipientes, sudoresque optimæ notæ, invenio. Sed quod alvo ne nunc quidem reddidisset, (11.) sanguisque nimis floridus per vices emergeret; non solum primarum viarum repurgationem modeste urgere, sed etiam pulveris ischæmi Wedeliani proportionem Cortici æquare, & Terram foliatam Tartari pro æstus promtiori cohibitione his jungere statuebam. Conflatam itaque ex horum ana ʒj. & aquis pectoralibus ana,

 lepticis,

11) Mirabar omnino hanc alvi ab initio tenacitatem, cum omnia medicamenta ipsi data κατ' ἐπικρασιν laxantia fuissent, & ægrotus juscula carnium tenuia his largiter superbibisset, qua quidem methodo alvi tenaciores, facilius utplurimum, quam activioribus purgantibus, expediuntur. Sed mirari desinebam, quum narraret ægrotus, se non, nisi duodecim vel quindecim ad minimum resinæ Jalappæ granis sumtis, idque utplurimum valde mediocriter, purgari.

lepticis, Mixturam ℥v. circiter, cum Infuſo laxativo alternatim omni hora elapſa ad cochl. 1. ſumere præcipiebam, cumque hac methodo tota illa die ſtrenue continuatâ, non ſolum aliquot dejectiones alvinas, ſed & hæmoptoës, æſtus febrilis & tuſſiculæ inſignes inducias obtinuiſſet, noctemque proximam valde benignam eſſet expertus: altero mane, quæ erat XXII Aprilis, adeo belle omnia reperiebam comparata, ut ægrotus jam in conclavi obambulare tentaret, ſudor per univerſum corpus calidus erumpebat; pulſus mollis & æqualis, fauces æſtu vacuæ, urinæ craſſiſſime turbatæ. Sanguinem poſt heſternas alvi dejectiones non amplius floridum & parce emicuiſſe narrabant, ſed puri ſtatim ſolum (quemadmodum id in omni legitima vaſorum coaleſcentia evenire fas eſt,) immixtum: verbo, adeo ſe omnia in meliorem frugem receperant, ut, ſi morbi ſanationisque legibus tantum obtemperaret, brevi perfectam ipſi ſanitatem, Deo ſecundante, pollicerer. Nec voto expectatione que excidebamus. Etenim triduo adhuc continuata medicatione paulo ante commemorata cum interpoſitis laxantibus, vaſculorum ruptorum ſanatio, ſeu coalitio juſtam decurrebat periodum, ſomno ciborumque adpetitu & viribus paulatim redeuntibus, ſic, ut die XXV Aprilis jam innocue noſtrum aëri ibero ſe ſe exponentem, omnique morbi ſigno vacuum reperirem; datisque in prophylaxin pulveribus ſequentibus, quotidie ad unum alterumve præbium ſumendis: (Rec. Cort. Peruv. electiſſ. & alcoh. Pulv. abſ. Wedel. Antiſp. Stahl. ana ʒj. M. f. IX. doſ.) ſi juſtis diætæ legibus ſe adſtringeret, reliqua naturæ ſecure committi poſſe, judicarem. Et valet quidem hic ex illo tempore, in hanc, qua hæc publici juris facimus, diem rectiſſime, negotiis ſuis, totis diebus per vicos urbis obambulans, incolumis præeſt.

§. XVI.

§. XVI.

Hæc erant, quæ ex praxi noſtra clinica litteris conſignaveramus illo tempore, quum hujus commentatiunculæ ſcribendæ initium feciſſemus. Interim, cum varia hujus elaborationem (quod in epiſtola nuncupatoria pluribus indicavimus,) morarentur, interea temporis ſequentes adhuc fiebant acceſſiones. Juvenis, ſex circiter ætatis luſtra emenſus, temperamenti melancholico-ſanguinei, duris opificii pilearii laboribus victum, idque induſtrie, quærens, oſſibus & nervis pollens, quique adoleſcens hæmorrhagiis narium vehementiſſimis fuerat obnoxius, hisque ceſſantibus dolores capitis gravativos non raro erat expertus, anno MDCCXLII. ineunte, poſt leves bronchiorum titillatorios dolores, interdum ſputa ſanguine florido tincta tuſſit; ſed quod cetera ſibi ſuisque valere videretur, hæc non magnopere curat. Sub veris autem initium ex improviſo tuſſicula adortus, qua limpidum ſanguinem, nec parce, redderet, perterritus ad me mittit. Ego quod nec intus furentis ſanguinis, nec ſpasmorum in externis partibus, nec anheloſæ reſpirationis indicia magnopere deprehenderem, ipſeque ægrotus ſibi præter hanc hæmorrhagiam valere videretur; ſtatuebam experiri, numquid Cortex ſolus ejusmodi hæmorrhagiæ compeſcendæ ſufficeret? eamque ob cauſam concinnatam ex illius ℥iij. circiter cum ſale viperarum fixato tritis, Mixturam quinque vel ſex unciarum, quæ ſimul Infuſi Laxativi Mannagettæ ℥ij. caperet, omni bihorio ad ℥ß. ſumere præcipiebam. Poſt duos dies ægrotum reviſens, hæmoptoën quidem non increbuiſſe accipio; attamen nec remiſiſſe magnopere. Aluo nondum liquida fluxerant. Ut proinde omnem curationis Mortonianæ rationem exploratam haberem, laxans medicamentum die tertia exhibebam. A quo cum rite purgatus eſſet, die quarta denuo

Cor-

Corticem cum lapidibus cancrorum & nitro tritum, exhibeo, proximo biduo, an exinde hæmoptyſis miteſceret, expectans. Sed quum illa ſub horum uſu nihil emendaretur ſolum, ſed eodem, quo ab initio, tenore pergeret; hoc eſt, ut per vices (licet ægrotus ab opificio illisque omnibus, quæ hæmorrhagiam incitare poſſent, ſibi ſtudioſe caveret,) nunc plenius, nunc parcius flueret: ſtatuebam pulverem Wedelianum ad manus ſumere, concinnatæque ejusmodi, qualis antecedens fuerat, potiunculæ, ſcrupulos duos addens, eamque per bihoria exhibens, bidui ſpatio hæmoptoën hanc percurabamus, ſic, ut die quarta ab hujus potiunculæ ordinatione ægrotus jam convivio nuptiali agnati, bona noſtra venia, additoque ſolum temperantiæ monito, impune intereſſet, & ex illo tempore in hanc usque diem recte valeat, opificioque manus, ſine hæmoptoës concitatione, aut alio quodam ſanitatis incommodo, ſolitum in morem admoveat.

§. XVII.

Agmen denique claudat hiſtoria vomitus cruenti ex methodo noſtra curati. Matrona ſexagenaria, tuſſi ſtomachicæ inveteratæ, eique non raro cruentæ, dudum obnoxia, &, quod corporis habitus eſſet macilenti, venis turgentibus, ſemper pro phthiſica (utut cetera recte valeret rerumque ſuarum ſatageret,) agnatis amicisque habita (conf. ſupra Not. 8.) poſt gravem ex obitu filii mœrorem, aliasque graves animi commotiones, vere hujus anni in Febrem incidit continuam, cum asthmate, febreque nocturna inprimis ſcorbutica adeo intenſa, ut deliraret, ſignis reliquis omnibus illam periculoſe tentari docentibus. Sed, quum nihil non pro ſalute ægrotæ a nobis æque ac agnatis tentatum eſſet, benedicente divina gratia hæc quidem febris miteſcebat; nihilo ſecius virium plenaria proſtra-

tione

tione Febris lenta in locum ſuccedebat, cum tuſſi humida, admodum pertinaci. Aptabantur & his non infeliciter a nobis medicamenta, ſic ut paulatim ad ſe redire inciperet ægrota & ad unam alteramve horam a lecto abeſſe cum ſucceſſu, Majo exeunte, tentaret. Sed quum gravibus famulitii ſui delictis graviſſima adficeretur animi commotione, denuo inflammata Febricula, asthmate rurſus ſicco, cum dolore ventriculi exquiſitiſſimo, tentari incipit. Accommodabantur his denuo medicamenta, eo quidem ſucceſſu, ut omnia febrim mitigatam paulisper poſt duo nychthemera monſtrarent. Sed dolor ventriculi, a quo asthma non poterat non in novas concitari turbas, ſub his tantum non increbeſcens, inſidiis morbum non carere docebat. Nec vanum augurium. Etenim mane diei tertiæ agnati mihi nuntiari jubent, ægrotam, poſt noctem miſere exactam, ſanguinem mane vomere cepiſſe, hincque nos avide præſtolari. Adventanti monſtratur ſanguis fuſcus, pelvi exceptus, ad aliquot uncias, pituita permixtus, quem ægrota tuſſi vehementi, imo vomituriens, excreverat; neque his excretis ſputa ſanguinolenta remiſerant, ſed continuo adhuc, non ſine ægræ agnatorumque terrore, (licet parcius quam mane) exſcreabantur. Jam, tametſi totus externus ægrotæ exſuccæ & ab antecedenti morbo adhuc languentiſſimæ habitus prognoſin nobis occentarent valde dubiam, tamen me nondum omnem deſpondere animum, agnatis rogantibus exponebam, quum poſt hanc ſanguinis excretionem dolor ille preſſorius exquiſitiſſimus circa cordis ſcrobiculum, mirifice remiſiſſet, ſputaque recte ſuccederent; & quod inprimis & hic non vanum fore Corticis uſum ſperaremus. Quantocyus igitur parata potiuncula, ex aquarum analepticarum tribus circiter unciis, cum ſeſqui vncia Infuſi laxativi Mannagettæ, cui pro baſi eſſent aliquot Corticis drachmæ, cum ℥j. Terræ fol. Tartari & Oxymelitis ſcillitici probe tritæ,

novi mali curationem ordiebamur, ſic, ut omni ad minimum hora elapſâ tres circiter drachmas hujus potiunculæ caperet. Haurit noſtra ſtrenue, hoc per Dei gratiam medicationis ſucceſſu, ut quum pomeridie redirem, morbum egregie omni ſui parte miteſcere incipientem reperirem; reſpiratione expeditiori, ſputis bene ſuccedentibus, urinis minus, quam illo mane, rubentibus, pulſu molliori & æquali, & inprimis æſtu cutis ſicco in levem madorem ſolui incipiente. Aluo nondum quidem reddiderat, nihiloſecius flatus, in ejusmodi caſu plus ſæpe ipſis fecibus aluinis incommodi parientes, copioſe κατω ſucceſſiſſe dicebantur. Non mutatæ proinde medicationi inſiſtens, alteroque mane poſt noctem mediocriter bonam ab ægrota exactam, ſimilis plane, imo ulterius profecta, deprehendens, antecedentem potiunculam iteratam ex pharmacopolio per ſesqui horas exhiberi jubeo, donec alvus exſolveretur; deinceps trihoriam exhibitionem ſufficere poſſe judicans. Et mirabile ſane dictu, quantum hac medicina, triduo continuata, ad ſe redierit, morboque liberata fuerit ægrota, nulla prope pleniſſimæ in morbum victoriæ nota deficiente, quam quod magnopere langueret, ſanguisque inter ſputa non decreſceret, ſed potius augeri videretur, immo nunc floridior evaderet, quum antea fuſcus fuiſſet coagulatiorque, & ab initio fœtore non caruiſſet. Satis itaque repurgata ventriculi vaſa ſanguifera exiſtimans, & ne novus ad hæc vaſa præter naturam fieret adfluxus, metuens, pulverem abſorbentem Wedelianum ad manus ſumebam, illum parce Cortici admiſcens, talesque potiunculas per bihoria ex methodo exhibens, donec ſanguis inter ſputa paulatim deſineret, & factæ dein tum ſuppurationis, tum coalitionis vaſorum plenariæ ſigna ſeſe proderent. His per Dei gratiam octiduo proximo obtentis, tametſi non poſſet non magnopere languere ægrota, & tametſi, (quod facile eſt exiſtimatu) poſt

exant-

exantlatum hunc vomitum cruentum non poſſet non veteris morbi, asthmatis puta humidi, inſultus ſeſe prodere: tamen quum huic juſto Scillæ marinæ (quæ olim huic toties profuerat,) uſu ſatisfieret, exquiſitiſſima diæta analeptica viribus proſpiciente; Junio menſe exeunte adeo ad ſe redibat ægrota, ut miraculi inſtar ſuis & amicis eſſet. Et vivit quidem in hunc, quo hæc prelo ſubjiciuntur, diem pro ſuo more rectiſſime, rei familiaris curæ ſufficiens, inque ædibus ſuis obambulans, & mecum divinam medicamentorum benedictionem admirans grataque mente recolens.

§. XVIII.

Nihil jam ex inſtituti ratione amplius reſtat, quam ut brevem methodi delineationem his adjungamus. Tametſi enim ex lectione curationum a nobis plenius deſcriptarum, benevolus lector haud difficulter methodum ſit perſpecturus; tamen quod boni ſcriptoris ſit omnem veritatum a ſe propalandarum rationem clare ob oculos ponere!, age, brevi anacephalæoſi ſuperius dictorum, methodum pingamus.

A.) Ad hæmoptyicos itaque vocati, ante omnia ad modum, quo ſanguis eructatur, reſpicimus; nimirum, an illud impetuoſius fiat? aut ſummæ præcordiorum anguſtiæ, extremitatum ſtricturæ, & tuſſis vehementior, illum impetuoſius emicaturum minentur? vel, an hæc mitiora ſint, & meliora ſperare liceat? Huic indicationi accommodamus Pulverem abſorb. Wedelianum, ſic, ut potiunculæ ex aquis leniter analepticis & refrigerantibus, quatuor circiter, aut quinque unciarum, pulveris hujus drachmam integram ad ſeſqui drachmas, pro re nata, adjungamus.

B.) Ob ſpaſticas extremorum in ejusmodi paroxysmis ſtricturas, febrileſque ad vitalia ſanguinem reſtagnare facientes

motus, tam præsentes mitigandos, quam futuros cavendos, Corticem Peruvianum ataxias fibrarum H. C. omni Antispasmodico pulvere potentius componentem, huic pulveri Wedeliano jungimus, dimidia, imo, si spasmi urgeant, æquali portione.

C.) Pro ratione æstus, febrisque continuæ, ex faucium siccitate, cutis ardore, pulsu, reliquisque signis, æstimanda, duobus hisce remediis adjungimus illa, quæ antiphlogica κατ' ἐξοχὴν audiunt, Salia media, Terram foliatam Tartari, & inde paratum Sal viperarum fixum.

D.) Nisi Hæmoptoes furor tantus sit, ut nullum plane ægroti motum, (sine quo tamen egestiones aluinas fieri impossibile est,) ferat, vel proprio jam naturæ motu (quod in hujusmodi casu rarius evenit,) aluus largiter exsolvatur: aluum blande subducentia enemata suademus, vel mite aliquod laxans potiunculæ ante dictæ jungimus, sic ut alternatim cum illa ad cochleare unum adhibeatur, vel ipsi adeo permisceatur.

E.) Modus exhibendorum medicamentorum hujusmodi, iterum a tenore, seu indole symptomatum determinatur, sic, ut illis rigorosioribus, etiam confertior, mitioribus vero, tardior exhibitio opponatur. Sic in casu magis urgente, omni quarta, imo octava horæ parte elapsa, cochleare unum, (quo modulo drachmas tres circiter capimus,) exhibemus: si vero minus urgeant symptomata, vel jam mitescere incipiant, tardius; quemadmodum illud benevolus lector ex historiis supra allatis plurimis perspiciet.

F.) Ubi hac ratione constans & fida hæmoptoës cohibitio obtenta, primaque curationis, ut ita dicam, periodus, quæ in hoc casu non magis vel rectius e colore sputorum, (12.) quam e sudo-

12) Apposite forsan hoc loco explicaretur, quomodo ex sputis (quo vocabulo, HIPPOCRATIS ipsiusque interpretum in morem, illa quæ expecto-

e ſudoribus, (13) æſtimatur, abſoluta; integris deinceps horis, imo bihoriis & trihoriis elapſis, ſub regimine convenienti,

pectorantur, technice indicamus,) de ſtatu ruptorum intus vaſorum judicari poſſit? & qualia illa in legitimo ſanationis decurſu eſſe debeant? qualia etiam ſint, ubi infida coalitio & imperfecta eſt. Verum quoniam inſtituti ratio Hæmoptoës nec pathologiam, neque ſemioticem, a nobis deſiderat; nec medicinæ tam tironibus, quam viris exercitatis hæc deſtinentur; ſatius hæc, tamquam medicis clinicis univerſim notiora, omittimus, locoque magis apto ſervamus.

13) Non æque autem univerſim notum, quod in hoc morbo a ſudore ejusque indole præ reliquis ſigna ſtatus morbi fida repetantur. Notabile eſt, HIPPOCRATEM jam ad ſudores inprimis attendiſſe, non quidem ut illos extorqueret, ſed ut prædictiones inde formaret. Sed quemadmodum magnus hic medicinæ rationalis inſtaurator, etiam alios eosque præcipuos limpidosque prædictionis fontes in morbis acutis monſtraverat, (v. gr. inſpectionis linguæ & faucium,) quibus deinceps nihilo ſecius relictis, artis magiſtri *κροσκοπευντες* ſqualentes ſequi rivulos ſatius ducebant; ita etiam circa Sudores in doctrina ſignorum, ſive Semeiotice medica, nondum generatim medicinam facientium & facturorum uſibus commendata invenio, quæ, ſi bene ab HIPPOCRATE cœpta recte perficere libuiſſet, maximæ eſſe poterat utilitatis. Jam quidem inſtituti noſtri non eſt, hos ſemiotices defectus reſarcire, quum ſola tractatio de bonis vel malis ſudorum ſignis *a*) ab indole morbi, in quo fiunt, v. gr. quod cum ſudores nocturni in catarrhoſis, vertiginoſis & ophthalmicis, ſecundum HIPPOCRATEM *Coac. prænot*, 277. bona nuntient; tum in hecticis phthiſicisque peſſimæ notæ ſint; *b*) a ſtadio morbi, in quo eveniunt, repetendis; *c*) a genere eccriſium (ſive illæ automatice, ſive a medicamentis exhibitis evenerint,) quæ præceſſere, ubi v. g. in acutis, poſt dejectiones alvinas, vel vomitus, vel hæmorrhagias, ſudores, ſub juſto regimine, æqualiter, nec nimis parce fluere, bonum, & vice verſa; magnum ſibi in elaboratione ſpatium repoſcere videatur. Nihiloſecius quod præcipua artis medicæ magiſtra, experientia, edocti, ſcripſerimus, *fida vaſorum ruptorum coalitionis ſigna, in hæmoptoë non rectius ab indole ſputorum, quam a ſudoribus deſumi*; age paucis indicemus, quid his nobis velimus. Generatim itaque de ſudoribus notamus, illos bona portendere, ſi α) ſint calidi, β) a capite ad calcem ægroti æqualiter ſint diffuſi, γ) ſucceſſive, cum levi primo madore, ac dein confertius erumpentes, δ) non nimis aquoſi ſint & tenues, ſed conſiſtentiores tenaces ac viſcidi. In quam quidem rem Medicis clinicis, ex millecupla certe obſervatione noſtra, commendamus, ut inprimis ad hanc ſudoris viſciditatem

hoc eſt, non mage calido quam quieto, medicamenta antedicta exhibemus, donec omnia non tam debellatam & cedentem, quam penitus victam hæmoptoën demonſtrent.

G.) Venæ ſectionem, tamquam remedium e ſecundariis præcipuum, his adjungimus, pro re nata in brachio vel pede inſtituendam, niſi ſanguinis jam inſignem ægrotus jacturam fecerit, vel eamdem vehementer exhorreat. In utroque enim caſu hæmoptoën non ſolum nihil emolumenti, ſed damnum adeo

tatem attendant; raro enim certe, vel nunquam nos fefellit, ſi ſub hoc ſudoris charactere, & quando ille manum explorantem & per ſuperficiem corporis ægroti pergentem, viſciditate ſua quaſi moratur, id quod vix ac ne vix quidem latine adeo adpoſite quam quidem Saxoniæ inferioris idiomate reddas, (*wenn der Schweiß und die Haut ſo* ſtrueff *anzufühlen*,) bene cum ægrotis agi pronuntiavimus. Hæc etenim uti externe ſpasmum cutis, in compluribus morbis vigentem, ſolvi naturamque victricem craſſiores & morboſas ſanguinis & lymphæ particulas foras protrudere, produnt; ita eo ipſo internarum maxime ſenſibilium partium præternaturales tenſiones, ſeu fibram nimis tenſam ad juſtum tonum redire, indicant. Qui ſane motus tanti in medicina momenti, ipſa praxi medica (miniſtrantibus ipſi ſcientiis propædeuticis, anatome & phyſiologia) magiſtra, dudum nobis viſa eſt, ut materiam ſuggeſſerit conſignandarum in adverſariis noſtris primarum linearum, *Commentationis, de membranarum membranoſarumque humani corporis partium ſympathico in motibus morboſis, & ad hos motus, nexu, præcipuo quodam theoriæ tam, quam therapiæ medicæ fundamento.* De quo quidem argumento ad præſentem tractationem nihil hoc tempore accommodare e re videtur, quam quod mechanicam hæmoptoës, ſeu fiendi modum, bonam partem, (obſervatione magiſtra,) conſtituamus in ſpasmo cutis partiumque externarum, immo & venoſi generis, ſanguinem ab extremitatibus refluum non ſolum verſus interiora cogente, ſed etiam ſanguinem ad partes externas ablegandum, ægrius a corde dimittente, hincque fortiori niſu ad arteriam pulmonalem, parteſque vicinas, ablegante, & eo ipſo in debilioribus pulmonum vel ventriculi vaſis rupturas producente. Qui ſpasmus, prout vel viget, vel tantum remittit, vel intermittit, Hæmoptoë aut non, aut ex parte tantum, aut per intervalla ſolum, miteſcit. Deſinere vero vel victas manus dare hunc ſpasmum, ex nullo certius criterio, quam ex ſudoribus ejusmodi indolis, qualem antea deſcripſimus, iisque per plures dies continuos durantibus, colligitur.

adeo inde reportaturam certiſſimum. Et dubitari quidem cum ratione omnino poſſe videtur, ſi vel mediocriter ſaltem ſanguis in paroxysmo fluxerit, vel is plurium paroxysmorum ſucceſſiva exhauſtione deperditus ſit; majoresne ad cavendam hæmoptoën olim recidivam, quam ad curationem in paroxysmo, venæſectio ſit utilitatis? Et memini ſane olim, antequam methodum efficaciorem calleremus, in hæmorrhagiis narium enormioribus, æque ac hæmoptyſibus vehementioribus, aliquoties nobis uſu veniſſe, ut quum iterata Venæſectione, ligaturis, alioque adparatu iſchæmo, nihilo plus profectum eſſet, quam ut jamjam cum exiguis ſanguinis λειψάνοις animam redditurus videretur ægrotus, cucurbitulis aliquot cum ſcarificatione ad ſuras & pedes adplicatis, hæmorhagiam promte obtemperaſſe.

H.) Et hæc quidem eſt illa methodus, qua, etiam ante cognitum nobis Corticis ad hæc uſum, ægroto & miniſtrantibus rerum ſuarum ſatagentibus, non hæmoptoës ſolum, ſed & alias hæmorrhagias, v. c. uteri, narium, easque tam accidentales, quam habituales graviſſimas, Deo ſecundante non raro vicimus, præterquam quod ſymptomata magnopere curare neceſſum fuerit. Quodſi interim hoc non obſtante, in hæmoptyſibus tuſſes vehementiores, agrypniæ itidem, interdum negotium faceſſent, pro rei exigentia, Pilulas de Styrace cum opio, vel laudatiſſimum illud Sydenhami Laudanum (nunc ſolitarie, nunc pro aliorum indicationum ratione permixta,) interponimus, victum ægroti inprimis, prout vel incraſſare vel attenuare neceſſum videretur, morbo accommodare ſtudentes; præ reliquis vero omnibus, poſt coalitionem vaſorum, juſtamque ſuppuratorum expectorationem, id ſerio & ex arte agendo, ne languentes a gravi morbo pulmones deinceps pituitæ ex toto ſanguine confluæ receptaculum evadant. Quod uti olim amaricantibus cum divertentibus, ſordesque ad alias vias ableganti-

bus,

bus, potiſſimum peregimus; ita nunc, poſt juſtas repurgationes, Corticis potiſſimum confertiori exhibitione obtinemus. Quo quidem medicamento, aliquot inde ab annis generatim utimur, ubicumque fibræ a gravi morbo laxatæ roborationem, ſine aliarum in motibus anomaliarum concitatione, intendimus, jungendo, ſi ægroti conditio id ferat, vinorum rubellorum generoſiorum uſum medicum. Quæ tamen omnia tanto minori adparatu neceſſaria evadunt, quanto maturius pleniusque primis morbi periodis juſta medicatione, qualis hæc eſt, quam præſenti Schediasmate propoſuimus, fuit proſpectum.

I. Quemadmodum vero ſubdolum hæmoptoes habitualis ingenium, Medicum rerum ſuarum ſatagentem non de præſenti ſolum malo reddit ſollicitum, ſed futuri etiam reditus juſto metu exagitat; ita iſchæmorum antiphlogiſticorumque continuato aliquantiſper uſu, noſtros contra novos inſultus obfirmare allaborantes, minori Corticis pondere, quam antea, admixto, pondus curationi addimus, magiſtrum ad hanc rem, poſt propriam qualemcunque experientiam, MORTONUM ſequuti; graviter non minus, quam vere, *Phthiſiologiæ* lib. 3. cap. 5. *Cortice peruviano*, inquientem, *ad flammam febrilem penitus extinguendam, & ad reſerationem obſtructionum, quæ aliter novæ efferveſcentiæ anſam præbere poſſint, perficiendam, non tantum* palliativa in præſens, verum revera eradicativa etiam & perfecta curatio, ſine vel minimo hæmoptoes redituræ, vel phthiſeos ſubſecuturæ, periculo, obtineri ſolet. Flamma enim hoc modo perfecte extincta, ſanguis ad motum & craſin naturalem reducitur, quo adpetitus ſtatim redit, pulmones naturali motu & temperamento fruuntur, & purpurei penus diſpendia ſenſim reparantur, donec æger tandem, licet paulatim, priorem robuſtum ſtatum redintegratum, vel forſan meliorem, quam antea, conſequitur, ſine vel minimo caloris hectici gradu, vel ſubſecuturæ Phthiſeos metu.

DE

DE
MEDICAMENTO QUODAM AD PUERPERARUM FEBRES MALIMORIS

INPRIMIS SIC DICTAM PURPURATAM
SPECIFICO

EPISTOLA

AD

INCLYTUM SPECTABILEM AMPLISSIMUMQUE EXPERIENTISSIMORUM

MEDICORUM MOENO-FRANCOFURTENSIUM ORDINEM
SCRIPTA

A

JOANNE GERARDO WAGNER, D.
MEDICO LUBECENSI, ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA.

INCLYTO, SPECTABILI AMPLISSIMOQUE

MEDICORUM MOENO-FRANCOFURTENSIUM ORDINI

S. P. D.

JO. GERARD. WAGNER.



ondum forſan memoria *Vobis* excidit, *Viri Experientiſſimi Ampliſſimique*, inclytum Collegium *Veſtrum*, ante hos novendecim annos, pro curatione expedita & felici purpuræ puerperarum, recentioris tunc temporis apud cives *Veſtros* mali, conſilium ab Illuſtri Hoffmanno petiiſſe, (1) teſte epiſtola, publici juris a celebri hoc auctore facta. Quæ quidem epiſtola quemadmodum admirabilis cujusdam *Veſtræ* omnibusque votis expetendæ concordiæ medicæ, junctique pro incolumitate publica ſtudii *Veſtri*, publicum *Vobis* monumentum omni ære perennius erit; ita non potui, quin aliquot jam inde ab annis ad febrium malignarum curationem aliquam efficaciorem (2) animum

1) Conf. hujus poſt fata etiam celeberrimi auctoris *Medicinæ ration. ſyſtematicæ Tom. IV. Part. I. p. 222.*

2) Dabimus hujus inſtituti, & illius ſucceſſuum, rationes, Deo volente, in Opere pleniori, in quo elaborando aliquot jam inde ab annis, praxeos noſtræ, æque ac ſubſecivarum horarum, non minima pars occupatur, cui titulus circiter ſequens erit: *De natura & conſtitutione Febrium malignarum, inprimis exanthematicarum, indeque pendentibus indicationibus therapeuticis & methodo medendi tam generali, quam ſpeciali; Accedit horum morborum eorumque medendi methodorum Hiſtoria, ab antiquiſſimis inde artis monumentis ad recentiſſima usque, contexta.* Cujus quidem operis mentionem nullo alio conſilio hic facimus, quam ut ſimul indicemus, nos ibi illorum, quæ hic varie a nobis generaliſſime dicuntur, rationes penitus expeditas per caſus ſpeciales ita eſſe reddituros, ut plane pateat, nos ſuum veritati honorem indelibatum ſervaſſe.

mum adjiciens, inque illo curationis genere aliquos profectus (qui in puerperarum febribus male moratis atque purpuratis non minus feliciter, Deo benedicente, quam in reliquis successerant) faciens, crebrius *Vestri* in publicam salutem studii comminiscerer, atque interdum etiam de communicandis *Vobiscum* nostris qualibuscunque tentaminibus consilium inirem. Sed quum nimia instituti præcocitas, me ab initio deterreret, ne forte viris limatiora & experientia penitus perfecta desiderantibus cruditate experimentorum nauseam parerem; tum deinceps hujusmodi curatione ulterius perfecta concatenatis praxeos clinicæ laboribus consilium exequi aliquamdiu vetabar. Inprimis vero animo meo obversabatur, *Vos*, ab Illustri HOFFMANNO in responsoria, seu Consilio, varia ad hanc rem utiliter edoctos, ne quidem forsan amplius in curatione purpuræ puerperialis aliquid desiderare; vel interea temporis ulteriori unitæ experientiæ scrutinio talia his adinvenisse, ut nostrorum communicatione noctuas forte Athenas portare censeremur. Verum enim vero quum temporis ulteriori successu, & post varie, nec perfunctorie, ancipiti tamen haud raro, laboriosissimo certe successu, tentatas optimorum ad Artem magistrorum methodos, methodum hanc ulterius perfectam reliquis huc usque notis efficaciorem, & inprimis simplicem, curationisque ambagibus non indigentem, reperissem; præ cæteris autem domandæ febris malignitati sufficientem, naturæque salutariter moventis conamina incredibili felicitate (3) adjuvantem: non dubitavi institutum olim apud animum conceptum resumere, & Vobiscum medicamentum ad hanc rem nobis usitatum, nimirum Pulverem ali-

bb 2 quem

3) Arroganter, imo mendaciter, ne dicam portentose dictum prima fronte videri posset, nobis ne unicam quidem puerperam hac methodo tractatam periisse; nihilo secius fidem veritatemque omnem, & si quid Jove fidio sanctius, testamur, nos hoc ipso vera loqui.

quem mole parvum, insipidum prope atque inodorum, ejusque adhibendi methodum, eo animo communicare, ut nostra non solum experientia de rei veritate & successu constaret, sed illa irrefragabilibus *Vestræ* experientiæ calculis plane corroborata, in medici orbis scenam olim prodire valeret.

II. Duplex autem erit de hoc medicamento tractatio: altera nimirum de methodo præservandi purpuram, febremque malignam Pulvere nostro; altera de methodo curandi eamdem jam præsentem.

III. Ad præservatoriam itaque methodum quod attinet, si nimirum justus futuræ purpuræ, febrisque mali moris, metus (4) adsit, Pulveris nostri unam portionem tribus aquæ cujusdam

4) Justum futuræ febris malignæ & purpuratæ metum incutiunt sequentia circiter: a) Lochiorum vel plenaria suppressio, vel nimis parcus & solito minor, vel nimis raris intervallis succedens fluxus; b) secundinæ illegitima exclusio, dum nempe immatura & violenter protracta, vel etiam nimis facile & cum putredine jam contracta, in lucem prodit; c) si puerpera vel brevi ante partum, vel durante illo, vel etiam post illum, gravi quodam animi pathemate, inprimis vero terrore, vel ira, fuerit perculsa; d) si partus labores insoliti enormioresque fuerint, aut e) pro illis facilitandis, sive etiam lochiis post partum pellendis, aut alio quovis titulo, calida nimis medicamenta fuerint propinata; f) si proximis ante partum diebus, vel sub illo, vel post eumdem, alvo non excreverit puerpera; id quod inprimis periculum portendit, si semper, & toto inprimis graviditatis tempore, sub justo præsertim ciborum adpetitu, alvum segniorem experiantur; g) si cacochymicæ sint, & exanthematibus tam chronicis, quam acutis obnoxiæ; h) si spirituosa pitissare ament; i) si nimia ab initio puerperii serenitate usæ, nullis graviter vulneratarum legibus sese adstrinxerint. Quæ omnia quemadmodum justam futuræ purpuræ suspicionem pariunt, Medicoque futurorum malorum cauto prævisori prophylaxin injungunt; ita adhuc certius futuram purpuram, certe febrem

dam (5) destillatæ (v. gr. Melissæ, florum Sambuci, &c.) unciis permiscemus, vitrum probe deinceps agitando, dimidiamque hujus Mixti unciam levissime calefactam, tertia quavis vel quarta hora exhibemus.

IV. Quando vero sub rariori hujusmodi exhibitione unum alterumque diem continuata, signa purpuræ metum incutientia, scholio antecedenti quarto sub litt. a. b. &c. recensita, vel febricula etiam, caput nihilosecius extollant; diebus proxime sequentibus, omni trihorio, imo bihorio elapso, hæmunciam Mixti modo dicti exhibemus, idque pro re nata continuamus,

bb 3 donec

brem mali moris quodammodo jam præsentem arguunt, (præter signa febris malignæ notiora, pulsus & typi,) α) suspiriosa & solito gravior respiratio præcordiorumque angustiæ, constanter, licet cum aliqua varietate, infestantes; β) capitis temulentia, ejusque sub levi in lecto erectione vertiginosa tentatio, cumque hac oboriunda veluti nausea; γ) lipothymiæ, vel sponte, vel sub levi certe in lecto motu, aut confabulatione, infestantes, idque inprimis, si nulla alia sufficienti tanti languoris causa præcedente, sub culcitrarum nova instauratione, aut pelvi forte pro alvo exoneranda insidentes, statim animo delinquant; δ) si somno ciborumque adpetitu vel nullo adficiantur, vel utroque præsente inde non refocillentur, sed magis adhuc langueant; ε) si urinæ lixiviosi coloris mingantur: ζ) si sub his rubedines passim in cute nunc magis, nunc minus distinctæ, facileque rursus evanescentes, fiant, aut in superficie corporis rubor non naturalis & quasi per cuticulam transparens observetur.

5) Notari hic velim, in his aquis eligendis, palato ægroti, *levioribusque* Medici *intentionibus*, *modeste* indulgeri posse, sic ut e. gr. diarrhœa non infestante, syrupi cujusdam aciduli, aut papaveris rhœados &c. ℥ij. ad hoc Mixtum adjungi queant, vel Confectio alkermes incompleta &c. sive etiam Liquoris anodyni mineralis Hoffmanniani scrupulus dimidius. Quæ tamen omnia ita fieri velim, ut ne circuli Pulveris turbentur, vel bonorum effectuum rationes in leviuscula hæc additamenta conjici queant. Alias enim ex pura aqua communi destillata datus ex methodo idem præstabit Pulvis noster.

donec morbum penitus mitescere ex signis (6) sufficienter deprehendamus. Quo obtento, ut parta tueamur, ter solum per aliquot dies, hoc est, mane, pomeridie & versus noctem, hemunciam Mixti prophylactice exhibemus.

V. Quodsi ex nimis cito seposita medicina prophylactica, aut alia quacunque nova causa procatarctica, novi futuræ purpuræ insultus sese prodant, modo descriptam medicationem ad aliquot dies resumo, donec omnia signa morbi vacuitatem prodant.

VI. An sub his aluus vel rarius, vel crebrius fluat, (quatenus illud nimirum effectus Pulveris nostri solius est,) non magnopere curo, quod si vero alterutrum (7) justos excedat limi-

6) Morbum mitescere facile colligit Medicus doctus, si nimirum signa scholio antecedenti, sub litt. α, β, γ, δ, proposita, morbumque malignum prodentia, cessent; id quod ulterius adhuc patet, si urinæ lixiviosum mutent colorem, & vel crassiores sedimentumque deinceps deponentes, vel etiam naturalibus similiores evadant.

7) Quemadmodum alvi emolliendæ sufficiens signum est, si ad duo nychthemera non reddat; ita si bis vel ter forte, imo pluries laxetur, non statim illius compescendæ signum præbet, sed hic ad solam euphoriam respiciendum, adeo, ut, etiamsi exinde paulisper langueat ægrota, modo signa scholio quarto litt. α, β, γ, δ, proposita in meliorem semet frugem recipiant, hujusmodi diarrhœa non solum morbi radices altius insidentes, evelluntur, sed etiam lochiorum reliquiæ ut plurimum per suas vias expediuntur; adeo, ut non raro cum hujusmodi laxatione alvina, lochia antea penitus sufflaminata, denuo instaurata viderimus; id quod pluribus per exempla non pauca docebimus in opere supra scholio secundo commemorato. Quemadmodum vero omnis praxeos rationalis canon est, durante insigniori quodam motu salutari, naturam medicamentis non temere interpellandam esse; ita in hujusmodi etiam periodo satis esse potest, si quarta quavis, vel quinta hora elapsa, ℥ij. circiter vel tres Mixti nostri exhibeantur; vel

limites, vel enemate ex ſpeciebus pro Decocto emollienti, addita Saponis veneti conciſi una alterave hemuncia, aluum expediri curo, vel Unguentum ex Theriacæ Andromachi partibus ſex, & una vel duabus partibus Balſami Nuciſtæ, cum aliquot olei cujusdam ſtillatitii, v. gr. fœniculi, cumini, vel etiam cinamoni &c. guttulis, umbilico calide illiniri jubeo.

VII. Lochiorum fluxus major omnino in hoc negotio & medicatione ratio. Verum quemadmodum huic inſtaurando non ſolum ſi langueat, ſed adeo revocando, ſi penitus ceſſet, Pulverem noſtrum idoneum decies viciesque vidimus; ita ille hac inprimis virtute excellit, nobisque ſeſe probavit, quod quidquid purgamentorum in corpore reſtitet, ita ſubigat, ut venenoſa indole exutum, in deleterii exanthematis ſeminium amplius abire nequeat. (8)

VIII. Ut enim ſummatim nunc dicam, quod in opere adfecto, pluribus demonſtratum ibimus, morbi maligni in benignum, quantum ejus fieri poteſt, cita converſio, in hoc puerperarum morbo, æque ac in reliquis congeneribus, præcipuum ſemper manet curantis votum, curationisque primarius ſcopus, cui

vel ſi hac diarrhœa morbum bene judicatum eſſe pateat, potiuncula temperans ex terra foliata tartari cum conchis præparatis probe trita, addito Corticis Peruviani optimi & alcoholiſati uno vel altero ſcrupulo, ſive etiam tantillo Corticis Caſcarillæ, ex arte exhibeatur; diæta ſimul analeptica, (conf. infra Schol. 12.) viribus proſpiciente.

8) Non exiſtimetis, Viri experientiſſimi, me ſuavia hic Vobis inſomnia narrare; vel præconceptas quocunque nomine apud animum opiniones ſperataque vota, præcociter in publicum propellere. Ipſa facta, ipſosque experimenti ſucceſſus, non bis forte, vel ter, ſed decies viciesque viſos (apprime enim in his & hujusmodi cavere ſolemus, ne quid ἄτερ πείρας) exponimus.

cui Pulvis noſter inprimis, methodo vel modo interdum vix ſatis explicabili, (9) ſatisfacit.

IX. Quando autem purpuram miliarem, (ſive illa rubra ſit, ſive alba, ſive ex utraque mixta,) vere adeſſe ex ſuis ſignis (10) pateat, iterum unam Pulveris noſtri portionem, tribus aquæ cujusdam ſtillatitiæ unciis exceptam, cochleatim tam diu omni bihorio, imo ſi morbus jam adultior ſit, omni hora elapſa ad drachmas duas vel tres exhibemus, donec vel ſymptomata, inprimis præcordiorum anguſtiæ, illud malignarum ſignum pathognomonicum, notabiliter remittant, ſicque crebriorem exhibitionem non amplius indicent; vel ex confertiori forte exhibitione oriundæ nauſeæ, imo vomitus ægrotæ (11) crebriorem exhibitionem non amplius admittant, vel medica-

9) Vidimus nimirum tractavimusque puerperas, quibus (ſub alvo inprimis longo inde a tempore valde lenta, ciborumque adpetitu toto graviditatis tempore vigentiſſimo,) lochia deinceps prope nulla, certe numquam legitime, fluxerant, febre dein mali moris cum omnibus ſuis ſignis, imo & purpura infeſtante, quatuor hujusmodi pulveribus ex methodo quinque circiter dierum intervallo exhibitis, ſine ulla prope notabili criſi (niſi forte urinas ab initio lixivi coloris, dein per aliquot dies valde craſſas, criſeos loco habere velimus,) octiduo penitus reſtitutas, & nullo deinceps vel novo malo, imo ne languore quidem notabiliori, toto puerperii tempore infeſtatas.

10) Per ſigna hæc non mage exanthemata in cute conſpicienda, quam inprimis febrem illam mali moris, exanthemati junctam, intelligimus, (qua penitus abſente, exanthemata, utut miliaria ſint, periculum vix portendent, ex illis, quæ ſupra ſcholio 4. ſub litt. α, β, γ, δ, notavimus, cognoſcendam.

11) Non mirum, ſi aliquando in hujusmodi ægrorum diatheſi, a medicamento ad vomitus ciendos plane non compoſito, vomitiones oriantur, quum unanimi practicorum obſervatione in febribus mali moris utplurimum ad vomitus inclinent ægroti. Quo minus, ſi contigerit, Medi-

dicamentum artificiose contra nauseas mutare (de qua re in scholio 11.mo dictum,) suadeant.

X. Quodsi tunc sub exhibitione modo descripta per aliquot dies continuata, malignitas morbi subacta fuerit, (cujus status signa scholio sexto percensuimus,) pro novo morbi subdoli incremento cavendo bis tantum vel ter de die Mixti nostri hemunciam exhibemus, donec nullum amplius status puerperii præternaturalis indicium supersit, regimine deinceps prudenter analeptico, (12) vel

Medicus aut ægrotus inde sibi metuant. Id enim nullo non solum ægroti periculo, sed adeo salutariter ab initio fieri, testamur, quum plus vice simplici in magna purpuræ puerperialis malignitate, & indicationibus ita ferentibus, a vomitorio exhibito curationem exorsi fuerimus; cumque res nobis singulari successisset felicitate (id quod in opere nostro casibus quibusdam medicis notabilioribus describemus;) plura forsan circa hoc curationis genus experimenta instituissemus. Sed quod tantum non semper magnam a puerperarum agnatis contradictionem incurremus, & præterea metuendum fuisset, ne, nisi servassemus, occidisse hac methodo diceremur; de alio quodam medicationis efficaci genere serio cogitare cœpimus, fortuna institutum secundante. Quod si nunc semel forsan vel iterato a nostro medicamento vomuerint, sensibiliores animoque imbelliores crebrius inde, sola medicamenti aversione vel nausea semel concepta, vomenc, nisi stratagemate practico occurras, nimirum vt color & sapor medicamenti mutetur, vel si hoc non sufficiat, aquæ Cinnam, cydoniatæ ℥ß. circiter Mixto nostro adjungatur. Si vero nihilosecius inde vomant, naturæ automatico & salutari motu id contingere certum est, inque tali deinceps casu rarius, (hoc est omni solum trihorio, vel quadrihorio,) & hemunciam solum dimidiam, vel tres drachmas ad summum, pro dosi exhibemus.

12) Puta jusculis carnium, cibis sanis ac eupeptis, (de quibus NEUCRANZIO nemo quod sciam fusius doctiusque explicavit, peculiari de Diæta purpuræ capite, in egregio de Purpura libro edito,) nec non em-

 bammate

vel medicatione etiam, ſi ita videatur, virium inſtaurationi proſpiciente. (13)

XI. Non defuturos arbitror, *Viri Inclyti*, qui hoc loco etiam aliquid a nobis de cura exanthematis miliaris, ſeu methodi noſtræ ad illud habitu vel ratione, expectent ſeu deſiderent. Sed quemadmodum in Opere noſtro plenius dicetur, ilud exigua tantum ſui parte de eſſentia morbi eſſe, illoque ſolum ſpeciem febris mali moris a congeneribus notabili quodam charactere dignoſci; ita hoc loco paucis monemus, ecthymatibus hiſce (reliquis modo ex methodo & arte tractatis) ſatis jam fieri, ſi æquali ſemper temperatoque aëris ambientis & lecti (non vero æſtuoſo) calore tractetur puerpera. Febre ſiquidem ſeſe in meliorem frugem recipiente, ſeu juſtum ad ſanitatem ſtadium decurrente, exanthema etiam juſtam periodum decurret.

XII. Ceterum etiam in curationem purpuræ vel febris malignæ præſentis illa valent, quæ in præſervatoria methodo ſupra theſi ſexta diximus, circa alui laxationem tam juſto parciorem, quam æquo largiorem.

XIII.

bammate vini generoſioris, aut ejus una alterave uncia pro potu inter prandendum hauſta. Cujus ſi non ſit copia, cereviſia cum vitello ovi & pauca flavedine corticum citri bene cocta, pro euporiſto erit.

13) Medicatio hujusmodi analeptica duplici modo utilis, imo neceſſaria evadere poteſt, ſi nimirum a) ægrotis medicinam adhibeamus, qui ſe deſeri a medico, vel negligi exiſtiment, niſi medicamenta dentur; b) revera valde exhauſta & debilitata fuerit ægrota, adeo ut metus ſit, ne purpura ſic feliciter victa & ſanata, levi forte delicto in non naturalibus admiſſo, aut alia quavis præternaturali cauſa accedente, ægrotæ vita in diſcrimen adduci queat. In quam quidem rem & juſtam prophylaxin, Cortice peruviano electo & alcoholiſato, (vel ſolo, vel aliis medicamentis remixto,) nihil invenimus ſalutarius.

XIII. Nocturnam exhibitionem medicamentorum tametsi nunquam ultra horam decimam protrahamus; tamen si febre, vel morbo purpurato jam valde adulto demum accerseamur, sic, ut in mora periculum sit, & , (quod inprimis hic observandum,) prior morbi periodus catarrhalis nondum expiraverit , sic, ut in inflammatorium jam transierit, (14) methodum etiam de nocte inchoamus; morbo siquidem non cunctante & in tali casu nullam quietis nocturnæ recreationem admittente.

XIV. De ejusmodi vero casu procrastinatæ nimis justæ medicationis, & magis adhuc , ubi morbus intempestive & ἀτέχνως exhibitis medicamentis corruptus jam sit , tempusque efficacioris medicationis temere prætermissum, notari velim, nec salutem æque facile , ac si ab initio adhibita fuerit nostra methodus, sperari posse , nec æque facile tum, ac ab initio morbi, confertiorem medicamenti exhibitionem succedere , ventriculo siquidem tunc confertiorem medicamentorum, utut necessariam, exhibitionem , non æque impune ferente,

14) In Opere nostro pluribus, Deo volente, ex praxi clinica ostendetur, duplicem morborum malignorum esse periodum, nimirum a) catarrhalem, b) inflammatoriam; simulque docebitur, quod, cum hæc diversæ sit indolis (tum in se, tum qua medicamenta & curationis adminicula,) fieri non potuerit, quin, theoria medica de hac re silente, in praxi malignarum adeo contradictoriæ hypotheses & observationes (v. gr. circa commoventia, venæ sectionem, refrigerantia &c.) oriantur, quolibet ad praxin experientiamque, & vere quidem, provocante, sic, ut non tirones solum, sed ipsi adeo exercitatiores Medici inde in haud levem circa hujusmodi curationes fluctuationem conjiciantur, quas tamen, justa theoria æque ac therapia accedente, vix minus certas esse patebit, ac pleuritidum forte, seu aliorum non malignorum morborum.

rente, utpote qui ad ſtatum jam inflammatorium, qui non poteſt non vomituritionem habere pediſſequam, inclinet. Hoc itaque in caſu exhibitionis tempus mage protrahendum, doſisque minuenda, & ſi in lingua & pulſu inflammationis jam cœpta ſigna ſeſe prodant, ſanguis ex arte mittendus, clyſterque laxans, (niſi aluus jam ubertim reſpondeat,) injiciendus, ac deinceps medicamenta antiphlogiſtica ſelectiora alternatim cum noſtro omni bihorio exhibenda.

XV. Diximus paulo ante de nocturna exhibitione: ad quæ forte non immerito adjungimus nos obſervaſſe, exhibitum mane penitus jejuno ventriculo medicamentum noſtrum, æque ac aliud quodpiam, interdum grave fuiſſe; hincque vel juſculi avenacei aut hordeacei, vel carnium diluitioris, vel cereviſiæ calidioris, vel Coffee bonæ notæ unam alteramve unciam exhibitioni matutinæ præmiſiſſe, hocque facile caviſſe ne grave jejunis medicamentum evaderet.

XVI. De Diæta forte adhuc nonnulla adjungere neceſſarium. Et ad cibos quidem conſiſtentiores quod attinet, quum hi nec magnopere ab hujusmodi adpetantur, & in illos, etiamſi adpetantur, inprimis Hippocrati cumillud: *Ægrum corpus quo plus nutriveris, eo plus nocueris*, valeat; illis prætermiſſis de potu potius & ſorbilibus addimus & monemus, juſcula hordei, vel avenæ, butyro recenti pro grato ſapore condita, vel etiam juſcula carnis vitulinæ, vel pulli, gallinæ, aut caponis, optimum hujusmodi ægrotorum cibum eſſe, cui panem ſimilagineum bene coctum addant. Quod ſi vero in his major virium proſtrationis ratio, quam æſtus, habenda videatur, cereviſia cum vitello, cui ex arte cocta interponenda erit,

vel

vel etiam unum alterumve cochleare vini generosioris, inprimis Rhenani, aut intinctus panis similaginei bolus.

XVII. Quando his & hujusmodi observatis ægrotæ eo pervenirent, ut morbus plane in declinatione constitutus deprehendatur, omnique malignitate exutus, nihilosecius vero uno alterove nomine medicamenta desiderari videantur, ea facile ex notioribus praxeos rationalis titulis a Medico rerum suarum satagente surrogabuntur.

XVIII. His ita explicatis non male forsan scribendi finem facerem. Sed quod nonnullas adhuc circa argumentum epistolæ nostræ quæstiones ab instituto non alienas moveri posse intelligam; ante quam *Vos* dimittam, de illis pauca adnectere lubet. Ac primo quidem quæri posse intelligo: An hæc methodus nostra etiam ferat, ut exigente rei necessitate medicamenta alia interponantur? Respondemus, id omnino quidem licere, si modo illud a) non absque evidentiori necessitate; (15) b) ex arte (16) fiat. Inprimis

 autem

15) Sic symptomatibus urgentioribus, v. gr. vigiliis, ita occurrere studebit Medicus sagax doctusque, vt ne facile motibus ad salutem tendentibus & eccriticis vis inferatur, in levioribus autem meminerit, morbo primario sublato, vel emendato, facile etiam symptomata mitescere.

16) Necessaria sit hujusmodi medicamentorum adhibitio, si morbus alius gravis malignæ febri, quacunque demum ex causa, societur, morbusque oriatur complicatus: Sic in observationibus, seu historiis specialibus operis nostri, præter alia complicatorum adfectuum exempla, exhibebimus exemplum puerperæ cacochymicæ, proximis ante partum diebus

autem teneri velimus, nos, ſi quid horum diætetico regimine, vel topico quodam ſecuro, obtineri queat, id ſatius ducere, quam medicamenta adhibere. De hujusmodi vero caſibus notandum, prognoſin non æque expeditam ac in morbo purpurato ſimplici formandam, inſidiasque metuendas eſſe.

XIX. Porro adhuc quæri poſſe intelligo: An ab hac medicatione damnum etiam ægrotis ſubnaſci poſſit, ſi illa forte per errorem Medici, morbo cuidam, cui nos illam non deſtinavimus, ſeu convenire invenimus, adhibeatur? v. g. Febri cuidam continuæ non malignæ, vel purpuræ forte benignæ ſcorbuticæ? Reſpondemus iterum, talem Medici errorem nec in priori caſu ægrotæ obeſſe poſſe, nec in altero. Et in hoc quidem tanto minus ejusmodi error oberit, quanto certius eſt, utriusque purpuræ radices in viſceribus quærendas eſſe, iisque retundendis adcommodatum eſſe medicamentum noſtrum: quodque ſub purpuris puerperarum benignis malignarum ſeminia non raro deliteſcant.

XX.

diebus pleuritide exquiſitiſſima correptæ, cumque non poſſet non ſub hujusmodi ſtatu laborioſiſſime fœtum eniti, lochiis penitus ſubſiſtentibus, exinde paucis poſt diebus febris mali moris ſequitur, adeo, ut purpuram metuere omnia juberent; in hoc quidem caſu urgentiori pleuræ morbo ſingulis horis congrua adcommodabamus medicamenta, interponendo tamdiu omni trihorio vel quadrihorio Pulverem puerperarum ex methodo, donec reſtitutis lochiis ſigna febris male moratæ penitus evaneſcerent.

XX. Denique etiam hoc in quæſtionem venire poſſe videtur: An Pulvis noſter etiam tunc, ubi nullus plane morbus, nec ullum futuræ purpuræ ſeu febris purpuratæ ſignum adſit, eo nomine prodeſſe poſſit, ut eo certius deinceps a fatali hoc morbi genere liberæ permaneant puerperæ? Reſpondeo, ne hoc quidem nocere, ſed ex uſu eſſe poſſe. Tametſi enim plane cenſeam, naturam officio ſuo recte fungentem non temere interturbandam eſſe; tamen ſi ullum eorum, quæ ſupra ſcholio quarto ſub litt. a, b, c, d, e, f, g, h, diximus, adſit, vel Medicus etiam in ſignis purpuræ, tam certo, quam non, futuræ, ſe non ſatis verſatum ſciat, ſatius ducimus, tempore pacis de bello cogitare, quam poſt bellum demum machinas adferre, quum præſertim hujusmodi prophylaxis tribus ad ſummum præbiis, ſeu hemunciis Mixti noſtri, per aliquot dies mane, pomeridie & ſub veſperam exhibitis, peragi poſſit; & puerpera, ſi ſalva ſit, & hujusmodi forte prophylaxeos vere non indiga, exinde non magis adfici queat, quam ſi homini cuidam ſano lapidum cancrorum pulveriſatorum præbiolum per aliquot dies mane, pomeridie, & ſub noctem, devorandum exhibeas.

XXI. Quod ſi præter hæc & hujusmodi dubia alia quædam graviora *Vobis* adhuc oboriantur, *Viri Inclyti*, id me daturum operam polliceor, ut iis pro viribus, ac illo, quo hæc omnia publici juris facimus, candore, ſatisfiat. Unum adhuc a *Vobis* decenter peto, nimirum, ut ſi quid forſan in his ita ſcriptum inveniatis, ut illud *Veſtra* in Arte exercitatione inferius videri poſſet, id partim eo nomine ignoſcatis, quod nobis propoſitum fuerit omnem animi noſtri de hac re ſententiam, æque omnia, quæ ad medicamentum methodumque

perti

pertinerent, ita exponere, ut nihil deſiderari magnopere poſſit, partim, quod Epiſtolam hanc, ſeu methodum compendioſam curandi puerperarum febres mali moris, eo animo conſcripſerimus, ut eadem olim, & poſtquam *Veſtrum* ſubierit judicium, univerſaliori medicinam facientium uſui inſerviret. Ad quod quidem votum inſtitutumque noſtrum non majores facile acceſſiones fieri poterunt, quam ſi *Vobis* placuerit, me poſt inſtituta ex arte cum pulvere ad *Vos* miſſo, experimenta, de ſucceſſibus curationis certiorem facere, ſicque hanc in publicum commodum propoſitam methodum, ulterius perficere. Valete, *Viri Experientiſſimi*, meoque in Artem & *Vos* ſtudio favete. Dabam Lubecæ, nono Calendarum Decembris MDCCXLII.



MARIA-

MARIANI SEGUER,
VALENTINI,
MED. DOCT. ET IN PATRIA ACADEM.
PROF. PUBL. ET CENSORIS, NEC NON REG.
ACADEM. MADRIT. ET HISPALENSIS
SODALIS,

DECLARATIO UBERIOR QUOAD PRÆPARATIONEM PULVERIS AD JUSCULUM PULLI LIENTERIÆ SPECIFICUM PERTINENTIS, IN EPISTOLA AD MODERNUM ACADEMIÆ NOSTRÆ DN. PRÆSIDEM FACTA.

Non prorſus vanam irritamque fuiſſe ſpem noſtram, in *Appendice Voluminis VI. horum Actorum pag.* 96. & quidem in annotatione ad §. VII. egregiæ illius Schedulæ monitoriæ, de *Juſculo pulli Lienteriæ ſpecifico*, a celeberrimo Dn. D. SEGUER conſcriptæ, paucis ſaltem verbis expoſitam, demonſtrat nunc Epiſtola, humanitatis ſale undique conſperſa, ab Eodem doctiſſimo Auctore ad Illuſtr. Academiæ noſtræ Præſidem nuperrime ultro exarata, in qua, ingenuo ſuo candore ductus, genuinam deſcriptionem & præparationem *Trochiſcorum Ramich Meſuæ*, tunc temporis adhuc deſideratam, communicat, & ſimul alia quædam huc ſpectantia ſubjungit; unde etiam ipſam illam Epiſtolam Lectoribus noſtris integram exhibere nulli dubitavimus, certiſſima nitentes fiducia, iisdem illud omnino gratum acceptumque fore; experientiſſimo autem Dn. D. SEGUER nequaquam diſpliciturum eſſe. Eſt autem illa his concepta verbis:

EXCELLENTISSIMO

D. D. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERO,

ACADEMIÆ NAT. CUR. IN GERMANIA PRÆSIDI, COMITI PALATINO, CÆSARIS ARCHIATRO, ROMANI IMPERII NOBILI, FACULTATIS MEDICÆ ADSESSORI ET PROFESSORI EXIMIO, SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALI, NATURÆ CONSULTISSIMO,

VENERABILI PATRONO SUO

S. P. D.

MARIANUS SEGUER,

VALENTINUS ET IN PATRIA ACADEMIA M. D. PUBLICUS PROFESSOR ET CENSOR ACADEM. MADRIT. ET HISPALENSIS.



Esse in Academia Imperiali Naturæ Curiosorum, Excellentissime Præses, Viros sane quam eruditos, & in omnibus Medicinæ partibus versatissimos, quibus mihi omnino adsurgendum est & palma porrigenda, qui singulas observationes inspiciant, accuratissime le-

gant, & ex illis optima quæque, pulcherrima, ſcitu digniſſima, maxime arti medicæ neceſſaria, obviis & tritis rejectis, ſummo cum delectu, acerrimo judicio decerpant, & in Actis miro ordine dirigant, quis in Medicina adeo peregrinus & hoſpes, quin videat? Firmiſſimum profecto ſubſidium labentis memoriæ, mirabile compendium, & immortale beneficium! Quod Schedulam monitoriam, de Juſculo pulli Lienteriæ ſpecifico, ſcriptam ab homine Hiſpano, Patria Valentino, nondum de facie noto, cum clarorum Scriptorum monumentis, quæ Tibi, noſtræ ætatis Ariſtarcho, a ſapientiſſimis Academiæ Natur. Curioſ. Sodalibus ingenio perfecta, induſtria elaborata, exquiſita obſervatione polita quotidie offeruntur, cum Illuſtriſſimi Nominis Tui inſcriptione (dum eorum Auctores, ornari etiam labores ſuos dignitate tua, præſidioque defendi, verum graviſſimo ſapientiæ tuæ teſtimonio comprobari, & honorificentiſſima eloquentiæ voce commendari concupiſcunt,) permiſcendam volueris, equidem tantas Tibi grates rependo, quantas animi mei anguſtiæ capere poſſunt. Ita factum eſt, ut Schedam verecundantem, & inſolito amplitudinis Tuæ ſplendore obſtupefactam, propter ſingularem obſervantiam erga Academiam Nat. Cur. miſſam, meritis licet vacuam, ſed ut obſervantiæ erga Te atque reverentiæ plenam, ſic beneficiis magnanimitatis Tuæ

locu-

locupletatam, omnes aliqua cum existimatione adspiciant.

Jam ad ea, quæ *pag.* 96. *Tomi VI. Actorum in Appendice* desiderasti, aut potius imperasti, Venerande Præses, perlibenter respondeo, me illam Trochisc. Ramich Mesuæ descriptionem intelligere, quæ sub hoc titulo in Dispensatoriis occurrit, utpote ratione ingredientium, & indicationi præsuppositæ quam maxime convenientem. In præparando isto pulvere non juxta præscriptionem Pharmacopœjæ Augustanæ reformatam, quæ habetur apud MANGETUM *Bibl. Pharm. Tom. II. pag.* 1003. in qua coctio & insolatio omittuntur, neque juxta compositionem *Dispensatorii Regii Brandenburgici pag.* 256. Sed juxta præscriptionem MESUÆ paulo immutatam, & in Officina Valentini descriptam processi, quæ est hujusmodi.

Rec. Succ. Acetosæ ℥xvj. Rosarum ℥j. baccar. Myrt. ℥ij. semel ferveant Rosæ & baccæ Myrt. cum succo acetosæ. Hisce immisce Nucum Cupressi curiose tritarum ℥iij. coquantur iterum modice, & colentur, deinde pulverisa super illud foliorum Rosarum ℥j. Santali citrini ℥j. & ʒij. Gumm. arab. ℥iß. Carnis sumach, spodii ana ℥j. Succi Agrestæ, Succ. granor. Myrti tritorum tritu ultimo ℥iv. Ligni Aloës, Caryophyll. Macis, Nuc. Muscatæ ana ℥iv. misceantur omnia simul & extendantur in scutella

vitreata, quousque ſiccentur ſoli admota. Poſtea minutiſſime terantur & loco Caphuræ adde pulv. Roſarum q. ſ. & cum aqua Roſar. fiant Trochiſci.

Licet autem quavis trochiscorum præparatione adhibita, quæ parum ab illa MESUÆ diſtet, exoptatos effectus Juſculi pulli ſpectari poſſe autumem; tamen cum præparatio laudata multiplici confirmata ſit felici experimento, hæc ipſis cæteris merito præferenda erit. Quamquam ergo decoctum Pulli ſit virtutis non contemnendæ in Dyſenteria & Cholera morbo, juxta obſervationem Anglorum Medicinæ ſapientis SYDENHAMII *de Cholera morbo pag.* 107. *de Dyſenteria* 114. *edit. Genev. in* 4. præeunte magno HIPPOCRATE apud SPONIUM *Aph. Nov. ſent.* 76. tamen in Lienteria addito pulvere efficaciam pandit. In ejusdem remedii commendationem placet adducere, quæ *D. Aurelius Franciscus* GINANNESCHI, Medicus Romanus reſcripſit: *Gratias tibi ago, Vir præclariſſime, perquam maximas, quod Schedulam Monitoriam & Lienteriæ ſpecifico doctiſſimo calamo per te exaratam, noſtroque præſtantiſſimo Præceptori D. D. Alexandro* PASCOLI *inſcriptam, mihi miſeris, & quod pulverem indicaveris, trochiſcos nempe de Ramich a Meſue jam pridem conditos, quorum virtutem in curanda Lienteria compoſitio ſatis ſuperque demonſtrat. Hisce in caſibus mirificas lactis cum potione Caffe, ex baccis Juniperi toſtis*

& in

& in pulverem redactis parata, exhibiti vires observavit praestantissimus idem noster Alexander PASCOLI, *cujus nomine maximas, & habeo, & refero grates pro tui in eum amoris & obsequii argumento in praedicta Monitoria Schedula typis edita, eique dicata affatim declarato.* Hucusque Vir clarissimus, jussu perillustris *Alexandri* PASCOLI, datis Romae, Idibus Martii 1741.

Interim ad ea, quae §. VI. Schedae scripsi: *haec a nobis aliquatenus aucta juxta Stahlii praxin, decoctum Pulli constituit adimplens mentem* HIPPOCRATIS 6. *aphor. Sent.* 1. *& lib.* 2. *epidem. Sect.* 2. *Sent.* 22. *&c.* Respondeo, me nunquam necessum habuisse augere pulveris efficaciam, quod facile potuissem, & quidem juxta STAHLII praxin, vel addito nitro, vel extracto Cascarillae aquoso aliisque. Cum ego casu in trochiscos de Ramich pro Jusculi Pulli praeparatione incidissem, ejusque effectus laudabiles in curatione Lienteriae observassem, ab amico accepi id traditum fuisse a *Ludovico* COLLADO, Professore Valentino, Medico sine controversia clarissimo, quod falsum esse ipse postmodum adseveravit; hinc Jusculi Pulli compositio cum pulv. Trochisc. Ramich COLLADUM non habet Auctorem, & licet aliae descriptiones circumferantur Jusculi Pulli, utantur ne pulvere descripto nec ne, nondum hariolari

possum,

possum. Tandem Deum opt. max. quantum potero, & quamdiu vivam supplex deprecabor, ut Te, singulare & rarissimum omnium expetendarum admirabiliumque medicarum rerum exemplar, in hac vita, quam plurimos annos, integra semper & firma salubritate retineat. Vale. Valentiæ Edetanorum in Hispania, die 23. Octobris 1743.



HISTO-

HISTORIA
MORBI MORTIS
ET
DEHINC FACTÆ
SECTIONIS
SERENISSIMI CUJUSDAM PRINCIPIS SUBITO EXTINCTI

EO QUO DECET

ANIMI CANDORE

EXPOSITA

ET

ADNOTATIONIBUS QUIBUSDAM

ILLUSTRATA.



Rinceps quidam Serenissimus, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, hanc in lucem editus, staturæ erat mediocris, habitus corporis carnosi firmioris satisque robusti, cujus sanguini natura ita bilem miscuerat, ut constitutione gauderet Principe haud indigna, temperamento nimirum, ut vulgo dicunt, sanguineo-cholerico. Accidit huic anno MDCC. ut post infelicem ex equo lapsum, (a) dolores sentiret in sinistra lumborum regione vehementissimos, quibus paulo post varia a renibus, itemque a sanguine exitum per anum tentante, provenientia symptomata jungebantur. Callidissimi Medicorum in consilium adhibiti, malum istud pro adfectu habuerunt complicato, & quidem nephritico-hæmorrhoidali. Ex ea, quæ anno MDCCXXXIV. ipsum invaserat, vi morbi, ille, cui cura sanitatis Principis hujus a teneris erat credita, in opinionem adducebatur, abscessus interius forte prognascentis rupturamque molientis periculum esse pertimescendum. (b) Hæc conjectura ita singulorum aulicorum animos offendit, ut cum jam melius se haberet, alii cuidam, hæmorrhoides pro Diana colenti, cura salutis mandaretur, sub qua etiam meliori in dies valetudine Princeps ab initio utebatur, unde quo magis ea florere cœpit, eo major etiam erat utilitatis

a) Lernam hunc lapsum fuisse malorum, quibus noster per multos subsequentes annos conflictatus est, quis ambigit? *Equi enim ne Principibus quidem adulari sciunt.* RAMAZZINI de tuenda Princip. valetud. cap. XVII.

b) Hoc prognosticon confirmant *Stalpart van der* WIEL *Cent. I. obs.* 59. MEIBOMIUS *de abscess. artic. IX. p.* 76. RIVERIUS *in Prax. med. Lib. XIV. c.* 3. *p.* 357. *Ephemer. Nat. Cur. Dec. II. Ann. III. obs.* 139. *Vol. V. obs.* 135. & *Exc.* HALLER *in praelect. Boerhav. Vol. III. pag.* 202.

litatis hæmorrhoidum jactatio. (c) Valuit hoc judicium ad annum usque quadragesimum hujus seculi, quo præter omnem opinionem evenit, (d) ut pristinus corporis animique vigor deficeret. Ex solo etiam adspectu quilibet, gravissimum valetudinis periculum imminere, facile cognovit. Modo reipublicæ gerendæ onera, quæ sustinuerit graviora, modo animi dolores, quos varii funesti casus commoverint, desideratissimusque hac ratione impeditus sanguinis hæmorrhoidalis fluxus, modo magnus ille decretorius annus, in causa esse, non videbantur, sed dicebantur. Dum multi & frequentes in hoc erant, de tollendo imminente malo altum erat silentium. Undecimo Cal. Januar. dicti anni, nocturno tempore repente vehementiori spirandi difficultate, quæ pro asthmate convulsivo habebatur, (e) Princeps cœpit angi. Simile quid iterum occurrebat d. III. Iduum Jan. anno sequente quadragesimo primo, tertiumque d. V. Cal. Martii, & quidem tanta cum vehementia, ut tristissimum omnes eventum metuerent. Acerbissimi hujus adfectus impetus ternis istis vicibus media semper nocte observatus est, non sine multo rubore oris, vomituque tandem desiit. Medicamenta, quæ exhibebantur, frustranea erant omnia. Quare, quod multis annis intermissum fuerat, venam d. X. Cal. April. in dextro pede incidi, constitutum est. Neque vero

c) HIPPOCRATIS effatum *Sect. VI. aph. XI.* hæmorrhoides huic morbo supervenientes, bonas esse, eo interpretari velle, ac si totius curationis cardo in iis vertatur, absurdius nihil est.

d) Opportunum hic sane locum invenisset saluberrimum a LANCISIO *de mort. subit. Lib. I. cap.* 22. §. 3. consilium datum.

e) Animum ad veritatem referens si consideret, quanta fuerit similitudo, quæ huic morbo cum asthmate, *spasmodico-flatulentum* quod dicitur, intercessit, medendi rationem, qua RANZOVIUS usus est, (vid. ETTMULLERI *præf. ad Ramazzini l. c. pag.* 25. *seq.*) minus tutum & fallax illud remedium, Scillam puto, longissime superare, facile perspiciet.

ro hoc obſtitit, quo minus d. VIII. Cal. Apr. denuo rediret hoſtis ſalutis, vi quidem majori, quam ante. Ad unum fere omnes magnopere hoc movit, rurſusque, quid faciendum ſit, deliberatum iverunt. In id ergo cum intenti eſſent, accidit, ut d. IV. Idus Maji, homini cuidam militiæ cauſa, conveniendi locum dederit, paucis ante diebus a febre maligna, quæ tum ſæviit, reſtituto, multa de morbo ſuo in aures Principis ſuſurranti. Mox inſequente die male adfectus videtur, auditis hiſce, animus, quod vero ſub hæmorrhoidum prætextu parvi factum eſt. Sed ecce! Idus Maji aderant, aderatque ſimul vehementiſſimus febris æſtus. De curatione æque minus compertum habemus, ac de ipſa morbi indole. Die XII. Cal. Junii jam recuperatæ valetudinis fama ſpargitur; ad VI. Non. Julii ſupplicatio Deo pro ſingulari hocce beneficio decernitur. Omnes ac ſinguli de jactata hacce valetudinis reſtitutione erant læti, nunc quaſi feliciter transacto formidoloſo temporis ſpatio. Die VIII. Cal. Aug. ad venationem, quæ animi relaxandi cauſa parata erat, proficiſcitur. Veſperi, ridente fortuna, celerrimo itinere inde rediit. At, quæ eſt rerum humanarum inconſtantia, proximi diei ſummo mane, fama, qua nulla triſtior, de ſubitanea morte Domini civibus, eheu! erepti, percrebuit. Jam narratur publice, præcedente die defunctum ex Selteranis aquis (f) curationem facere cœpiſſe: cujus initio quatuor pondi lagena

f) Quo jure Excell. ALBERTI fontes medicatos, *quatuor noviſſimis medicis* in diſſertatione de hoc argumento habita, adſcripſerit, inquirendi hic locus non eſt. Qui vero in præceptum a CLAUDINO *de ingreſſ. ad infirm. p.* 376. datum: *Sciendum eſt in genere, omnes aquas medicatas, ſive calidæ ſint, ſive frigidæ, prohiberi a virium languore &c.* inquirere vult, conſentientes inveniet *Henr. ab* HEER, in *obſ.* I. LANCISIUM *l. c. cap.* XI. §. 16. *Hiſtor. morb. Wratislavienſ. Ann.* 1702. *pag.* 24. SEIPIUM *de acidul. Pyrmont. cap.* VIII. STAHLIUM *in not. ad Harv. pag.* 69. *ſeqq.* & HOFFMANNUM *in Med. Syſt. T. IV. P. IV. c. I. pag.* 12. & 21.

gena data sit, quam ille, ut ex hypogeo frigida solet esse, stans hauserit, continua quidem tabaci nobilissimi, quod Canaster vocant, fumigatione interveniente. Hanc etsi aquarum multitudinem illico stomachi nausea, variæque capitis molestiæ exciperent, tamen nihil quidquam mali inde suspicatus est quisquam. Cæterum hæc præcipue observatu digna videntur:

I.) Itum est ad venatum statim a prandio, post iniquam animi perturbationem domesticam. (g)

II.) In discessu & regressu interque venandum torpor plane insuetus ipsum incessit: nihilominus intra paucas horas plus centies ipse in feras tela conjecisse fertur. (h)

III.) Lassitudo ex reditu, vesperi octava circiter hora, adhuc inhærens, pro salutari motus effectu habetur. Sic exhaustis aliquot aquæ poculis, sumtoque pulvere antispasmodico, hora decima incœnatus in lectum se contulit. Somnus, qui celeriter eum obruit, ad quadrantem post duodecimam horam duravit. Tum surgens alvum excernit & urinam, statimque sine omni querela, in lectum rursus se recipit. Post horam pri-

g) Catarrhum suffocativum ex vehementiori corporis & animi motu *Timæus a* GüLDENKLEE *in Lib. I. cas. XIX.* & HARDERUS *in Apiar. obs.* 36. mortem subitam ex nimio iræ impetu recensent, neque quantum nudæ iracundiæ, ad resuscitandas asthmaticas invasiones, tribuerit STAHLIUS *l. c. pag.* 275. obscurum est. Cur vero animi adfectus in iis, qui supra cæteros sunt constituti, plus virium habeant, quam in aliis, egregie docet. RAMAZZINI *l. c. cap. IX. pag.* 86.

h) Quantitatem pulveris pyrii, intra hoc breve temporis spatium accensi, quilibet conjectura facile adsequi potest. Quodsi vero ejusdem fumus sulphureus inimicus est pulmonibus robustioribus, vid. RAMAZZINI *de morb. artif. cap. IX.* quid ergo de debilioribus sentiamus? Catarrhum suffocativum in muliere, ex fumorum sulphureorum elevatione, sub assatione alaudarum, genitum, observavit ETTMULLER in *Epit. Colleg. pract. Sect. III. IV. p.* 456.

mam in lectum sibi dari matulam jussit, genubusque nixus multum urinæ iterum reddidit. Quo facto illico spiritus angustias queritur. Pulverem requirit, Medicum desiderat, quam celerrime ad utrumque cursitant. Jamjam adeo spirandi difficultas invaluit, ut neglecto pulvere, lecto prosiliens per cubiculum a duobus ministris hinc inde agitaretur, faciem interim obducente colore subfusco. Ex ore & naribus multum spumæ dein prodiit, (i) ac difficiliorem magis magisque traxit spiritum, nec amplius erectus teneri potuit. Necessitate ita urgente, ex arena cubicularius id consilii capit, ut, dum Medicus nondum aderat, dextro in pede venam incideret, ex qua licet satis impetuose erumperet sanguis, nihil tamen levaminis moribundo adfertur. Hoc modo sex circiter unius horæ momentis ducta est ultima linea rerum. (k) Inopinatus ut hic casus, sic tanti erat, qui incisionem exanimati corporis necessariam suaderet. (l) Quare lugubre hoc negotium post meridiem legitime peragitur, ex quo præcipua quæque, ipse quæ meis oculis & manibus deprehendi, fideliter refero :

1.) Faciei dextroque pedi hærebat pallor, reliquæ partes livorem, seu sanguinem ostendebant intercutem. Narrabat cubicularius, qui fato interfuit, subfuscum oris ruborem, unacum vita evanescentem exinde migrasse deorsum. (m)

2.) In

i) Spumæ hujus originem & an suffocationis certum præbeat signum, uberrime explicat SCHURIG. *in Sialol. cap. VII. qu. III.* §. 1. 2. & 15.

k) Quis est, cui hoc *terribile moriendi compendium*, ut verbis LANCISII *l. c. cap. IV.* §. 1. utar, horrorem non incutiat?

l) *Esset optandum, ut, quibus copia est morborum denatorum sectionem instituendi, etiam scirent, quid quærere præcipue deberent &c.* STAHLIUS *in Diss. de Vena portæ pag.* 29.

m) Pallidus faciei color, mortuis quare proprius, explicatu æque difficile est, ac cur rubicundus in quibusdam remaneat. Quod autem livor dex-

2.) In pectore & infimo ventre ad dimidium unciæ pinguedo eminet.

3.) Abdominis viscera, ventriculus, omentum, hepar, lien, pancreas, intestina, & mesenterium, ut dicuntur, recte se habent.

4.) Ex superiore parte dextri renis tumor prodiit, magnitudinem nucis myristicæ referens, cui inhærebat materia instar meliceridis, inveterata. Cæterum nil præternaturale.

5.) Sinistrum renem, qui prægrandis erat, non nisi vesica quædam, urina aquosa repleta, constituebat, cuius membrana erat densior, interius septem cavitatibus, seu cellulis, conspicua: pars tamen aliqua hujus visceris, magnitudine dimidio ovo gallinaceo similis, ex carne renibus propria adhuc constabat. (n) Pelues & ureteres utriusque renis, ipsaque vesica urina-

dextrum pedem intactum reliquerit, hoc venæ sectioni si tribuo, annuentes video GARMANNUM de *Mirac. mort. Lib. II. Tit. I.* §. 38. & KLAUNIGIUM *in Nosoc. charit. obs.* 13. *pag.* 54. *seq.* De sanguinea corporis suffusione, tres apoplexiæ insultus secuta, mirum refert exemplum WEPFERUS in *Hist. apoplect. pag. m.* 456. Ne vero ii, quibus de hujus generis maculis judicium ferendum est, colori nimium credentes, decipiantur, cautio est LANCISII *l. c. obs.* 1. *pag.* 130.

n) Renum hoc vitium, neque calculo, neque internis causis aliis, sed externis, sub quibus lapsum illum infaustum, vehementioresque, quibus creberrime indultum est, equitationes inprimis intelligo, adscribendum esse, digitis quasi monstrant SENNERTUS *in Prax. med. Lib. III. P. VII. Sect. II. cap. VIII. pag.* 818. & *c. IX. pag.* 824. MEIBOMIUS *l. c. pag.* 75. HOFFMANNUS *in Med. Syst. P. I. Sect. II. c. VIII.* §. 6. De consumta renum carne, ex aliorum scriptis haud exiguum collegerunt numerum BONETUS *in Sepulchr. anat. Lib. III. Sect. XXII. obs.* 3. *seqq.* & KELLNERUS in *Synops. Ephemer. Nat. Cur. pag.* 1022. *seqq.* Rariora autem quare inveniantur exempla, huic nostro respondentia, eos non fugit, qui quam arduum sit, renum abscessus sanare, norunt. Historias

urinaria, quæ non exiguam quantitatem urinæ adhuc continebat, nullum vitium monſtrabant.

6.) Craſſities & amplitudo inteſtini recti, (o) nec non meſenterii vaſa, circumſtantium oculis objecta, hæmorrhoidum patronos propemodum in opinione ſua confirmaſſent, niſi alii, ex crebriori obſervatione anatomica, de contraria ſententia certiores fuiſſent. (p)

7.) Pulmones in thorace, a ſanguine ſtagnante magis diſtenſi, fulvo colore undique perfuſi adparebant. Facta inciſione in forma ſpumæ prodibat humor pituitoſus & ſubalbidus; de reliquo naturaliter erant conſtituti. (q)

8.) Cor

Hiſtorias autem noſtræ proxime ſimiles conſignarunt BLASIUS in *Obſ. med. IV. pag.* 51. HARDERUS in *Apiar. obſ.* 76. & 77. *Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. obſ.* 22. *Cent. IX. & X. obſ.* 4. *pag.* 11. & *obſ.* 64. *p.* 50. Supereſt, ut a limine tantum ſalutem, quæ de rene ſiniſtro calculis aliisque adfectibus præ dextro ſuſcipiendis idoneo, ſentiunt STAHLIUS *in Theor. med. p.* 1124. & Tr. *de Hæmorrh. pag.* 54. HOFFMANNUS in *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. pag.* 465. & *Part. II. pag.* 363. Quibus addo, me inter frequentes de renum defectu aliorum obſervationes, vix vnam atque alteram deprehendiſſe, ubi ſiniſter defuit. Generationi an renes inſerviant, diſceptatur in *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. obſ.* 97. *Cent. I. & II. obſ.* 168. & Exc. HALLERI *Prælect. Vol. III. pag.* 255.

o) Amplitudinem inteſtino recto a natura largitam αὐτοψίᾳ anatomica deſtitutis, impertit GARENGEOT *in Splanchnol. Cap. IX.* §. 40 *p. m.* 178.

p) Vaſa meſenterii ſanguifera in conſpectum prodiiſſe, miramur? Conferamus, quæ ſolertiores viſcerum ſcrutatores in iis invenerunt, qui hæmorrhoidum fluxui fuerunt obnoxii. Vid. *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. obſ.* 43. *pag.* 134. ALBERTI *Tr. de Hæmorrh. P.* I. *pag.* 401. & FRITSCHII *Tract. de Pilul. Becher. in Epiſtola præmiſſa.* Jam de inani, quo nos hæmorrhoides proſecuti ſumus cultu, ut non mirandi, ſed demirandi latiſſimus ſe aperiat campus, valde vereor. Sed ſors domina campi eſt.

q) Vera licet ſint, quæ ſcribit BARTHOLINUS *in Diatr. de pulmon. pag.* 27. *Plerum-*

8.) Cor erat satis magnum, ejusque ventriculus sinister vacuus deprehendebatur, dexter vero capiebat adhuc aliquid subnigri sanguinis. Pericardium quoque cum liquore suo in naturali statu adparebat.

9.) Ambæ pectoris cavitates continebant liquorem subrubicundum, dextra quidem unciarum fere trium, sinistra, dimidio fere minus.

10.) Capitis inspectio sequentia aperiebat: In medio ossis frontis, & quidem in interiore & inferiore parte, occurrebant duæ cavitates confines, ad instar avellanæ, per laminam interiorem ad diploën & exteriorem penetrantes, (r) quibus duræ meningis protuberantiæ erant adnatæ.

11.) Cere-

Plerumque pulmones onerantur sanguine in moribundis & in subito extinctis, ex irruente in pulmones sanguine ibique restitante, ob motum circularem cessantem &c. Hæc tamen ne sic quidem præteriri debent, quasi nullam controversiam admittant. Quodsi enim veritatem, sine ambitione, scrutamur, longe alia, teste experientia, pulmonum est ratio in strangulatis (vid. HARVÆI *Exerc. de motu cord. III. pag.* 251. & *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VIII. obs.* 32.) aliisque spirandi difficultate necatis. (vid. J. M. HOFFMANNI *Disquis. de C. H. anat. pathol. pag.* 183. & 193; it. *Frid.* HOFFMANNI *Med. Syst. Tom. IV. P. III. pag.* 319. & 321.) Est itaque hac in re paulo subtilior observatio, ne veritati repugnetur, adhibenda. Salva tamen hujus argumenti manet fides, iis si accedimus, qui primam hujus in pulmonibus labis paralyticæ pulmonum debilitati adscribunt. Vid. LANCISIUS *l. c. Lib. I. C. XVIII. pag.* 55. & *Hist. morb. Vratisl.* 1721. *pag.* 305.

r) Quæ de foramine in syncipitis osse reperto, explicat LANCISIUS *l. c. obs. I. pag.* 131. & 135. hic notari merentur.

11. Cerebri & amplitudo, & naturalis color, visu erant admirabiles. Intra meninges, & quidem subter ossa bregmatis & occipitis, uncia fere erat aquosi liquoris, qualem, etsi aliquanto rariorem & paululum gelatinosum, anfractus etiam cerebri, dextri hemisphærii & cerebellum continebant. (s) Reliqua bene se habebant omnia.

12.) Turcica sella, ut audit, in basi cranii, exhibet duos ita dictos processus sellulares posticos, instar acuum subtiliter acutos & anterius incurvos, meningibus tamen super impositis rite constitutis.

13.) Denique nec id prætereundum, spinam dorsi, litteræ S. similem fuisse transversam, cujus os coccygis exterius reclinatum, format pelvim aliquantum patulam.

Finem sectionis Medicorum dissensus, de causa mortis, excipiebat: aliis apoplexiæ serosæ; aliis catarrho suffocativo eam tribuentibus. Utrum vero hujus, an illius sententiæ fautores voti, quo Paulini quondam *excessum momentaneum Principis Saxo-Isenac.*

s) Humores intra cranium repertos, ab iis, quos morbus protulit, & qui morbum protulerunt, qui non distinguit, miscet quadrata rotundis. Huic itaque satisfaciendi cui animus est, ille varia omnino sedulo rimari & indagare debet, humoris scilicet non qualitatem solum, ac quantitatem, sed & læsiones, morbique rationem. Ne vero variæ, quas varii de Apoplexia serosa narraverunt historiæ, me aliosque ab hac sententia deterreant, ponderemus, quæ de eodem adfectu docent WEPFERUS in *Hist. apoplect.* pag. 160 *seqq.* LANCISIUS *l. c. cap. VII.* §. 3. & *obs.* 4. KLAUNIG *l. c. obs.* 13. p. 56 *seq.* *Acta Med. Berol.* Dec. I. *Vol. VIII.* pag. 34. *seq.* Excell. SCHAARSCHMIDT *in Relat. Med. Berol. anno* 1738. pag. 301. *seqq.* & Excell. HALLER *l. c. Vol. IV.* pag. 529. *seq.*

Isenac. Joh. Georgii I. conjecturaliter delineatum, clausit, facti sint compotes, nunc judicent alii. Summa istius voti hæc est: *Utinam! & ô utinam cadaver optimi Principis curiosius examinare licuisset, reperissemus utique, quod aureos meruisset asteriscos & cana æternitate dignos.* Argumenta Catarrho suffocativo faventia WEDELIUS in Diss. de eodem hoc morbo jam Ann. 1681. habita, pag. 16. profert: *Quotquot*, inquit, *hoc morbo conflictati vitam cum morte commutarunt, post obitum dissecti, sanguine fixo & grumoso vasa distenta magis, quam par erat, aut in aliis cadaveribus solet, exhibuerunt. Ex quibus* firmiter *concludi potest, ab hoc infarctu sanguineo, fato immaturo functos, suffocatos fuisse &c.* Accedit HEUCHERUS *in Dissertat. de erroribus circa causas mortis subitæ*, Wittebergæ 1713. edita, §. 14. his verbis: *Sigillatim hi catarrho suffocati censendi sunt, quibus serum, seu lympha sanguinis, quacunque de causa vitiata, copiosius respirationis organa occupat, & in bronchiis vesiculisque pulmonum pertinacissime restagnat. &c.* Uberiorem vero adhuc probationem si quis desiderat, ille perpendat saluos in nostro ad extremum usque halitum, sensus & motus voluntarios, unacum loquela, quibus, tamquam certissimis catarrhum suffocativum ab apoplexia distinguentibus signis, Medici adsensum præbent omnes, vid. WEDELIUS *l. c. pag.* 27. *Hist. morb. Wratisl.* 1701. *pag.* 305. & 1702. *pag.* 16. *VATER in Diss. de mortis subit. non vulgaris causis thes.* 18.

Unicum idque palmarium argumentum, quo apoplexiam tuentes utuntur, humor est intra cerebri membranas repertus. Adsentiri huic qui vult adsentiatur. Dissentit celeberrimus STAHLIUS in *Notis ad Harv. artem cur. expect. cap. XXXII. pag.* 277. de eodem hoc argumento graviter profecto ita præcipiens: *Inspectio capitis, apoplexia serosa mortuorum, jam pridem suspecta est*

circumspectioribus: num in illis inventa, & sæpe non æque copiosa, extravasatæ lymphæ quantitas pro causa talis eventus constitui possit: & non potius pro effectu demum deficientis reditus humorum per sua vasa respici mereatur. Tanto magis cum sæpe monstrosi hydrocephali infantum, nihil apoplectici aut paralytici, ita facile post se trahant.

STAHLIUM dum nomino, consilii ab eodem anno 1730. pro tuenda Principis nostri valetudine conscripti, mentem subit recordatio, quod coronidis loco litteris, non lingua, mutatis, adponere libet.

* * *   * * *   * * *

Die ausführlich ertheilte Nachricht von des Durchlauchtigsten Herrn Patienten Leibes-Constitution und nachmaligen Beschwerungen, zeigen deutlich, dass der Grund aller andern Beschwerden, vornemlich sind: Wie die wohlerwogene Pathologie von dem Zusammenhang dergleichen umziehenden Stämmungen, oder gemein genannten Regurgitationibus, genugsam anweiset: Hauptsächlich aber, wie vielmehr offtmahl auf unordentliche Motus derer Humorum, als auf deren besondere Crasin oder Dyscrasiam zu gedencken stehe. Welches um so vielmehr Betrachtung erfordert, wenn allbereit eine merckliche Gewohnheit eingeschlichen, welche wenig mehr auf Portionem justam materiarum & motuum sich beziehet, sondern hastig auf die Motus fället, und Unruhe machet. Wie zuförderst in Moralibus mehr als zu gut bekannt ist. Da nun in gegenwärtigem Casu so gar einer hæreditariæ dispositionis nephriticæ Erwehnung geschiehet, so ist die Betrachtung desto mehr fundirt, und also dahin zu dencken, wie dergleichen Regungen mit aller Bescheidenheit, theils præoccupando begegnet werden könne; theils aber ihre Ansätze nicht sowohl gedämpffet und zurück getrieben werden (woraus anderweiten noch sorgliche-

chere

chere Translationes erfolgen,) als vielmehr facilitiret und nur alle Ubereilung besänfftiget vverde. Vernünfftige Praxis allein, nicht aber unerfahrne Theorie, giebt zu erkennen, vvas das gemeine Sprüchvvort: Inter duo mala minus eligendum, auf sich habe; und vvie ungegründet die Hoffnung sey, alles von Grund aus zu meistern. Da nun in Gegenvvart, sovvohl der Gries und Steinlein sich von Zeit zu Zeit ausvveisen, als auch die Hæmorrhoidal-Lüfftung ebenfals sich meldet, so möchte vvohl auf diese beyderley Commotiones vornemlich zu sehen nöthig seyn, um solche vor unordentlichen, unmässigen und hartnäckigen Erregungen, treiben und Stämmen zu vervvahren und darinne Linderung und Mässigung beyzubringen; alle Narcosin aber mit äusserster Sorgfalt zu vermeiden. Weil aber es eigentlich auf formirte Fragen ankommt, so vvill nur annoch dieses vom Aderlassen melden, dass nach nicht allein beständiger, sondern gevviss unzähliger Erfahrung, solche Art Lüfftung, in diesen Casibus eines der besten præservativ-Mittel sey, entvveder die Erregungen viel zu mildern, oder vvohl gar, (vvie vom Podagra verschiedene eclatante Exempel habe,) abzuvvenden. Ist auch gevviss disfalls nicht ein geringer Mangel, vvann man mit Aderlass anzukommen nicht vermögend ist. Worauf nachgehends alle andere Medication vveder so leichtlich anschläget, noch auch so viel mit Bestand ausrichtet: Ja alles darinnen etvva vorfallende versehen, viel unleidlichere Würckungen thut, als sonsten nicht geschehen vvürde, vvann einige Erlüfftung vorher gegangen gevvesen. Nun vvird gemeldet, dass 1723. den 13. Maji eine Aderlass auf einem Fus geschehen, vvobey vveder vor, noch bey, oder nach der Operation, ein ungleicher Erfolg benennet ist; Dass also nicht etvva eine sonders grosse Aversion davon vermuthlich fället; anbey auch in darauf gefolgten Majo, *erst nach geschehener Aderlass, beym zubinden, die Ohnmacht sich ereignet, zugleich aber auch, vvie die Expression lautet, dass es eine gelinde Aderlass gevvesen: So stehet noch*

 dahin,

dahin, ob nicht die Lüfftung etvva zu geringe gevvesen seyn möchte, als von dergleichen bey desfals empfindlichen Subjectis mehrmahl diese Folge beobachtet vvird. Werden aber auch fast notorisch dergleichen Ohnmachten, vvelche (ausser erheblichen Kranckheiten) auf blosse Aderlassen vorfallen, fast nirgend vor gefährlich geachtet &c. Um aber auf die Frage zu kommen, so ist der gute, ja starcke Appetit gevviss ein sehr gutes Zeichen, und nur dabey zu bedencken, ob auch hinlängliche Leibes-Bevvegung dabey beobachtet zu vverden pflege? Wann auch übrigens die Davung und richtige Oeffnung und Abgang dabey Statt findet, pflege meines Orts keine Gedancken auf anderveite vveitläufftige Inconvenienzien, vveder privatim in abdomine, noch selbst in der Circulatione universali zu vvenden; Zumahl da auch die Num. 3. & 4. angeregte Reflexiones in facto nicht specificirt, noch bescheiniget vverden; und da die tägliche Erfahrung dergleichen in der That mit denen allervvenigsten Exempeln bezeuget, vvelche gegen eine fast unzählige Anzahl anderer nichts mehr zu bedencken geben, als dass in solchen vvenigen Fällen es nicht sovvohl auf dergleichen general-Ursachen, als andere special-Umstände ankommen müsse. Was aber sovvohl das Emser-Brünnlein, als vornemlich das Seltzer-Wasser belanget, so habe von diesem lerztern noch niemahlen einigen vvahren univoquen Effectum empfindlich vermercken können; das erstere aber mehrmahlen, zvvar ohne Schaden, jedoch ebenfalls ohne vvahr empfindlichen Nutz, getruncken zu vverden abgemercket; gleichvvohl aber, vvo nicht andere bescheidene Beyhülffe angevvendet vvorden, meistens eine Atonia viscerum sich darauf geäussert, und beschvverlich gefallen. Weshalben ich keine Reflexion auf dergleichen mache. Selbst den Schvvalbacher Sauer-Brunnen betreffend, vvie er vor der mildesten einen gehalten vvird, pflege doch solchen, vvegen vermercklich erfolgter bläsigen Atoniæ, nicht in Consideration zu ziehen. Ob und vvie vveit er Gries treibe, ist mir in der That nicht genugsam bekannt,

kannt, pflege aber alles Treiben in dieser Absicht zu vermeiden, vveil es ordentlich nur mehreren Proventum nach sich ziehet, vvelches, vvo nicht eine merckliche Abstersio dabey statt findet, bedencklich fället. Hauptsächlich ist das Werck, meines Erachtens, sehr vvohl bedächtlich in Absicht beyzuhalten, dass nicht durch qualescunque effectus martiales heteroclitos eine unvermuthete Irrung davon entstehe. Verhalte anbey nicht, dass in dem Bericht, bevorab von 1723. bis 30. davon keine genaue Ervvähnung zu finden, mir befremdlich gefallen. Es ist die Conspiratio commotionum nephriticarum calculosarum cum stomacho & intestinis sovvohl aus manchmaligen Vomitibus, als sogenannten Colicis nephriticis gemein bekannt; gevviss aber auch nicht vveniger kundbar, vvenn mann es beobachtet, dass sovvohl Colicæ hæmorrhoidales, als spleneticæ inflationes & cardialgicæ turbæ von daher sich finden, desvvegen denn die unauflösliche Conspiration dieser Zustände mir allezeit erheblich bleibet. Was aber die letzte Frage anlanget, so ist solche dergestalt vveitläufftig, auch in Ansehung des Herrn Leib-Medici Ordinarii, der es selbsten am besten vveiss, unerheblich, dass, in deren Beantvvortung in extenso mich einzulassen, keine Ursach finde. Genius morborum exquisite cognitus, cum ipsorum motibus, progressibus, successibus, exitibus, conspirationibus, transformationibus, ist ohne Zvveiffel der einige Grund vvorauf sovvohl vera pathologia, als therapia methodica beruhet und feste stehet. Wann diese klar sind, so kommt es vielmahl mehr auf ein vvohlgegründetes Consilium, als vielerley Auxilia an. Wann aber auch diese erforderlich scheinen, so habe von sehr langen Jahren erfahren, dass es insgemein auf vvenige, nur die rechten Mittel ankommt, und am offtesten mehr Simpliciora, als Coacervata, vvelche nicht sovvohl nach der gemeinen Weise auf Symptomata sich beziehen sollen, als fundum ipsum morbi angehen, quo sublato, illa sponte quasi evanescunt. Cavendo, ne, ubi

ubi prodesse non datur, noceatur. Sage allein zum Beschluss und kurtzer Reflexion auf die vveitstreckende Frage, dass ich durch der Erfahrung gemäsen methodischen Gebrauch eines recht reinen und zarten Nitri jederzeit ungleich gevvissern und noch empfindlichern nützlichen und heilsamen Effect unter Göttlichem Gnaden-Beystand, erhalten, als von allen Brunnen und Wasser, von deren Unbestand die gantze Welt vveiss, niemahl hören noch sehen können, unerachtet ich nun in 46. Jahren mit aller Sorgfalt und Angelegenheit mich darum erkundiget habe &c. Berlin den 11. Julii 1730.

G. E. Stahl.



MER-

MERCURIUS SOPHICUS DELARVATUS,

EX

PHILALETHÆ INTROITU APERTO

AD

OCCLUSUM REGIS PALATIUM

PRODIENS IN CONSPECTUM CHYMIATRORUM, QUI IN AURO ET ARGENTO VIVO PHILOSOPHORUM HUMANÆ FELICITATIS APICEM, ET AD VITAM LONGAM UNICUM CULMEN SPEI PONUNT,

SIVE

COMMENTARIUS

IN QUO AUCTORIS ILLIUS DECEM PRIMA OBSCURISSIMA CAPITA DE MERCURII SOPHICI PRÆPARATIONE PERSPICUE PER IGNEM ELUCIDANTUR

A

J. H. C. H. S. M. D.

Melius est philosophari, quam ditari, quia continet in se divitias & omnem felicitatem terrenam corporalem. Aristot. Alchym. in Epist. ad Alex. M.

ILLU-

ILLUSTRI, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, DOCTISSIMISQUE,

CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ

DOMINIS,

DN. PRÆSIDI, DIRECTORI, ADJUNCTIS,

ATQUE

COLLEGIS SPECTATISSIMIS,

SALUTEM ET SAPIENTIAM.



VIro gravi, famæ laudabilis ambitioſo, num quid poſſet accidere turpius probroſiusve, quam rumor publicus, qui eum cum infami profligati pudoris ſcorto intimam colere familiaritatem, perpetuamque noctu diuque exercere converſationem denunciaret? Hoc quod eſt, olim erat Sophiam, *Hermetis Triſmegiſti* filiam, ſub publici illius omnium nebulonum ac impoſtorum proſtibuli, *Alchymiæ* nomine diffamatam, deperire. Vir improbus & Alchymiſta pari paſſu ambulabant. Ita Ciniflonum ac fumivendulorum fraus & malitia antiquiſſimam & ſupremam Protophyſices ſcientiam, analyſi

inprimis ſpagyrica acquirendam, ſub *Alchymiæ*, vel ipſo nomine horrendæ, titulo reddiderat quibusvis bonis exoſam, ſuſpectam, & remis, ut ajunt, velisque fugiendam, ita, ut nemo vel nequitiæ, vel ſtultitiæ, aut ſaltem ineptiæ notam effugeret, qui illi ſe dedictum profiteretur.

Poſteaquam vero, Muſarum Proceres Illuſtriſſimi, ſingulari artium omnium liberalium, inprimis Chymiatricæ fortunâ a glorioſiſſimis Scientiarum Statoribus, æterna laude celebrandis Cæſaribus, Divis LEOPOLDO & CAROLO VI. per Germaniam inſtituta, erecta & reſpective confirmata eſt florentiſſima Naturæ Curioſorum Academia ceu publicum quoddam ſcientiarum emporium, recepit quoque pudiciſſima hæc virgo, *Sophia Hermetica*, in dies magis magisque, ſaltem apud prudentiores, & quibus ficta ſunt de meliore luto præcordia Virginitatis intemeratæ priſtinam gloriam. Recepit a præcellentiſſimis ejusdem membris, Muſarum Magnatibus, artis & naturæ genuinis filiis, exiſtimationem & venerationem, non quod jactatum iſtud immenſarum opum cornu copiæ, plurimis ſane adhuc hodiedum decumanam fabulam, geſtare dicatur, quam quod ad Gazophylacium, in quo genuina ſanitatis & vitæ phylacteria abſconduntur, recludendum claves porrigat. Cum prælaudatæ Societatis Veſtræ primarius fere ac unicus ſcopus ſit, abdita Naturæ perveſtigare, ex ejusque gremio ſublimiora remediorum arcana & medendi methodum, a ſecuriſſima Naturæ, ſolius morborum medicatricis, confortatione petitam, ad publicam humani generis ſalutem eruere, unde quoque jam a primis laudatæ Veſtræ Academiæ incunabulis Hermeticæ Sapientiæ penetralia magis magisque inveſtigari cœperunt. Neque Actæonis exemplum generoſos ſcientiarum venatores a nudæ hujus Dianæ conſpectu terrore panico abſtraxit. Lubuit non paucis ex monito magni HELMONTII,

qui

qui voce coram univerſo mundo publica, ſed in ſubmiſſo ſpiritu, glorificat luminum patrem, quod rejectis cæterarum profeſſionum quisquiliis, ad ſolam Pyrotechniam fuerit vocatus, lubuit inquam *carbones emere & vitra, & diſcere, quæ dedere vigilatæ ex ordine noctes atque nummorum diſpendia.*

Non fuit amplius verecundia primariis ejusdem Profeſſoribus & Archiatris publice ſcriptis profiteri, ſe hanc amare, colere & per ignem & aquam proſequi Virginem; unde non tam exacto calamo Hiſtoriographi, quos adpellant, Romanici, verba actionesque amantium conſueverunt adnotare, quam iſti, quidquid in ſecretiori Hermetis cubiculo actum obſervatumque eſt, litteris candide conſignare: Non tot eulogiis & verborum ſuaviis ſuas delinire ſolent amaſias proci amore ſuccenſi, quot iſtam artis filii. Audite ſuaviloquum *Chriſtianum* LANGIUM; quomodo mellitis verbis ſuæ blandiatur chymiæ, *Tr. de Thermis Carolinis: Chymia*, inquit, *noſter eſt amor, & tuum non diſſimile ea ſit delicium. Medicinæ gloria eſt Chymia, gaudiumque noſocomii, roſa medentum, liliumque artis eſt illa. Pulchræ virtutis uva delicata, & prima gratioſorum gratia veneranda eſt Chymia.* Taceo innumeros ejusmodi Chymiam depereuntium tenerrimos diſcurſus.

Non detrectarunt proin Veſtrarum Ephemeridum Directores varias ex ſecretioribus Laboratoriis communicatas obſervationes, &, ut vocant, Proceſſus, immo vel integros hujus argumenti Tractatus ſuis Decuriis inſerere. Teſtes ſunt *Petri* FABRI Monſpel. *Manuſcriptum Alchymicum ad Holſatiæ Ducem, Tumba Semiramidis Hermetice ſigillata*, HERMETIS veſtri. *Aurum auræ, Diſceptatio de Lapide phyſico*, HERCULIS veſtri *tertii Diſſertatio de Medicina univerſali per menſtruum ca-*

tholicum quærenda, ut plura aliis inſerta artis Protochymicæ ſpecimina ſilentio prætercam.

Accedit, quod & plures Academiæ veſtræ Curioſi ipſum hoc Regium Sophiæ palatium a PHILALETHA pſeudonymo in *Introitu aperto recluſum*, aut potius magis *occluſum*, cujus fores nunc amplius pandere conſtituimus, laudabili conatu ingredi tentarint, inter quos poſtremus non fuit ORPHEUS Academicus, vir equidem laborioſiſſimus, infelici tamen fato non admiſſus, ceu non perfunctoriæ dexteritatis & experientiæ ejus *Tentamina*, ſingulari prorſus candore Anni octavi Decuriæ primæ Ephemeridibus inſerta loquuntur.

Neque etiam in re chymica verſatis ignotum eſt, celeberrimum *Emanuelem* KOENIGIUM, Academicum pariter Curioſum, ad eundem PHILALETHÆ *Introitum* in pereximio *Regni mineralis* volumine notas publicaſſe; nec minus, ut alios ſileam, famigeratiſſimum HERCULEM Academicum Præfationem Palatio Philalethino præfixiſſe, editâ quoque in ipſam Alchymiam introductione. Paucis: Sophia Hermetica immenſum obſtricta eſt Academiæ Veſtræ, ob recuperatam ab ea meliorem apud ſanioris judicii viros exiſtimationem & famæ integritatem.

Enim vero & horum veſtigiis inſtitêre alii, tametſi illius haud inſcripti albis, Philoſophi & Medici exercitatiſſimi, qui partim apertâ & explicata fronte, partim larvata ſub peregrino nomine, conceptus ſuos de hac protophyſica propalarunt. Quorum exemplo incitatus detrectare nolui ſinceris artis filiis proferre in conſpectum lucem, quam ut in genuinis Adeptorum ſcriptis mihi tradita ſcientiæ lampas, dum multis annorum curriculis phyſice accenſa præbuit, præſertim quando ad ejus lumen non obſcurum fuit obſervare, innumeros,

ros, utut ſummæ ſolertiæ atque immenſi laboris viros, quibus abſit meam tenuitatem comparare, non conſpexiſſe aut agnoviſſe lucem iſtam, quam PHILALETHA artis filiis, ob incredibilem occultæ veritatis cum liberali falſitate ſimilitudinem, ſub ignorantiæ nocte ceſpitantibus ſe præbere jactitavit.

Et hæc quidem primaria cauſa eſt, Mæcenates Excellentiſſimi, ob quam opuſculum hoc Illuſtriſſimis Veſtris Nominibus humiliter inſcribere ac offerre ſim auſus, ut ſi qui inter vos ſunt viri Naturæ interpretes fideles, & ope ſecretioris altiorisque Pyrotechniæ adeptum medendi donum adſpirantes, quales conjicio eſſe plurimos, ex hoc qualicunque ſpecimine judicent, num, quod in obſcuriſſima & profundiſſima artis Sophicæ caligine mihi adfulſit lumen, genuinum fatuumve fuerit. Alias cauſas fuſius Diſſertatio præliminaris declarabit. Hoc tantum hic addere ê re erit, me hoc ſcriptum, quod ante triginta & quod excedit annos, inter labores chymicos exaravi, in eventum mortis meæ per teſtamentum Vulcano addixiſſe, ne in Sophiſtarum, opes potius, quam ſapientiam, quærentium manus incidens, multis olei & operæ perdendæ anſam daret; nunc vero ex viri prudentiſſimi & conſultiſſimi, *Eremitæ Montani*, ſummi Sophiæ Hermeticæ amatoris, quem longiſſimo terrarum intervallo a me remotum, videre nunquam, commercio litterario tamen ſæpiſſime ſalutare licuit, amiciſſimo conſilio in lucem prodire, duntaxat in gratiam verorum artis filiorum, in primis eorum, qui ad obtinendum PHILALETHÆ, ſiniſtre tamen intellecti, *Mercurium*, novos movent auſus & tentamina, certe ſcenas inanes, ut meo virorumque expertorum exemplo cauti, a *Regulo* impoſtore, Palatii Philalethini incola, licet in capite ſtellam, in inſigni coronam &

mundi

mundi globum pro ſignaculo geſtet, ſeduci ſe non patiantur.

Vos itaque excelſa Academiæ Leopoldino-Carolinæ Lumina, quæ inſtar Solis ſub cœlo Europæo hodie lucetis, nolite hanc meam luculam ob eminentiſſimos ſapientiæ & dignitatis Veſtræ radios adſpernari. Ignoſcite meæ temeritati, & non ex nominis exigui, Vobis forſitan tamen ob plures alios editos libros non penitus ignoti, Auctore ſcriptum, ſed ex qualicunque hujus conditione illius ſaltem bono publico ſervientis conatus gratioſe judicate. Ego Vos æviternum ſuſpicio & veneror, Ephemeridum Veſtrarum & Scriptorum indefeſſus ruminator, nec minus Nominum Veſtrorum & Dignitatum cultor perpetuus,

J. H, C. H, S, M, D,



DISSER-

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS AD OPUSCULUM PROTOPHYSICUM DE MERCURIO PHILOSOPHORUM.

Novimus antiquum obtinere morem, quod Principes aliique Magnates non raro ſub peregrino habitu incogniti aut ſuas, aut alienas terras ſoleant obire. Hunc morem hactenus quoque ſequutus eſt Sophorum ille Mercurius, præpotens regni metallici, immo, ſi Adeptis fas eſt credere, totius Naturæ terreſtris dominus, quando ardentiſſimis non Philoſophorum modo, ſed & ciniflonum chymicaſtrorum votis exſpectatus, non aliena tantum veſte indutus, ſed vultu etiam larvatus orbem hactenus perambulavit, demum vero in PHILALETHÆ *Introitu ad occluſum Regis palatium aperto* quaſi ſubſtitiſſe, omniumque oculis ſe conſpiciendum præbuiſſe viſus eſt, ob vilius tamen indumentum a paucis agnitus, neque pro dignitate honoratus. Scilicet perſonatus ille Philoſophus Mercurium ſuum quoque non niſi ſub larva voluit ſubire mundi theatrum, & Reguli cujusdam ſtellati ſcenas ea argutia ludere, ut num Sophum, an Morionem, an vero Sophiſtam ipſe voluerit agere, pluribus, & forſan non injuria, in mentem venerit dubitare. Saltem comœdia iſta multis imperialium millibus hactenus ſtetit incautis, qui theatro huic adſiſtere voluêre Dramatis Sophici ſpectatores, & tandem conſpicere in fine ex-

euntem Solis filium, purpuratum Sophorum regem. Verum viſo, immo jam, ut certo certius credebant, obtento *Mercurio Philalethino*, dum ad actum ſecundum, in quo Rex debebat Reginæ connubio jungi, eſſet progrediendum, ſubito clauſa eſt ſcena, regina noluit ſibi deſponſare Verſipellem iſtum Mercurium hermaphroditicum, malens ſine ſpe prolis hactenus in cœlibatu permanere: Mercurius vero ipſe ſanioribus merito riſum movens, primis intercludii ſcenis abſolutis, epiphonema cecinit: *Ite actum eſt*, ſuos relinquens ſpectatores attonitos, & quaſi viſo Gorgone ſaxo immobiliores, dolentes merito & ingemiſcentes, tantum laboris, temporis & ſumtuum in hoc dramate fruſtra eſſe impenſum. Fatentur tantum non effuſis habenis illuc ſe ductos, ubi enthuſiasmi habitant, & pulcra ſpes magnarum rerum, poſt aliquot tamen Olympiades Proceſſui Philalethino impenſos didiciſſe ſe ſcandere Olympum, ſed non montem Hermetis. Et ſic quidem mundus luditur etiam in re, quæ putabatur moraliter certiſſima ac infallibilis. Nihilominus non deſiſtunt etiamnum plures hodie nova facere præludia, novis Mercurium induere cothurnis & recenti veſtire chlamide, ut tandem regio connubio aptus, aut dignus evadat. Interim Pſeudonymus PHILALETHA latet poſt ſiparium, ceu poſt tabulam Apelles, & mundi ridet ſtoliditatem, Mercurium ſophicum in eo, ubi non eſt, quærentis.

Explanabo hæc clarius. Notum eſt, Sophiæ Hermeticæ Candidatis, non patere ad Solis aulam ingreſſum, niſi obtenta prius clavi Mercuriali, vel etiam, ut nonnullis viſum eſt, alcaheſtina, ad cujus proin fabricam collimant ſubtiliſſimæ & occultiſſimæ allegoriæ. Hujus & materiam, & qui rei cardo eſt, præparationis genuinam methodum hactenus Philoſophorum nemo, niſi ſub denſo ænigmatum involucro, detexit, aut obtexit potius, & adhuc, ut ajunt, nullis, niſi dignis, electis &

ſpeciali

ſpeciali privilegio vocatis, ita, ut *Raymundus* LULLIUS, Philoſophorum omnium facile ſpinoſiſſimus, vel ex eo gloriatur, quod librorum ſuorum compoſitio nil aliud ſit, quam ſagacis ingenii ſubtilitas ad artem celandam. Quocirca ſub ſpiritus, ſive quintæ Eſſentiæ vini deſtillatione, mercurii ſophici præparationi admodum parallela, ſubtiliſſime artem occultavit. *Fr. Baſilius* VALENTINUS paulo ſincerior ex auro vulgari ad litteram ſuas claves ingenioſe fabricavit, ſub quibus tamen Mercurii ſophici proceſſum quoad omnes circumſtantias admodum myſtice inſinuari ipſe monuit. Sed certe nec vegetabiles LULLII claves, nec ipſæ BASILII aureæ (idem de Ejus vitriolatis intellige,) introitum palatii Regii hactenus ulli recluſerunt. AGRICOLA *major* & *minor* profecto non ſimplicitate ruſtica ex ipſo plumbo, ſeu Saturni minera, easdem conficere docuerunt, circa quem laborem quomodo non plumbea, ſed vere aurea dexterrimorum virorum ingenia & manus ſe fruſtra fatigarint, quis inter Chymiæ cultores eſt, qui neſcit? SENDIVOGIUS ſpecioſiori & elegantiori theoria & phraſeologia Chalybem & Magnetem obtruſit in Nitro, aëre, aut rore inveſtigandum, quaſi ad hæc aureas palatii Regii valuas ſingulari quodam magnetismo neceſſum foret dehiſcere. Verum COSMOPOLITÆ occultus vitæ cibus invitavit plurimos, paucos ſatiavit. Effoſſa ad genua fovea non uni triſte fuit præcipitium. Atque ita, ut plures alios brevitatis cauſa prætercam, Adeptorum quilibet, ſcriptis hactenus celebris, peculiares fixit analogias & allegorias, quæ & ad litteram proceſſum artis quendam ſuggerunt, ſed plane inutilem ac fruſtraneum iſtis proceſſuum aucupibus, qui caſu artem ſe ſperant reperturos, in ſenſu autem myſtico genuinam & materiam, & præparandi methodum indicarent ſapientiæ filiis, naturæ magis poſſibilitatem, quam contextum ſonumque verborum attendentibus.

Tandem igitur post hosce omnes in lucem prodiit Pseudonymus PHILALETHA, Philosophus astutia incomparabilis, stiloque sophico acutissimus, iisdem docendi scribendique argutiis utens, nova methodo Mercurii sophici præparationem docuit, aut saltem docere visus est, per argenti vivi vulgaris mediante Reguli antimonii martialis sulphure, vel simul quoque Mercurio, depurationem, animationem & duplicationem, ut sic, rejectis, amalgamationis & abstractionis multiplicis beneficio, nativis sordibus, Virginitati pristinæ simplicitatique restitueretur, ceu latius in opusculo hoc nostro protophysico ostendetur. Et revera tam ingeniose hæc est commentus, & tali energia, tali veritatis indubitatæ adparentia, ut Jovem jurarint lapidem innumeri, hunc esse Philosophorum, quotquot unquam fuerunt, sincerissimum candidissimumque. Creditum est adplausu publico, processum hunc esse in circumstantiis quibuslibet ita apertum & numeris omnibus absolutum, ut illius Columbarum & Aquilarum beneficio argentum vivum vulgi nolens volens tandem in Sophicum transmutari sit necessum: ita enim subtiliter ac vafre directa sunt omnia, ut singulæ cum Mercurio ad litteram indicatæ amalgamationes & sublimationes, seu abstractiones, revera succedant, & ipse Mercurius evadat, quantum per hanc quidem procedendi viam laboriosissimam natura concedit, in exteriori corporis textura (nam interior ejus nucleus sic neutiquam attingitur,) purissimus, ut jam regali thoro thronoque dignus videatur.

Verum stupenda catastrophe! obstupuere steteruntque comæ, & tantum vox non hæsit omnibus, quando veluti conspecta Medusa attoniti omnem præter spem experiri debuerunt, hunc adeo quidem laboriose ac sumtuose paratum Mercurium nullatenus aurum, juxta promissa & exspectationem, radicaliter solvere, & se per minima inseparabili nexu illi ad naturæ

plus-

plusquam perfectionem jungere. O deploranda Artistarum fata! Siccine larvis mundus luditur! Sic personatus Regulus se regem facit, ut etiam oculatissimis imponat! Siccine introitus ad Regis palatium apertus est, & recta ad Sophiæ templum detecta via? Hoc ne est Philaletham agere, & falsissimo scripto doctrinæ filiis illudere? Apage! occultum illud Regis palatium dici potius meretur fumosum funesti operis castrum, atratum sepultæ sapientiæ Mausolæum, quod informes circumvolant insipientiæ noctuæ. O opum & immensi laboris vorago, præstigiatrix Alchymia, magistra vanitatis!

Hæ pluresque aliæ auditæ sunt querelæ, quibus & detestationes execrationesque in candidissimum Auctorem successerunt. Verum, viri boni, linquite nænias; imputate vobis, non scriptori, superficiales Philosophi, quod litteram magis, quam sensum mysticum ingeniosissimi Adepti attenderitis. PHILALETHA extra culpam est, cum palam ingenuo candore fateatur, scripta sua, quæ planissima videntur, omnium obscurissima esse, atque citius incautos in errorem inducere, quam alia, quæ extant, omnia. Ipse capite XVIII. sic monuit: *Quæ omnia cum grano salis intelligenda moneo, ne forte litteratim procedendo sæpius errare contingat. Sic enim cum insolito candore philosophicas subtilitates texuimus; quod nisi plurimas in præcedentibus capitulis metaphoras olfeceris, vix aliquod messis præter dispendium colliges.* Et rursum Cap. XXIII. *Summa arte Sophi hoc secretum occultarunt, & firmiter credas, nos fundamentaliter idem fecisse.*

Non aliter profecto se res habet. Ipse sibi soli & scientiæ filiis (quod & Rex GEBER de se gloriatur,) artem tradidit, & non aliis, verissimam tamen atque omnino certam. Quod auripetas, potius auriperdas, attinet, qui instar Andabatarum ex processu ruunt in processum, & cœco impetu rapiantur, vix ut condoleamus mereri videntur, cum volentibus non fiat in-

juria. Aditus quidem ad Regis palatium jam credebatur ipſis eſſe patentiſſimus, PHILALETHA introitum aperiente, neque a recta ſemita ſe facile deviaturos judicabant, prævolitantibus geminis *Dianæ columbis*, & ceu maternæ iſtæ apud MARONEM aves, ad ramum aureum viam indicantibus; immo ſupremæ felicitatis apici ſe jam proximos autumabant, adparente in cœlo chymico ſtella antimonii ſignata, neonati regii infantis cunas oſtendente. Peculiaris namque ſtilus, qui ut in ſecunda operatione ſat apertus eſt & candidus, ſic in prima, quam herculeam vocant, ſat quoque ſimplex, imo ad litteram fere per Regulum Martis ſtellatum intelligendus videbatur. Verum poſtquam a practica mentali ad manualem devenere, comparuit eorum paſſiva deceptio, & activa PHILALETHÆ verſipellis aſtutia, mundum, cujus idolum aurum eſt, naſo adunco ſuſpendentis. Conſiderare rurſum debuiſſent, ſinceriſſimam ejus admonitionem Cap. XIV. *Notificavimus inſuper, quod difficilis ſit Mercurii veri philoſophici præparatio, tamque difficilis, ut opus ſit peculiari Dei gratia, ſiquis ad exactam ejus notitiam pervenire cupierit.* Quod fere idem eſt, quod PHILALETHÆ coævus ſcripſit HELMONTIUS, cujus quidem libros ſe legiſſe iſte alibi fatetur; verba ſic habent: *Nemo, etſi artis gnarus fuerit, ad conſecutionem perveniet unquam, quem Altiſſimus ſpeciali dono non eo deduxerit. Particulari enim privilegio ſit oportet electus ac dotatus, ſi potiri illo medio debeat.*

Verum enim vero maxime dolenda ſors eſt Chymiatrorum, qui morbos jacenti naturæ intimius nuptos vulgari remediorum phalangi haud cedere tota die obſervantes, ideoque emphatica Adeptorum conteſtatione provocati nullum non movent lapidem, ut vel Mercurium ſophicum, vel ejus fratrem uterinum, (ex eadem nempe matre, ſed diverſo generandi modo oriundum, ut jam olim alibi docui,) liquorem alcaheſtinum, & alteru-

terutrius beneficio remedia iſta poteſtativa catholica, tantopere depraedicata adipiscantur, a Mercurii interim caduceo ita incantati ſunt, ut in argento vivo vulgi, contra Adeptorum toties totiesque repetita monita, univerſale illud ſolvens reperiri & ſibi imaginentur, & orbi quoque litterato argumentis quibusdam (ſervo tamen iſti fugitivo ſimilibus) amplius perſuadere conentur, ut varii libelli chymici poſterioribus annis editi, curioſos in re chymica libraria verſatos abunde poſſunt docere. Dolendum inquam eſt, horum quoque plurimos ad fores palatii PHILALETHINI noctes diesque pulſare, nec tamen intromitti, Regulum inquam antimonii martialem ſtellatum ceu Siſyphi Saxum manu verſare indefeſſa, neque tamen liquorem illum omnia ſolventem inde exprimere, quod tamen haud mirum, citius namque pumex oleum, quam iſte Regulus aquam fundet philoſophicam. Quamvis non nemo è tribu ſtibiata Medicus rurſum non multos ante annos, id tractatulo chymico profiteri, & quod majus eſt, mille imperialium ſumma ſingulis tribus tamen duntaxat principalis dignitatis perſonis (ſi forſan quis in Germania ita auri ſplendore effaſcinatus reperiretur emtor,) Mercurii ſophici ſcientiam, ejusque a ſe parati copiam venalem exponere non erubuerit, talibus quidem adnexis circumſtantiis ac conditionibus, quas, ſi veris philoſophiae Hermeticae principiis duntaxat vel leviter tinctus perpenderit, facile colliget, ejusmodi Mercurii Philalethini venditorem ne limen quidem verae Sophiae ſalutaſſe, utut plenum magnis cum eo paratis arcanis ſcrinium jactitet. Verum abſint inſidiatrices tendiculae, quibus miſeri auripetae circumveniuntur; quibus magnates deſidioſi ſcientiarum venatores in artis lenocinantis amplexus provocantur, ut publica mundi egentis meditentur ſubſidia, auguſta reſidentiarum Capitolia, & imaginaria in Lunae concavo territoria, immo & aurea ad ferrei temporis ſolatium ſecula.

Non

Non ea mihi ſane intentio eſt, quod Sophiſtis proceſſuum inſtitoribus, philoſophorum plerumque ſimiis, auri prædæ inhiantibus, auferre velim ignorantiæ cataractam, ſed ſolis veriſque Archiatris, ſapientiæ Hermeticæ ſtudio ad corporis humani ſanitatem vigoremque unice conſervandum ac reſtaurandum addictis, hac qualicunque mea opella gratificari. Hi enim cum ſepoſitis ſcholarum præjudiciis medicinarum particularium in gravioribus morbis jacente natura infirmitatem agnoſcant, ad metallorum & mineralium ſulphura, quibus maxima morborum cohors, fidem faciente HELMONTIO, auſcultat, merito & ſuſpiriis & precibus ferventer fuſis, & laboribus ad ignem indefeſſis anhelant, non aurificum lapidem tot periculis obſeptum, (cujus obtinendi ſpes fatuorum paradiſus eſt,) intendentes, ſed vere aurei ex auro ipſo ad corporis humani imbecillitatem remedii ſupremi adeptionem ſecuriſſimam, quam ſi non penitus adſequantur, obtinent tamen quid opera non penitus indignum, juxta parœmiam: *Evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui ſemper quærit, quod nimium eſt*, præter vere philoſophicam rerum creatarum ſcientiam.

Interim tamen quam neceſſaria ſit operi chryſopœo Mercurii ſophici poſſeſſio, vel tirones artis non ignorant, ſapientes vero ſerio monent, ſatius hic eſſe altum ſilentium, quam nimiam calami aut linguæ libertatem. Sufficit noviſſe, aliam eſſe Mercurii philoſophici, ad Elixir aurificum, omnibus numeris abſoluti conditionem, alias ejusdem in primo ſaltem ordine ad eminenter polychreſti medicamenti compoſitionem ſufficientis qualitates. Credo tamen dari Lapidem aurificum, & Mercurii ſophici natales & ſtemma olim in juventute mea mihi licuit conſpicere, ſed ſub alieno dominio, & primo quidem, ut id addam pro curioſis, raram illam in terris avem, nigerrimum philoſophorum corvum, qui ſubtiliſſimæ atque aterrimæ fuliginis

rarum,

rarum, leve & ſpongioſum alcohol repræſentabat; ſecundo eundem plumis nigris excuſſis ablutum, & inſtar cygni candidiſſimum, in forma alcohol magis compacti, amylum quaſi referens; tertio terram Hermetis foliatam, quæ quovis adamante lucidior, puriſſima & tenuiſſima foliola referebat, quæ ab Adepto parata eſſe mihi ſancte adſeruit eorum poſſeſſor, perſona principali dignitate fulgens, quod tam rarum ſpectaculum primam mihi occaſionem dedit poſtea per multorum annorum labores Mercurii ſophici eſſentiam, accidentia & phænomena non in Adeptorum duntaxat ſcriptis, ſed re ipſa ad Hermetis athanorem indefeſſe ſcrutandi, ex quibus mihi videor tantum addidiciſſe, ut quadantenus me idoneum judicem, PHILALETHÆ Introitum apertum ad occluſum Regis palatium magis pandere, id eſt ſenſus litteralis ſubtiliſſimam falſitatem oſtendere, & ſenſum e contrario philoſophico - myſticum ex ingenioſo verborum cortice in apricum producere, ubi tropis & ænigmatibus, quantum Hermeticæ ſcientiæ permittit difficultas, & me errores, optimi magiſtri, docuerunt, remotis ſtilo dogmatico notis perpetuis obſcuriſſimas Philalethæ parabolas & gryphos illuſtrabo. Diſpoſitio opellæ hujus protophyſicæ hæc erit:

Liber primus primum & ſecundum Philalethini Introitus aperti Caput *de Neceſſitate & componentibus principiis Mercurii ſophici*, denſiſſimis tenebris involutum dilucidabit.

Liber II. tertium & quartum caput, nodo plus quam gordio intricatum, ſoluet, agetque, ut ipſe illis titulum fecit Auctor, de *Chalybe & Magnete Sophorum.*

Liber III. Caput V. & VI. profundiſſima abyſſi caligine obumbratum & aquis primordialibus merſum luci reſtituet, ſub epigraphe philalethina, *de Operatione primæ Mercurii ſophici præparationis per aquilas volantes, ejusque labore & tædio.*

Liber V. capiti nono & decimo reſpondens, virtutem

Mercurii ſophici & quod in illo eſt ſulphur, extricabit, ſub inſcriptione, *de ſulphure Mercurii ſophici.*

His decem capitibus Mercurius PHILALETHÆ abſolvitur, qui eſt omne illud, quod poteſt & philoſophus expetere, & quod Medicum poteſt nobilitare, genuina nempe aqua vitæ Philoſophorum & ſpiritus Mercurii volatilis oleoſus, ſed incombuſtibilis, quo radicalis auri paratur ſolutio, & verum emergit aurum potabile, catholica non tam metallorum, niſi in ſua ſuprema perfectione, quam hominum Medicina.

Tandem liber VI. & ultimus de radicali ſolis cum mercuriali menſtruo ſolutione & individua unione aget, cui varia arcanioris ſublimiorisque Chymiæ corollaria apprime curioſa addentur. Hic vero primum *Præfationi* PHILALETHÆ breves notas ſubjungemus, ut qua methodo in univerſo opere ſimus proceſſuri, pateſcat.

Ex his dubio procul colligitis, Præcellentiſſimi Chymiatri, non factu facile eſſe id, quod animo concipimus, (utinam conſequamur) ut è tanta perplexitate, ambiguitate, obſcuritate, veritatem phyſicam eruamus, ita, ut pateat, PHILALETHAM ab antiquiſſima illa HERMETIS *Tabula ſmaragdina*, ceu totius artis, quod volunt, archetypo, ne latum quidem unguem diſceſſiſſe, ſed omnibus numeris ejus ſenſum ita fuiſſe adſecutum, ut pro veriſſimo Sophiæ magiſtro proponendus ſit omnibus, cujus dexteritatem admirari facilius, quam imitari poſſimus.

Hoc ſaltem a benevolo Lectore exigo, ut ex hoc levidenſi prodromo, aut etiam una alterave Operis parte de toto mox judicare nolit, niſi bene perlectis & invicem collatis omnibus. Si vero cuipiam rudior eſt Minerva, ut myſteria hæc tam clare a me elucidata nondum intelligat; ſed accommodatiorem ſuo

capiti

capiti ſimplicioremque optet Mercurii ſophici explicationem, illum verbis magni AUGUSTINI, *Expoſit. in Geneſin*, fas eſt adloqui: *Hæc tu ſi potes, adprehendas; ſi nondum potes, relinquas valentioribus. Tu vero cum ſcriptura* (ego addo & natura) *non deſerente infirmitatem tuam & materno inceſſu tecum tardius ambulante proficias. Illa enim ſic loquitur*, (ego addo & ſic agit) *ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate abſentes terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate parvos nutriat.* Quia ſæpe parvulis revelantur arcana, quæ mundus neſcit, & abſconduntur a præpotentibus & ſuperbis.

Te autem, quisquis es, vitæ & ſanitatis humanæ induſtrius adſertor, compello magni LULLII verbis, *Codicill. C. II. O Medice, ſi habes memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum, voluntatem ad diligendum, aures ad audiendum, oculos ad videndum, os ad loquendum, adplica ſenſus tuos, ut recolas, intelligas, diligas, audias, videas, perlegas & retineas, quia cum hæc ars de vero ſit graduali, & inveſtiganda ex ſecretis naturæ, ſine quibus inſtrumentalis directio integrari non valet totius medicinæ, fundamentaliter artem illam ſub certis ſuis principiis plenarie comprehendetis. Dilectus a Deo eſt, cui hoc donum artis largitur per gratiam & intelligentiam ipſam reducere ſcienti ad Medicinam quotidianam neceſſariam.*

Priusquam vero prodromus hic Diſſertationem finiat, breviter adhuc præfari oportet de ſcriptis PHILALETHÆ, ſub cujus nomine hactenus plura ſchediasmata, incertis tamen Auctoribus, in lucem prodierunt. Et quid mirum? quilibet ſcriptor videri amat & veritatis amator, & Doctor, tum ut hoc titulo (quaſi omnes vnius PHILALETHÆ, ceu philoſophi conſummatiſſimi ſint fœtus,) ſapientiæ ſtudioſi adliciantur, tam ut majorem penes eos fidem & auctoritatem mereantur; cum tamen eorum plures nil minus ſint, quam PHILALETHÆ

noſtri ſoboles, licet externa facie illius idioma atque principia mentiantur. Etenim cum non paucæ *Introitus aperti* parabolæ notiſſimis in regulo antimonii martiali operationibus ſatis reſpondere videantur, nonnulli id olfacientes, & quaſi magno theſauro reperto lætitiæ modum jam pectore non tenentes, ingenti ſpe turgidi, juxta ſpurias ſuas ideas, Lapidis neſcio cujus aurifici, in immenſum tingentis embryonem ſpeculative conceperunt, de ejus lineamentis, phyſiognomia & natura relationes ediderunt, atque ſub PHILALETHÆ nomine, quaſi is tam abſurdi conceptus parens foret, mundo pro genuino ejus fœtu obtruſerunt, jamque martem & antimonio ſtellam ſignatam non amplius ſub terminis ſophico-allegoricis, ſed proprio-mechanicis pro ſubjecto artis primateriali ad animandum Mercurium venditarunt. Confirmari id poſſet nuperis exemplis, niſi veritas nimium foret amara. Quando vero ad geminas *Dianæ columbas*, de quibus ad ravin usque diſputatur, deveniendum eſt, proh quam chimæricæ aves, ex luna nempe & venere (quaſi generatio ſophica ex uno tantum ſexu fieri poſſet) in medium provolant! quas potius dixeris eſſe Stymphalides & Harpyas, quam candidas elegantesque columbas. Et proh HERMETIS fidem! qualia de PHILALETHÆ novem ſeptemve aquilis ſcribillant, quas nunc volantes, mox implumes volunt, neſcientes, num in aqua generentur. Verum in dignoſcendis genuinis PHILALETHÆ, alteriusve Sophi vere adepti ſcriptis univerſalis hæc eſto regula: Quodcunque ſcriptum, tametſi PHILALETHÆ nomine ſuperbiat, tenet poſtulatum: *In Regulo antimonii martiali* (quacunque etiam enchireſi paratus, modificatus, ſtellatus, cum luna vel venere metalliſatus ſit,) & *Mercurio vulgi* (quacunque etiam ſubtilitate cum eodem amalgametur & depuretur,) *recondi vera Mercurii ſophici principia*,

illud

illud pro ſophiſtico indubie eſt reputandum. Adſertio hæc ex tractatu hoc noſtro protophyſico ſufficienter patebit.

Certe a primis Philoſophiæ Hermeticæ incunabulis nunquam in ea extitit periculoſius, inſimulque plauſibilius, veriſimiliusque dogma, quam quod de argento vivo vulgi, per ſulphur martiale regulinum depurando animandoque, etiamnum viri doctiſſimi pro aris focisque mordicus tuentur. Quamquam hactenus nulla artificum etiam verſatiſſimorum enchireſi, toties totiesque repetita & variata, Mercurius auro homogeneus & vere duplicatus ad radicalem ejus irreducibilis ſolutionem obtineri potuerit, ceu non ſemel hinc publicæ motæ ſunt querelæ; quibus id effectum, ut PHILALETHA tandem *pro ſummo Sophiſta, qui multos decepit, de facto decipit & plurimos adhuc decipiet*, fuerit proclamatus. Conferatur D. *Ferdin.* HERTODI Epiſtola, Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. *Appendici Dec. I. Ann. VIII* inſerta; quod tamen merito cenſeri debet non ſatis æquum. Conſideretur vis argumenti: PHILALETHA ſcripſit opusculum philoſophicum ſtilo acutiſſimo & obſcuriſſimo: Legunt Sophiſtæ, immo viri alias ſapientia & judicio præcellentes, in ſchola tamen Hermetis non initiati: Explicant contra expreſſum Auctoris monitum, aliquoties ſerio repetitum, metaphoras ad litteram: Formant certi proceſſus ideam, quem genuinum eſſe ne dubitant quidem: Subjiciunt Vulcano, tentamine etiam repetito, & magna quidem adhibita dexteritate & cautela, verum non reſpondet ſucceſſus. Mercurius manet Mercurius, & aurum idem aurum; ergo exclamant: PHILALETHA eſt Sophiſta, eſt deceptor. Viri boni, qualis conſequentia? Repono: Mille artifices juxta *Sendivogii*, *Baſilii Valentini & Bernardi Treviſani* theoremata finxere quoque ex Rore, Vitriolo, Mercurio metallico proceſſus, quorum nullus in praxi ſucceſſit: Ergo hæc Philoſo-

phorum triga sophistica est & deceptoria. Absit a Philosopho tam frivola turpisque conclusio.

Reperient, spero, hi in meis tractatulis, quod satisfaciat, quod detegat errores atque in rectam sophiæ semitam reducat. Etenim si nullus mihi præfixus foret scopus alius, (& certe non est alius,) quam ut tot in antimonio argentoque vivo vulgi adhuc desudantes artifices tandem aliquando ab irritis laboribus desistant, jam operæ pretium consecutus videor, si id obtineam. Quæ enim in viro prudenti major potest esse stoliditas, quam in arte aurifera tempus opesque dilapidare aurivoris processibus, mere idealibus, in naturæ potentia minime fundatis, sed verisimili duntaxat ac superficiaria Philosophia spem lactantibus? Si *Philalethæ* estis, si tanto fervore adhæretis scriptis PHILALETHÆ, utique etiam non rejicietis *Eugenii Philalethæ Euphratem*, scriptum ex intimis sophiæ visceribus depromptum. Quid autem ille? Legite, obtestor, appendicem, & animadversionem illlus calci adnexam, qua paucis, sed nervose admodum docet monetque omnes Stibii fusores, magna de hoc mysteria somniantes, ne vocabulo *Antimonii* decipiantur, inque eo & Mercurio, corporum omnium metallicorum crudissimis, ab igne jam exsiccatis & in flores mere siccos sublimabilibus, *spiritum mercurialem humidum*, seu fluidum liquidumque (adpella ut lubet,) sectentur. Tu veritatis amator ipsum consule auctorem, & adde Fr. BASILII VALENTINI aureis sane litteris notandam epicrisin ex *Triumpho Antimonii*, quæ ex versione *Kerkringiana* p. m. 286. sic sonat: *Prætereunda non est philosophica stella signata, & tandem sermo instituendus de plumbo philosophorum, de quo multi magna sunt imaginati, & putaverunt ratiocinatione sua & speculatione verum & sincerum Mercurium philosophorum ex eo conficere, quod profecto fieri non potest. Quandoquidem*

dem Antimonio cœlitus tanta non eſt data efficacia, ut in ipſo is Mercurius exiſteret, vel ex eo præparari poſſet. Mercurius primum ens, vel prima aqua metallorum, quæ perfecta ſit, unde Lapis magnus veterum ſapientum confici poſſit, illud inquam ENS primum, & ſemina ejus in alio minerali inveniuntur, in quo operatio ſecundum genium metallorum major eſt, quam in antimonio.

Equidem jam a pluribus ſeculis Antimonium fuit idolum chymicorum, quod proin miris ac ſuperbis titulis *Mercurii magici, Auri medici, Cœli Philoſophorum, Sphæræ Saturni,* &c. condecorarunt, immo ne proprio quidem nomine interdum indicare voluerunt, unde ingenioſa nata eſt Acroſtiche: *Anthos Noſter Totus Igneus, Marcaſita Occulta Nata In Ventre Magneſiæ.* Putarunt namque, hanc Saturni prolem veram eſſe radicem metallorum, & primum ens auri, ideoque continere *humidum illud aëreum mercuriale caliditate mixtum*, unice a Philoſophis expetitum, præſertim cum multæ reperiantur in ſcrriptis Adeptorum ſimilitudines & figuræ, quæ huic favent ſemimetallo & innumeræ parabolæ ad illud non difficulter detorqueantur. Negari quidem nequit, in Stibio etiam eſſe mercurium vivum, eum vero in auro radicaliter ſolvendo, (licet aliqua cum incaleſcentia operetur, eximium quidpiam præ vulgari præſtitiſſe, hactenus obſervari non potuit; Sulphur, quod eſt in Antimonio feculentum, fuliginoſum, & combuſtibile, non poſſidet congenitas dotes ad interiora Mercurii communis calefacienda, depuranda, aut animanda, immo, quod neceſſum foret, nullo artificio cum eo radicaliter coaleſcere poteſt in ens homogeneum. Quare merito finaliter ſubſcribendum eſt ſententiæ apud *Michaëlem* Majorem in *Septimana philoſophica*, *Ænigmate* 128. his verbis pronuntiatæ: *Antimonii ſignaculum, ſeu character, mundus eſt circularis cruce ſuperpoſita, idque non injuria, quia mundo toti addit crucem & vexationes, non uni ſaltem homini, Vniverſalis crux eſt Chymico-*

micorum, ſub qua multi ſuccumbunt & emoriuntur ob difficultatem. Rejiciatur itaque extra artis pomœria.

Vos itaque, Sophiæ ſtudioſi, nolite fidem adhibere quibusvis ſcpriptoribus, etiam novellis, utut viris alias doctiſſimis, qui per viam quandam, vt vocant, mediam, ex ſcripto PHILALETHÆ, ut ſuo loco oſtendetur, perquam ingenioſe effictam, vos ad Palatium Regium manuducere conantur. Conceptus elegans eſt, qui licet phantaſiæ admodum blandiatur, nil continet veritatis, quoad transmutationem metallorum. Finio diſcurſum hunc præliminarem & Philalethinæ Præfationi brevem ſubjungo Exegeſin.



IN
PRÆFATIONEM
PHILALETHÆ
INTROITUS APERTI AD OCCLUSUM REGIS PALATIUM
EXEGESIS.

Ut reductis tandem valuis pandatur regale palatium & pomposa Mercurii Philalethini aula, cujus introitum apertum jam avidis intentisque oculis exſpectare & anhelare video tot ad ejus portam denſo agmine conglomeratas artificum turbas, prænoſcenda eſt ipſius palatii ratio ſtatus. Regnant in eo, ut in aulis principum Dolus atque Inſidiæ. Archipræſes eſt ſophico idiomate inſtructa Aſtutia affabre contortis flexiloquisque utens phraſibus; Archimarescallus quidam ex vulpe & ſimia compoſitus, Martem ſpirans & faciem ſtibio fucatus hiſtrio; Aulæ morio vulgi Mercurius, non tam qualitates, complexiones ac dotes nativas mutans, quam faciem, & Mercurii ſophici ludens ſpeciem perſonatus archimimus. Magiſter & director palatii eſt ipſe PHILALETHA, non quidem fumivendulus Sophiſta, neque etiam calamo per omnia ſophus candidus, verum tropis & ænigmatibus vaferrime ludens, ſecretorum ſuorum tenaciſſimus Euclio, qui bilinguis, & ad litteram more ſophiſtico poteſt, & in ſenſu myſtico philoſophice debet intelligi. Audiamus nunc, quam faciat in *Introitu aperto* præfationem. Sic fari incipit:

Adepto me anonymo Philaletha Philoſopho arcana medica, chymica, phyſica, anno mundi redemti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, ætatis autem meæ vigeſimo tertio, quo filiis artis debitum perſolvam, involutisque erroris labyrintho manum porrigerem, Tractatulum hunc conſcribere decrevi, ut Adeptis adpareat, me illis parem & fratrem, ſeducti vero ſophiſtarum nugis, lucem, per quam tuto revertantur, videant & amplectantur.

Quis ſub PHILALETHÆ nomine deliteſcat Adeptus, non attinet multis indagare, ſive is ſit, quem putant nonnulli infelicioris fati *Georgius* STARCKEIUS, Anglus, ſcriptis chymicis & præcipue eleganti Pyrotechnia orbi litterato notiſſimus, ſive quidam in America Doctor CHILDE, a quo ceu vero Auctore hunc aliosque ſub PHILALETHÆ nomine publicatos libellos illum accepiſſe ad celeberrimum HERTODUM retulit amicus, ſive denique, ut alii autumant, *Thomas* VAGHANUS. Neque etiam operæ pretium eſt inveſtigare, num *Cyrinæus Philaponus Philaletha*, *Eugenius Philaletha*, & hic noſter Pſeudonymus unus ſit idemque ſcriptor, cum omnes hi tres libellos ediderint ſtilo quidem allegorico ſibi ſimiles, artis tamen ſubjecto & operandi modo nimium quantum diſcrepantes, præſertim quando & ſub PHILALETHÆ cognomento ſchediasmata quoque ſpuria & ſophiſtica prodierunt. Satis eſt *Introitum* hunc *apertum* eſſe genuinum & authenticum, atque ex præſtantiſſimis non poſtremum Philo-

Philosophi vere adepti scriptum, quo merito gaudere possit Bibliotheca philosophica.

Memorat, se anno M. R. MDCXLV. numerasse vigesimum tertium ætatis annum, quo jam tum se Adeptum fuisse profitetur, id quod alii cuidam pariter Pseudonymo, magno quoque, si Diis placet, Philosopho adepto, nempe personato PANTALEONI, *Bifolii metallici*, *Tumuli Hermetici* & *Examinis alchemistici* noto auctori, in PHILALETHAM summe injurio, bilem admodum movet. *Quæro*, inquit, *omnes Philosophos per ignem, qui talis iuvenculus cum veneranda nostra matrona, Natura, familiaritatis & amoris potuerit contrahere? certe parum.* Sed hem larvate Leuncule! non amat Natura stolidam canitiem, neque prolixa barba eam ad amorem & familiaritatem allicit. Etiam iuvenculis ad nutum illius, qui in throno lucis sedet, natura claves porrigit, quibus introitus ad Solis Regiam pandatur, frustra interim sæpe circumcursitantibus grandævis, quibus Palatio regio exclusis Pyrotechnia clavigera dicit: *Nescio vos.* Hæc enim non nisi signo a throni lumine dato seras aperit, ut in Ecstasi sua vidit HELMONTIUS. Nemo sane adeptus, nisi PANTALEO, si talis fuerit, fratrem coadeptum hactenus tam injuriose incessit, quando ulterius *eum non per analysin & cognitionem practicam rerum naturalium, sed furto magisterii factum esse possessorem* conviciatur. Certe vel ob hoc scomma verum est, quod ipse dixit in *Bifolio metallico* c. 2. (alias profecto nimium arroganter) *sui similem ante nostra tempora non extitisse.* Quis enim unquam Philosophus tam fœdam maculam Philosopho adspersit? Quid si idem de PANTALEONE majori jure quis diceret? argumentum, quo illum impugnat, optime retorquetur. Si enim ideo theoria PHILALETHÆ verminosa est, quia phantasticis PANTALEONIS ad litteram explicationibus non respondet, quid de hujus theoreticis principiis veri sentient adepti, quorum nemo

illa pro genuinis, aut hunc pro artis filio habebit, aut ſaltem ſi talis foret, nulla illius ſcriptis magis invida atque deceptoria enunciabit? PANTALEO argumentatur: *Mercurius non animatur a Reguli martialis ſulphure per decantatas aquilas*, ergo PHILALETHA impoſtor eſt, alios falſa theoria ſeducens. Reſpondeo negando ſuppoſitum, nunquam enim id in ſenſu philoſophico, ſed tantum ad litteram, & in experimentis, qui tamen fœtus eſt ſuppoſititius, PHILALETHA docuit. Fruſtra itaque verminoſa adpellat dogmata. Defuit PANTALEONI granum ſalis, quo ille monuit, omnia intelligenda, ne litteratim procedendo ſæpius errare contingat, defuit naſus, quo plurimas, meras metaphoras olfaceret. Si acutiſſimam & ingenioſiſſimam Philalethæ theoriam ſagacius fuiſſet ruminatus, ejusque agnoviſſet vera principia, ſenſu philoſophico juxta naturæ poſſibilitatem, haud inſimulaſſet furti adeptum, qui tamen de ſe ipſo c. 13. ſic ſcribit: *Ego ſane non ex dono* (niſi Dei mei) *non furto illum lapidem poſſideo, habeo, feci & quotidie ſub ditione mea ſervo*, &c. Et hæc pro ſalvanda auctoris noſtri theoria longe elegantiſſima; in vanum enim illius, ſi adeo verminoſa foret, nucleum detegere adlaboraremus.

PHILALETHA porro duas ſcriptionis cauſas adlegat: Prima eſt, ut fratrem eum agnoſcant & ſibi parem coadepti. Eſt namque ea apud hos non tam gloriolæ ſuæ, quam Divinæ gloriæ & omnipotentiæ electionis ſibi factæ propalandæ cupiditas, ut quantumvis, ob pericula atque inſidias, nominis ſui ſuppreſſione unice colant Harpocratem, cupiant tamen mundo notum fieri, Elixiris aurifici a tot etiam prudentioribus negati poſſeſſores revera exiſtere, geſtiantque pro communicandis invicem artis arcanis ſibi invicem innoteſcere. Scientiæ namque Hermeticæ inexhauſta eſt abyſſus, cujus profunditatem impoſſibile eſt, unum duntaxat, alterumve hominem, immo vel integram

Adepto-

Adeptorum ſocietatem etiam ſexcentis experimentis, per longiſſimæ vitæ decurſum inſtitutis, attingere, neque dubium eſt unum præ altero ſublimiorem perfectioremque elaborare medicinam, eamque uberiori multiplicandi ac tingendi virtute imbuere, unde certus Philoſophus, *ſi tuus*, inquit, *lapis tingat mille, meus centum millia tinget.*

Altera & potiſſima ratio eſt, ut errorum labyrintho intricatos ad artem electos, porrecto veluti filo Ariadnæo in rectam ſemitam ducat, aut ſaltem ab aviis reducat, quo, depulſa ſophiſmatum caligine, lucem tandem conſpiciant. Quod quidem, in primis quoad opus Herculeum, de quo parciſſima apud Philoſophos antiquiores ſumme invidos eſt doctrina, PHILALETA efficaciter præſtitit, modo res ſignatæ pro ſignantibus intelligantur, & proceſſus in genuino primateriali ſubjecto unico per deſtillationes & ſublimationes philoſophicas, non vero Reguli antimonialis fuſiones, & amalgamationes Mercurii mechanicas inſtituatur, ut ſuo loco oſtendetur. Quibus quidem fidelibus ſuis præceptis plurimos ſperat ad aulam lucis perventuros, vnde mox ſubjungit:

> *Ominor porro non paucos hiſce meis laboribus illuminatos fore.*

Verum oportebit eos aſtris natos eſſe benignioribus, quam fuit PANTALEO, qui, licet *magnæ eruditionis & experientiæ Roſcius* a BORRICHIO (viro doctiſſimo, ſed arcanioris Sophiæ ſacramentis non initiato,) in *Conſpectu Scriptorum Chymicorum Num. LXII.* adpelletur, nunquam tamen Solis Regiam eſt ingreſſus, vt infra pateſcet, licet hanc de ſe opinionem mundo conciliare anxie ſatis ſtuduerit. Senſus litteralis eſt ignis fatuus, qui eum aliosque innumeros ſub ignorantiæ nocte non permiſit ſpectare illam lucem, quam præbet abſtruſum idioma hujus opuſculi

philosophici. Cum tamen, quæ ingeniorum stupenda est varietas, inter tot hominum myriades dentur non pauci, quibus doctor est sapientiæ spiritus, quo juxta naturæ simplicitatem simpliciter sint ingeniosi; sic ominatur, multos fore Oedipos, qui sufficienter intelligant, quidnam subtilissimis Mercurii sui magnetis, chalybisque, ut & columbarum aquilarumque tropis indicaverit; eo magis cum non circa entia quædam rationis abstracta, sed realia experimenta ejus institutio versetur, de quo ait:

> *Non sunt fabulæ, sed realia experimenta, quæ vidi, feci, novi, quod ex hisce lineis facile colliget adeptus.*

Scientia philosophica passim vulgi est fabula; & ipse Mercurius & Sophorum lapis non nisi otiosorum hominum ingeniosum audit commentum. Quod quidem & arti ipsisque artificibus adeptis præbet securitatem. Etenim si omnes indifferenter crederent, dari tale Elixir quævis metalla in aurum convertens, jam ad maximam professionum omnium confusionem innumeri ad Chrysopœiæ studium, utut ineptissimi, proruerent, & tametsi ipsa tinctura sufficienter ab horum tuta foret indagine, non tamen ubique a malitiosis eorum persecutionibus & insidiis sufficiens ejusdem possessoribus securitas. Magnum itaque adeptorum tutamen est, transmutationis metallicæ creditum commentum. Nihilominus, quotquot sunt Philosophi cum PHILALETHA clamant ostenduntque, non esse fabulam, quod probant autopsia, fabrica, & scientia, ubi notandum, quod videre & facere præmittat suo τὸ novisse, per solas enim experimentationes ad oculum & attactum reales indubia captatur hujus protophysicæ scientia. Notent id, qui ad Palatii Regii penetralia sola lectione librorum quærunt introitum: Nisi phæ-

nomena,

nomena, quæ in opere ipſo adparent, & ipſi viderint, & ut compareant, practice fecerint, immo niſi vel ipſi palparint deguſtarintque ſubjecta philoſophica, non poterunt ſola & ſimplici ſpeculatione theorici percipere, quæ illa ſint, ad quæ figuratis phraſibus, in una eademque re toties verſute mutatis, acute collimat PHILALETHA, quare etiam ad ſolos provocat Adeptos, eorumque fidem & teſtimonium interpellat, & pergit:

> *Quare ad bonum proximi hæc ſcribo, ſat ſit me profeſſum eſſe, neminem in hac arte ſcribentem unquam tam lucide ſcripſiſſe, meque inter ſcribendum pluries calamum repoſuiſſe, quod potius vellem ſub invidiæ larva veritatem celaſſe: At cogebat Deus, cui non potui reſiſtere, qui ſolus corda novit, cui ſoli gloria in ſeculum.*

Protophyſicæ myſteria ſub invidiæ larva celare praxis Adeptorum eſt, vnde & illorum axioma: *Qui invenit artem, invenit invidiam.* Quid autem hoc eſt aliud, ingenioſiſſime ait DICKINSONUS, quam Dianam artis filiis eodem tempore deſpondere ſimul & perpetuæ Virginitati damnare, detenta veritate, cum qua tamquam nuptiali dote collocari debet? PHILALETHA noſter ut a ſe amoveret invidiæ ſuſpicionem, omni quidem conatu laborat, ne Lector ſtili obſcurioris difficultate forſan abſterreatur. Verum non diſſimulandum eſt, eum æque ac alios caliginoſa larva Dianæ ſuæ faciem obduxiſſe, vt potius inſtar copæ artificem poſſet deterrere, quam adlicere. Eum inter ſcribendum pluries calamum repoſuiſſe facile credes; neque enim ſubtiliſſimam illam ſcriptionis telam uno filo contexuiſſe probabile eſt, ſed quod nemo tam clare, quam ipſe ſcripſerit,

merito

merito quis posset dubitare. Dico tamen, quod operis secundi, ut vocant, revera tamen tertii (si præliminare simul attendas) processum attinet, stili apertioris sinceritate nemini esse secundum. Totum namque artis arcanum in operatione prima & secunda, quibus Mercurius Sophorum paratur, consistit, quo obtento totus labor ludus puerorum & opus mulierum audit. Non minus tamen circa duas quoque primas operationes (quarum prima est prævia materiarum coaptatio manualis, altera earum in mercurium sophicum homogeneum elaboratio mere physica,) plura ab aliis occultata ingenue detexit, ut hoc quidem intuitu eum, Deo sic volente ac disponente, pro electis scripsisse vix sit dubitandum: quare quod ante dixerat, denuo repetit:

Hinc indubie colligo, multos futuros hac ultima ætate mundi hoc arcano beatos, quia fideliter scripsi, nec studioso tyroni ullum reliqui dubium non perfecte satisfactum.

Incredibile dictu est, quam immensa omni fere tempore extiterit artificum turba operi sophico insudantium. Refert *Martinus* WALTHERUS, Medicus Parisiensis, in Epistola ad *Gregorium* HORSTIUM, Archiatrum quondam Ulmensem, anno MDCIX. vel in unica tantum Galliæ provincia ultra quatuor mille repertos, qui ad aureum vellus rapiendum iter instituerint, neminem tamen, quantum constat, eo pervenisse. Ita rarus datur in orbe Adeptus, qualem vel in septendecim provinciis nullum suo tempore inventum esse scribit NORTHONUS. Longe igitur felicius erit nostrum ævum, si tot, ut ominatur PHILALETHA, arcani hujus felicitate sint beandi. Fortassis fortuna Ægypti, in qua regnante *Diocletiano* non tantum reges & sacerdotes, sed & inferioris sortis homines innumeri, SUIDA teste,

teſte, Chryſopœiam exercebant, in Europam & inprimis Germaniam noſtram redux, aurea Saturni ſecula reducet. Verum tali prædictioni eventum reſponſurum non divinarim, niſi forſitan phantaſticus aliquis Paracelſi *Elias artiſta* cuncta naturæ ſecreta revelaturus tandem ſub mundi ſenectam naſcatur, de quo luſi in D. C. T. P. M. D. V. P. Sed ex qua ſcientia PHILALETHÆ vaticinium? *quia*, inquit, *fideliter ſcripſi*. De hoc quidem jam nolo ambigere; ſed quotus proin artiſta Adeptorum ſorte hactenus fuerit beatus, teſtantur tot laborum incaſſum cum Regulo antimonii martiali & mercurio exantlatorum myriades, etiam ab illis, qui ſe non tirones, ſed in Introitu aperto jam magiſtros eſſe credebant. Scripſit, verum eſt, fideliter, ſed fidelitate philoſophica, quæ eſt, ænigmatum involucris involvere artis arcana, & fideliter celare. Etſi enim ante diceret, neminem tam clare ſcripſiſſe, intelligendum tamen & hoc ipſum eſt cum grano ſalis: Scis enim, qualem lucem porrexerit? obtulit ſcientiæ lumen, ſed denſiori quaſi teſta cornea circumdatum & obductum, ne hebetiores oculi perſtringerentur, occluſum & velatum, ne lippientibus officeret & talpas terrefaceret. Unde ob rationes mihi notas concludo, ſcriptum hoc PHILALETHÆ attentiſſime lectum & vel centies relectum, ignoranti non dabit ſcientiam Mercurii ſophici, ſed prævia hujus conficiendi notitia illius concedet intellectum, & tamen adhuc nonniſi iis, qui profundo ſunt ingenio, quale in artifice requirit LULLIUS, ut verum ſit illud HORTULANI: *Qui ſcit facere lapidem Philoſophorum, intelligit verba eorum de lapide.* Dico ego, qui compoſitionem mercurii ſophici Philalethini novit, ille ſolus & nullus alius ejusdem de hoc gryphos intelliget. Immo crediderim, dari poſſe Adeptos, qui, niſi viri litterati ſint & ingenio Oedipi, ejus ſubtilitates vix ſint percepturi. An

itaque tironi ſtudioſo nullum ſit relictum dubium, cui non perfecte ſatisfactum, ſua ſponde elucet.

Etiam ſcio multos, qui una mecum hoc arcano potiuntur, multoque plures eſſe ſum perſuaſus, quorum familiaritatem quotidie de novo, ut ita dicam, ſum brevi conſecuturus.

Noverunt ſe Sophiſtæ & familiaritatem, ut illi in comitiis apud SENDIVOGIUM Alchymiſtæ, facile contrahunt, materiis enim & laborandi modis conveniunt; cognoſcunt quoque ſe Adepti, quia noverunt materiam, ſignatam ſigno Omnipotentis, quod nemo novit, niſi qui accipit. Ita BERNARDUS *Comes Treviſanus*, cum in ſophismatum labyrintho verſaretur, nonniſi cum impoſtoribus vixit & conſuetudinem habuit, & quamvis ubique per mundum multis longisque itineribus ab anno ætatis decimo octavo ad annum usque ſexageſimum quartum quæreret Adeptum, ejus tamen notitiam atque familiaritatem adipiſci nullibi potuit. Quamprimum vero & ipſe Elixir philoſophicum eſſet conſecutus, ſtatim veluti celeusmate quodam acciti quindecim alii Philoſophi adepti in ejus notitiam ultro venerunt. Facile igitur PHILALETHA perſuadet, licet compareant *rari nantes in gurgite vaſto*, dari tamen adhuc plures, qui per ſyrtes & charybdes philoſophicas eluctati ad inſulas fortunatas adpulerint, multosque, qui jam magnam maris mediterranei partem felicibus avibus transgreſſi, in promontorio bonæ ſpei navem adligarint.

Faxit ſancta Dei voluntas, quod ſibi placuerit. Indignum me fateor, per quem talia

lia perficiantur. Tamen hisce in rebus sanctam Dei voluntatem adoro, cui subesse tenentur creata universa, ob quem solum illa condidit conditaque tuetur.

Non absque causa pia hac clausula, in qua triplex adfectus, resignationis, humilitatis, & adorationis, præfationem finit PHILALETHA, nempe ut resciret posteritas, eum non fuisse Atheum, quod de Adeptis convitiantur artis Hermeticæ osores. Impossibile namque est, Philosophum & simul Atheum esse, ut meus H. E. latius deduxit, siquidem non promptius, quam per naturæ, seu creaturarum scalas, ad ipsum Creatorem adscenditur, præsertim in Philosophia practica Hermetica, in qua omni momento est occasio magnalia Dei conspiciendi & admirandi. Vnde & axioma philosophicum: *Ars vel invenit, vel facit probum.* Dari Deum, cui creata universa subsint, & ob quem solum cuncta sunt condita, certitudo apud Adeptos est, omnem oppositi formidinem excludens, dum in opere sophico, ceu speculo lucidissimo, supremorum fidei mysteriorum imago repræsentatur, ceu FABER Monspeliensis, *Hydrolithus, & Cato chymicus* prolixe ostendunt, ad quos brevitatis causa remittimus. Quicunque igitur summa hæc naturæ arcana studio indefesso scrutatur, eandem cum PHILALETHA formet intentionem, sæpius inter labores tædiosos repetens: *Faxit sancta Dei voluntas, quod sibi placuerit. Indignum me fateor, per quem talia perficiantur.* Et si felici eventu, quod frequentissimum est, frustretur, plenissima itidem resignatione humiliter ejus effatum repetat: *Hisce in rebus sanctam Dei voluntatem adoro.* Quia Adeptorum sorte beari non est currentis, neque volantis, sed miserentis Dei. Hæc itaque pro clausula hujus præliminaris Disserta-

ſertationis in genere breviter dicta ſufficiant, cui coronidem pariter piam ex Cardinali BONA imponimus:

Domine JEſu, da, ut peragam opus iſtud ad gloriam tuam & ſalutem meam, ſicuti tibi placitum eſt.

Da mihi Sedium tuarum adſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Da mihi Domine Spiritum diſcretionis, ut vera a falſis diſcernere queam, ut ſciam eligere bonum, & reprobare malum.


Fac ut optimum finem ſemper intendam, & omnia prævideam, quæ accidere poſſunt.

Adjuva, dirige, & confirma me, ut ſecundum Te, Tecum & propter Te hoc opus perficiam, quia ſine Te nihil ſum, nihil poſſum.

Tantum præliminariter.



MEMO-



FRIDERICVS HOFFMANNVS



Regiae Maiestatis Prussiae Consiliarius intimus Archiater et Professor Medicinae Primarius, Comes Palatinus Caesareus Academiae Fridericianae Senior, Imperatoriae rossicae, Petropolitanae, Britannicae et Prussicae Academiae Scientiarum Sodalis.
Nat. 1660 Denat. d. 12 Novembr 1742.

MEMORIA
VIRI
QUONDAM
*ILLUSTRIS, MAGNIFICI ET EXCEL-
LENTISSIMI*
DOMINI
FRIDERICI HOFFMANNI
SERENISSIMO BORUSSIÆ REGI
A CONSILIIS SANCTIORIBUS ET SALU-
TIS TUTELA, COMITIS PALATINI CÆSAREI, PRO-
FESSORIS MEDICINÆ IN PATRIA PRIMI ET
PRIMARII TOTIUSQUE ACADEMIÆ
SENIORIS,
ACADEMIARUM IMPERIALIUM NATU-
RÆ CURIOSORUM UT ET PETROPOLITANÆ,
REGIARUM ETIAM SOCIETATUM LONDI-
NENSIS ATQUE BEROLINENSIS
SODALIS
HEREDITARII DOMINI CLIENTELÆ SCHWERZENSIS,
MERITIS IN OMNE HOMINUM GENUS ET IN PA-
TRIAM COMMENDATISSIMI

DIE XII. NOVEMBRIS A. S. R. MDCCXLII.

PLACIDA MORTE DEFUNCTI,
EX
PROGRAMMATE FUNEBRI
HUC TRANSLATA.



Contingunt admodum pauci, paucissimi autem superant vivendi terminum, quem vir divinus MOSES humanæ vitæ præfixum ante hos ter mille annos, & quod ample excurrit, apud Deum profitebatur. Inter tot funera, quæ in rationem libitinæ quotannis veniunt, pleraque sunt eorum, qui pueritiam non excesserunt: rari sunt, qui ad senectutis initia perducuntur: quam plurimi ætate florente abripiuntur, variis causis, bello, naufragio, inopia, curis nimiisque laboribus, omnisque generis calamitatibus, vel subitam mortem, vel morbos in illam exituros, adducentibus.

Jam vero quum adeo non frequentes sint, qui ad conspicuam & grandem ætatem perveniunt; si ipsos illos intuearis, quam paucos numerabis, quibus vita non potius pœna sit & supplicium, quam bonum, quod sibi cum recta ratione quisquam optaverit? Obversantur certe senes, qui sibi suisque oneri gravissimo spiritum ducunt: quique aut dignitatem conservare nequeunt & auctoritate pristina carent, aut prorsus gloriæ famæque suæ superstites ignobili, ac priori fortunæ admodum dispari, conditione lugent: Qui inter mille cruciatus fugientem mortem invocant: Qui demum omnino consumtis animi viribus, abolitaque reminiscendi facultate, & sensuum usu deperdito, ad primæ ætatis imbecillitatem relabuntur.

Hos autem cum nemo possit felices prædicare senes: illorum admirari & laudare sortem decet, qui vitam integram omnique dedecore puram, inter actiones Deo gratas & hominum societati proficuas, ad seros annos produxerunt; qui familiæ suæ profuerunt, liberosque ad pietatem & honestatem educatos, florentes conspiciunt; atque, in quibus victuri sunt, nepotes, sibi & a se formatis similes, amplectuntur, qui rem a se par-

ſe partam accepturi & conſervaturi ſunt; qui denique ob officia rei publicæ, amicis & egentibus præſtita, favore omnium bonorum fruuntur, quorum quisque illis annos adprecatur & incolumitatem, ipſisque conſpectis, tamquam fauſto ſidere exorto, lætatur, eos ſuſpicit, reveretur, omnique benevolentiæ genere proſequitur; quibus tandem hæc ſingula ſatis recte valentibus, atque quod gaudeant ſcientibus, Deoque gratias agentibus, contigerunt, & ad exitum ex hac vita indulgentur.

Tam optabili bono gaviſus eſt, quem hiſce diebus, eheu! amiſimus, Vir Illuſtris, variæ ac exquiſitæ eruditionis, & in medendo tam peritiæ ac dexteritatis, quam felicitatis ſumma laude celebratiſſimus **FRIDERICUS HOFFMANNUS,** *potentiſſimo Boruſſiæ Regi a conſiliis ſanctioribus & valetudinis tutela, Comes Palatinus Cæſareus, in Academia patria primus atque primarius Medicinæ Profeſſor, omniumque, qui in ea nunc docent, Senior, Academiarum ac Societatum litterariarum complurium ſodalis & clientelæ Schvverzenſis hereditarius Dominus.* Huic enim Deus dedit non ſolum bene naſci & recte inſtitui, verum etiam viriles annos adepto per varias regiones & urbes, potiſſimum autem in hac ſua patria, conſpicuis dignitatibus & muneribus adhibito, optimos ſucceſſus tribuit, ut ad ſummos honores, quos Medicorum quisquam conſequi poſſit, virtute perveniret, partamque gloriam atque gratiam apud auguſtiſſimi ſereniſſimique faſtigii perſonas conſervaret, tueretur, augeret: gravioribus autem ſenectutis incommodis ad extremam horam careret, integrisque animi viribus præſtolaretur juſſum benigniſſimi domini, quandocunque ex debilis ac marceſcentis corpuſculi tamquam vinculis liberatam animam ad cœleſtia evocare gaudia vellet.

Atque hunc diſceſſum quum diu exſpectaſſet, plenaque melioris & æternæ vitæ fiducia etiam anhelaſſet; jamque pridem res ſuas omnes compoſuiſſet; alacriter tandem perfecit, quum

ante

ante tres forte horas a litteris, quibus amicis exteris valediceret, dictitandis & subscribendis feriatus, ac cum necessariis amicis de variis rebus collocutus esset, nemoque tam celerem exitum metueret. Reddidit animam sine querela, sine cruciatu, sine oris aut corporis tractione, inter amplexus, preces & lachrymas carissimorum, filii, filiæ, nurus, neptis ac nepotis, aliorumque, qui observantissime colere illum consueverunt: suique desiderium non his solum, sed longe plurimis reliquit, qui illum, si istud precari fas fuisset, immortalem cupiebant. Quantam vero in uno viro jacturam urbs patria, academia Fridericiana, atque universa res publica fecerit, multis verbis edisserere propter illos, qui nunc vivunt, parum fortasse requiri videbitur; quum meritorum ejus fama omnem orbem pervagata sit: ne autem ventura ætas diligentiam nostram desideret, & silentium in malam partem vertat, paucis, & quantum temporis angustia permittit, de vita & meritis tanti viri exponemus.

Lucem hanc adspexit in nostra urbe, parentibus procreatus, quorum genus, sive patres spectes, sive matres requiras, inter præcipuas familias diu floruit. Primus quidem noscitur *Laurentius* HOFFMANNUS, Bambergæ in Franconia natus, qui pharmaceuticam artem calluit, & *Wolfgangi* HOLTZWIRTHI, pharmacopœi inprimis clari, filiam ELISABETHAM duxit, quam proaviam noster habuit. Erat autem HOLTZWIRTHUS non exigua isto tempore fama & dignitate. Studiorum causa Wittebergæ commoratus apud celeberrimum *Valerium* CORDUM, cum eodem Italiam adiit, Græciam atque Asiam etiam ordine una cum ipso peragraturus, & materias medicinis parandis olim commendatas in locis natalibus visurus. Sed CORDUM ab hoc proposito retraxit mors, quam Romæ oppetiit: quæ res socium non deterruit ab itinere prosequendo. A quo reversus, matrimonio

monio filiæ *Melchioris* KLINGII, JCti inprimis tunc nobilis & Cancellarii archiepiſcopalis, dignus fuit.

Laurentio & Eliſabethæ proles numerosa obtigit: ſed brevitatis cauſa numeramus duos filios, præcipue memorabiles. Horum alter, LAURENTIUS, doctrinæ medicæ præſtantiam ad poſteros teſtatam reddidit immortali libro *de vero uſu & fero abuſu medicamentorum chemicorum.* Electoris Saxoniæ JO. GEORGII Archiater fuit: & apud FERDINANDUM II. Imperatorem tanta gratia floruit, ut nobilitatem ſuæ familiæ, illaque inſignia, quibus Hoffmanni hodieque utuntur, impetraret. Alter, ANDREAS, medicinæ ſtudiis Lipſiæ imbutus, animum deinceps, parentum juſſu, ad pharmacopolii paterni curam adjecit. Hic A. CIƆIƆCXVIII. duxit GERTRUDEM, *Friderici* SEYFERTI, ædilis & camerarii, filiam, ex qua A. CIƆIƆCXXVI. ſuſcepit FRIDERICUM, qui noſtri parens factus eſt.

Quanta hujus viri fuerit eruditio, & quam indefeſſo ſtudio ſuos cives facienda arte, ac cupidos ejusdem diſcendæ juvenes domeſtica inſtitutione juverit, poſſemus multis verbis adducere, niſi ad illa feſtinaremus, quæ nobis propiora ſunt. Exſtant complures libri, qui memoriam ejus immortalem præſtant. Fuit *Godofredo* MOEBIO in curanda valetudine Sereniſſimi AUGUSTI, Ducis Saxoniæ & Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgici, collega. Habuit autem in matrimonio ANNAM MARIAM, *Friderici* KNORRII, patricii & ſenatoris filiam; quibus parentibus Deus FRIDERICUM noſtrum A. CIƆIƆCLX. die XIX. Februarii exhibuit, ut magnum patriæ decus ac ornamentum educarent. Erat autem in fatis, ut, nondum poſita prætexta, amantiſſimorum parentum omni præſidio orbaretur: quippe anni CIƆIƆCLXXV. vernali tempore ingruens popularis & valde malignus morbus intra triduum utrumque parentem & ſororem natu maximam abripiebat.

Tanta calamitas FRIDERICUM noſtrum, cum unico fratre AUGUSTO, & ſorore ANNA MARIA, haud leviter adflixit; quam non parum etiam augebat, quod incendio exorto ſuppellectilis relictæ maxima pars, cum bibliotheca paterna, conflagrabat: ut jam Hoffmanniana progenies non ſolum pia parentum cura deſtitueretur, verum etiam non modica facultatum ab ipſis relictarum portione careret. Effecit tamen Dei providentia, ut adverſa hæc, quantumvis triſtia, in bonum verterent. Nam quum mature eo redacti eſſent, ut viderent, ſibi extra domum paternam apud tutores & amicos vivendum eſſe; modicisque opibus, quæ ſupererant, magnas ſpes ſuſtentari non poſſe: Ad Deo conſtantius fidendum, ad opem divinam precibus ardentioribus efflagitandam, & ad honeſta ſtudia impenſius colenda impellebantur: & loco faſtus, quem feliciora fata adoleſcentibus facile inſpirant, vera modeſtia, & inſerviendi promtum honeſtumque ſtudium, animis eorum inoleſcebat.

Sed perſequenda ſunt, quæ ad FRIDERICUM noſtrum privatim pertinent. Hunc parentes ſui prima ætatula ad pietatem chriſtianam & mores honeſtos formaverunt. Quam primum autem annos adeptus erat, quibus ad præceptores publicos, in patrio gymnaſio docentes, mitti poſſet, uſus eſt illorum fideli inſtitutione. Inter hos plurimum debuit M. PRÆTORIO, qui tunc Rectoris munere fungebatur, docto ſane viro, & qui formanda juventute optime fuit meritus. Non enim ſolum curabat, ut ad pure ornateque loquendi ac ſcribendi facultatem noſtrum perduceret, verum etiam mathematicarum diſciplinarum cognitione, & philoſophiæ omnium partium fundamentis, ipſum imbuebat. Domi autem parenti ſuo perpetuo adhærebat, ſive is conſulentibus ægrotis præciperet quid agendum eſſet, ſive aliquam præparandis medicinis in laborato-

rio

rio operam navaret. Cumque domum ejus frequentes adirent medicinæ candidati, quos laboribus chemicis, vel anatomicis demonſtrationibus exercebat: his ſemper aderat, atque medicinæ non ſolum amorem concipiebat, ſed fundamenta ejusdem jaciebat: vereque fructum illum percipiebat, quem olim Aſclepiadarum filii, qui, cum parentibus continuo verſando, eorumque opera inſpiciendo, prope non ſentientes fiebant medici.

Hac autem domeſtica inſtitutione morte amantiſſimi parentis abrupta, tanto majori induſtria operam publicis præceptoribus dabat, usque ad A. CIↃIↃCLXXVIII. quo, judicio PRÆTORII Rectoris atque ceterorum, qui adoleſcentiam ejus moderabantur, academicis acroaſibus jam ſatis aptus habebatur. Reliquit autem gymnaſium, cujus per ſex annos civis fuerat, habita prius, PRÆTORIO moderante, diſputatione publica *de mundo*, & dicta oratione, qua præceptoribus gratias agebat & gymnaſio ejusque curatoribus, totique patriæ, fauſta adprecabatur.

Concedebat nunc in academiam Jenenſem, quam tunc celeberrimus ille *Georgius Wolffgangus* Wedelius præcipue illuſtrabat, ut undiquaque ad illum confluerent, quos artis ſalutaris diſcendæ deſiderium capiebat. Atque hunc ſibi præceptorem potiſſimum deſtinabat, ita tamen præmonitus, quod nemo dignum effatu fructum caperet a medica inſtitutione, niſi ſatis præparatus auditor accederet. Quare non perfunctoriam operam *Erhardo* WEIGELIO in addiſcendis mathematibus navabat, philoſophiam autem naturalem tunc docentem *Jo. Andr.* SCHMIDIUM, Theologum poſtea Helmſtadienſem; ſedulo auſcultabat. Primo hoc anno finiente periclitabatur jam ingenii vires, & præſide WEDELIO, *de menſtruo ventriculi*, publice diſputabat. Cognoverant jam commilitones ejus, quantum ipſis præſtaret iis ſcientiis, quos pater plane puero inſtillaverat:

quare non pauci erant, qui rogarent, ut ſe participes redderet exercitationum domeſticarum, quibus Chemiam aſſidue colebat: quorum ſtudiis, quantum poterat, ſatisfaciebat. Urebat autem ipſum magis magisque in hæc naturæ penetralia intrandi deſiderium: quo efficiebatur, ut Jena tantiſper relicta Erfordiam pergeret, celeberrimo Profeſſori *Caſparo* CRAMERO operam navaturus: cujus convictu & hoſpitio uſus, præclaros ex quotidiana & aſſidua tam docti viri conſuetudine fructus percipiebat. Totus tunc reddebatur Helmontio addictus: ex cujus doctrinis in hoc ſeceſſu ſuo conſcribebat diſſertationem *de autochiria*, ſeu illa melancholicorum triſtitia, qua, vitæ tandem ſuæ pertæſi, violentas ipſimet ſibi manus inferunt. Hanc, ad veterem præceptorem WEDELIUM redux, ipſius judicio ſubmittebat, qui, inaugurali ſpecimine dignam ratus, auctor noſtro erat, ut ſe candidatorum, qui proxime honores ſummos accepturi erant, ſocietati jungeret. Quod cum facere ipſum tutores ſui & amici juberent, examinibus ſuperatis & diſſertatione illa publice habita, brabeuta & præcone WEDELIO toties laudato, doctoralibus infulis, ineunte Februario anni CIƆIƆCLXXXI. exornabatur, qui nondum primum ſupra viceſimum vitæ annum compleverat.

Hanc dignitatem conſequutus flagrabat cupiditate, maxime quidem laudabili, omnibus comprobandi, quod docendo, cathedræque per ſe tuendæ, idoneus eſſet. Menſe itaque Majo ſequente primam ſuis auſpiciis diſputationem habebat *de Cinnabari antimonii*: quæ eruditis tantopere placebat, ut intra paucos annos, tam apud Germanos, quam Batavos, recuderetur. Major etiam erat numerus eorum, qui ad novi doctoris ſcholas chemicas confluebant, quam ut ſine livore perferre poſſent, qui ad docendum pridem acceſſerant. Quibus, quum annuo tempore profuiſſet, & labefactatas corporis vires, per irrequie-

tas cogitationes & nocturnas vigilias, perſentiſceret, nec obſcuris ſignis cognoſceret, quod pulmonibus ſuis metuendi cauſas haberet: conſilium capiebat Jenæ tantiſper relinquendæ, dum valetudinem recuperaret. Propoſuit autem ante ſuum diſceſſum novam diſputationem, *de morbo convulſivo ex viſo ſpectro*: hocque facto iter in Weſtphaliam inſtituit, ut Mindæ affinem ſuum, generoſiſſimum ac illuſtrem virum *Joach. Martinum* UNVERFÆRTH, Electoris Brandenburgici Conſiliarium & principatus Mindenſis Cancelluriam, cujus litteris ſæpe humaniſſime invitatus fuerat, inviſeret.

Iſtius itineris jucunditas, ipſiusque domus, quæ ipſum exceperat, honeſtiſſima liberalitas, adflictam Hoffmanni noſtri valetudinem brevi tempore reficiebant. Certatim enim elaborabant tam affinis, quam ſoror dilectiſſima, ut omnia ipſi ad votum comparata eſſent. Exiguo tempore interjecto, quum multis in nova urbe & regione dexteritate & peritia medendi ſuccurriſſet, indiesque plures accederent, qui ab eo, vel conſervandæ & emendandæ, vel reparandæ valetudinis cauſa, opem efflagitarent: conſilium Jenam revertendi tandem dimiſit. Expertus enim fuerat, quantum ſibi vita illa activa, quæ crebras ad ægrotos proficiſcendi occaſiones adfert, magis conduceret iſta ſedentaria, cui fere adſtricti ſunt, qui in academiis docent & ſæpe ad nimios labores compelluntur.

Hæc inter biennium ipſi integrum Mindæ effluxerat, quum exteras regiones luſtrandi deſiderio impelleretur, ut ad Batavos iter inſtitueret. Nullum negligebat doctum virum nihilque omittebat, quo juvari in amplificanda medicinæ ſcientia poſſet: in quo ipſum omni officio ac humanitate juvabat *Paul.* HERMANNUS, Halenſis, qui Botanicam apud Batavos Lugdunenſes magna nominis ſui celebritate docebat, & horti academici præfecturam gerebat. Trajecit etiam in Angliam, ac Lon-

dini & Oxonii per aliquot menſes moratus, doctorum virorum benevolentiam ſibi comparavit. Præter Illuſtrem *Robertum* BOYLE, *Frider.* etiam SLARIUM, CRELLIUM, aliosque eruditionis gloria & medendi laude præter ceteros florentes viros, familiarius cognovit, ipſorumque favorem expertus fuit.

Ab hoc itinere ſalvus & incolumis Mindam reverſus, priſtino more amicis & languentibus operam dabat, atque præſidiariæ legioni, quæ in illa urbe collocata erat, medicus dabatur. Altero anno glorioſiſſimæ memoriæ Elector FRIDERICUS WILHELMUS *medicum principatus Mindenſis* deſignabat, & honorificum *medici aulici* titulum adjiciebat. Sed eodem ad finem properante, invitabatur noſter ab ordinibus principatus Halberſtadienſis, ut *Phyſici provincialis* munus, morte ejus, qui id geſſerat, vacuefactum, ſuſciperet. Quum ſe vocantibus obſequuturum oſtendiſſet, priori abdicato munere, novam excurſionem in Brabantium & Hollandiam, comitibus affine ac ſorore, inſtituit, atque tandem, ineunte anni CIↃIↃCLXXXVIII. vere, ad Halberſtadienſes perrexit, omnium ordinum ſingulari ſtudio exceptus.

Quum adveniſſet, non ſatis ducebat, ſi intra unam urbem aut provinciam degentibus præclaras animi & doctrinæ ſuæ dotes oſtenderet atque utendas permitteret, tentandumque potius putabat, ut, omni hominum ſocietati bene conſulendo, ulteriorem famam ac gratiam conſequeretur. Impendit igitur bonas boras meditationibus, & veritatum medicarum examini. Novitatis gratia tunc inſigniter florebat doctrina *Cornelii* BONTEKOE, qui omnium, quæ adfligunt corpora noſtra, ægritudinum primas cauſas ad acidum ac viſcidum revocando, medicinam multis erroribus, implicabat. Hunc itaque modeſte adgreſſus, experientiæ ſolidiſſimis telis & rationum evidentibus argumentis oppugnavit, atque has tam paucas

paucas cauſas, ad expediendas morborum curationes, minime ſufficere, tam perſpicue oſtendit, ut integram doctrinam illam unus profligaverit. Novam exercendi ingenii & induſtriæ comprobandæ materiam dabat fons ſoterius, qui *Hornhuſæ*, in principatu Halberſtadienſi, tunc aquas ſuas, quas a multis annis negaverat, reddere incipiebat, & incredibilem hominum multitudinem, ſpe ſalutis recuperandæ, adliciebat. Noſter autem officio admonebatur, ut in naturam ac vires hujus aquæ inquireret, hominesque rectum earum uſum edoceret. Fecit hoc *ſcripto vernaculo*, quo prælufit ſimili pluribus fontibus a ſe navanda in poſterum opere.

Eodem tempore de contrahendo matrimonio primum cœpit ſerio cogitare, invenitque, Deo duce, qua meliorem optare aut fingere non potuiſſet, virginem omnibus animi, corporis ac fortunæ dotibus ornatiſſimam, JOANNAM DOROTHEAM, viri honeſtiſſimi *Andreæ* HERSTELLE, pharmacopœi Clausthalenſis & Zellerfeldenſis, unicam filiam, matronam ad exemplum probam & mariti amantiſſimam, quacum conjunctiſſime per XLVIII. annos vixit, quamque, mortalium rebus ante hos quinque annos exemtam, lacrymis & laudibus proſequebamur.

Hæc inter advenerat illud tempus, quo Halæ noſtræ eximium decus adjicere Deus decreverat, ut ſapientiæ templum, omnisque doctrinæ promtuarium redderetur. Conquirebantur undique docti viri, qui per omnes eruditionis partes ſpectati eſſent, idoneique propagandis ſcientiis habebantur. Hos inter HOFFMANNUS noſter anno CIↃIↃCLXXXXII. deſignabatur, atque etiam vocabatur, ut medicinam atque philoſophiam naturalem in nova academia doceret: quamquam adventum in hanc urbem ad ſequentis anni initia diſtulit, atque die demum Martii III. qui idem in faſtis emendatis natalem ejus XXXIV. refere-

referebat, urbem cum familia ingressus fuit, ejusdem mensis die XXIII. in publica se cathedra civibus suis primum ostendebat, & *de atheo ex artificiosissima corporis humani fabrica convincendo* verba faciebat.

Prima tunc cura erat, ut cum reliquis Collegis de rectissime condenda nova civitate litteraria, eaque legibus ac statutis munienda, in commune consuleret: proxima, ut jam præsentibus civibus prodesset. Medicas acroases mox instituebat; Junio autem mense primo ordiebatur demonstrationes physicas experimentales, tanto quidem adplausu, ut illis X. Comites, VI. Barones, atque equestris ordinis complures, nomina darent. Eodemque anno primam disputationem medicam *de generatione salium*, mense Septembri habebat: sequenti autem primam inauguralem medicam, *de saliva & ejus morbis:* quum ex ceteris facultatibus nondum ulla candidatum produxisset.

Adveniebat illa dies omnium, quæ Halæ illuxerunt, faustissima, qua serenissimus academiæ Fridericianæ conditor illam solenni & magnifica pompa dedicabat. Postridie ejus HOFFMANNUS noster, primus Decanus, decem primos Medicinæ Doctores, præsente & spectante Serenissimo FRIDERICO III. Electore, eodemque munificentissimo conditore, creabat. Mittebatur deinde una cum JCto immortalis memoriæ, *Samuele* STRYKIO, ad aulam Electoralem, ut privilegia novæ academiæ sollicitaret: quam rem ambo ex omnium voto peregerunt. Atque eundem STRYKIUM, cum quo conjunctissime semper vixit, a consulatu academico, quem *Prorectoratum* vocamus, discedentem sequutus est anno CIↃIↃCXCVI.

Longum, & tam brevi tempore, quod huic commentationi conceditur, non finiendum foret negotium, si per annorum decursum ire, & quæ notatu ac relatu digna vel ipse noster gesserit, vel ipsi acciderint, singulatim enumerare nunc vellemus.

mus. Utendum itaque erit compendio, ut ad certa capita revocemus, quæ commemoratione digniſſima videntur. Geſſit itaque Academiæ noſtræ ſupremum magiſtratum, ordine ad ſe redeuntibus faſcibus, omnino quinquies, ſumma ſemper felicitate atque tranquillitate. Nihil intermiſit in hac auctoritate poſitus, quod intelligeret, ad commodum & incrementum civitatis hujus litterariæ pertinere poſſe, multaque ex voto peregit. Quo maxime referendum eſt, quod primo ſuo conſulatu apud illuſtres proceres Ducatus Magdeburgici precibus omnique perſuaſionum genere tunc impetratum fuit, ut XXIV. civibus Academicis de victu liberali proſpiceretur. Quo feliciter confecto ad principatus Halberſtadienſis illuſtres proceres, de pari beneficio in muſarum XII. filios conferendo, preces detulit, parique facilitate obtinuit. Ut vero hi conuictores tanto beneficio in patriæ fructum uterentur, ipſique honeſtatem atque modeſtiam inter ſe, & erga hoſpites ſuos, conſervarent; leges optimas, quas prædicti proceres probaverunt, iisdem præſcripſit, ipſeque, per complures annos inſequentes, eorum cuſtos & ephorus, jubentibus utriusque provinciæ ſtatibus, fieri non detrectavit. Neque aliis etiam rebus, quæ ad utilitatem reipublicæ noſtræ litterariæ ſpectare videbantur, acriter invigilare & inhiare unquam deſtitit, omnique ſui magiſtratus auctoritate & fide ad id perficiendum diligentiſſime uſus fuit. Sic bibliothecæ academicæ primus fundamenta jecit, cum JCtus collega, D. D. SIMONIS mortuus, librariam ſuam ſuppellectilem uſibus publicis legaviſſet, &, quorſum id referendum eſſet, dubitaretur; nihil cunctatus libros iſtos academiæ vindicavit. Quoties etiam factum eſt, ut novi Profeſſores in collegium recipiendi eſſent, qua ſumma fide potuit, dignos commendando & adjuvando effecit, ut res noſtra publica nihil detrimenti caperet.

Jam vero quantæ in academiæ negotiis procurandis partes nostro etiam privato fuerint, ex eo intelligetur, quod ordinis medici Decanatum quadragies octies gessit, hacque auctoritate pollens plerisque negotiis, quæ majoris momenti erant, consilio moderandis & expediendis interfuit. Atque idem officium ordinis philosophici nomine quinquies administravit. Quo accedit, quod VII. proximis annis, Serenissimo Rege augustali libello id præcipiente, nihil, nisi consulto & audito nostro, decerni potuerit: recte scilicet ac sapienter judicante summo principe, quod is ad salutem communem optime consulturus sit, qui tam longa annorum serie in rebus academiæ versatus esset, & commodis ejus promovendis summo semper desiderio inhiasset.

Publicam rem academiæ nostræ hæc proxime quidem spectant: sed quoniam, illa rectissime constituta, fructus ad longe plures profertur, omnibusque bene est, quarum urbium & regionum cives, huc studiorum causa missi, doctiores & meliores in patriam suam redeunt: intelligitur sane his etiam, quos pro academia subiit, laboribus & certaminibus communis patriæ Germaniæ emolumenta HOFFMANNUM nostrum procurasse. Sed longe majus & incomparabile fuit bonum, quod in omne hominum genus ab eodem profectum est, illis prope quinquaginta annis, quibus professorio munere apud nos functus, impigre vel adsidentes sibi juvenes, & auditioni vacantes, præceptis atque institutis philosophiæ ac medicinæ auxit, vel aliquos, jam satis ad id instructos, ad artis opera exercenda præparavit, ad ægrotorum lectulos eosdem mittens, quidque agendum sit præcipiens, aut litteras ad exteros mittendas iisdem dictans, quibus scribendis atque expediendis quantopere aliqui adjuti fuerint, qui magnis nunc dignitatibus præfulgent, atque celsissimis personis medicinam cum laude faciunt, exem-

plis

plis ostendi posset, si res postularet. Similes sunt, qui viros rei publicæ idoneos præparant, illis, qui hortos frugiferis arboribus conserunt, nobilesque gemmas atque surculos iisdem inserunt, a quibus semel probe coalitis & conglutinatis fructus tempestive proveniunt, &, quo magis ætate confirmantur, uberiores semper atque abundantiores exhibentur. Difficile foret, numerum inire eorum, quos b. HOFFMANNUS a se formatos optimeque politos & exornatos e schola sua dimisit, quos summi reges atque principes archiatros, respublicæ ac civitates medicos, celeberrimæ autem academiæ professores sibi expetierunt. Vidimus nepotes illorum, qui doctrinis ejus imbuti fuerant, ad eundem missos, ut imbuerentur ab eodem, a quo se tinctos & imbutos patres avosque non pœnituerat.

Quamquam autem hoc genus institutionis, quando docentes optimarum artium præcepta per aures ad animos discentium demittunt, valde efficax, & ab antiquissimis temporibus commendatum fuit, haud tamen scio, annon uberior fructus ab altero, quo doctrinæ victuris chartis committuntur, exspectari possit. Nam cum vox audita mox pereat, &, ut sunt aliqui tardioris ingenii, non æque ab omnibus fideliter excipiatur, aut intelligatur; possunt utique tales ex scripto toties relegere, dum intelligere se sentiant; totiesque repetere, quoad eos, quantum proficiant, non pœnitebit. Est etiam ille fructus insignis scriptorum, quod multiplicatis exemplis per omnem mundum distribuuntur, & ad longissime absentes perveniunt, iisque discendi copiam faciunt: manent etiam, & homines docere pergunt per complura sæcula.

Hæc cogitans HOFFMANNUS noster, quantumvis aliis occupationibus quotidie distentus, scribendo tam multam operam impendit, ut, qui multitudinem lucubratorum scriptorum considerat, nihil ipsum aliud, quod ageret, habuisse, facile sibi

persuaderet. Extant disputationes ejus plures trecentis, quarum ducentas ab ipsomet b. viro conscriptas adserere non dubitamus. Ex his non paucas majori otio recensuit, & per fasciculos recudi curavit: alias, quarum argumenta in medicina systematica plenius pertractantur, sine hac cura dimisit. Amplæ & optima fruge repletæ ad *Petri* POTERII opera adnotationes fructum diligentiæ, chemicis rebus juvenili ætate impensæ, exhibent: fatendumque est, quod POTERIO vitam commendationemque reddiderint, cui periculum erat, ne memoria ejus oblivione penitus sepeliretur. Ceterum omnis medicinæ solidissimam atque inprimis perspicuam doctrinam complexus est immortali futuro opere, quod *Medicinam rationalem systematicam* inscripsit, cuique elaborando sese tunc demum accinxit, cum, sexagenario propior, eorum, quæ scripturus erat, longum multiplicemque usum habuisset, atque certum aliquid exploratumque, ad humani generis perpetuum usum, posset transmittere. Intellexerunt eximiam operis præstantiam non solum qui Germaniam incolunt medici, quorum studiis vix satisfacere bibliopola potuit, etiam identidem recusis voluminibus; verum etiam exteri, qui invito & nescio auctore editionem ejus apud Batavos, Germanos Italosque susceperunt. Quo facilius adduci se passus fuit, ut honestissimis fratribus de TOURNES, Genevensibus & Lugdunensibus typographis, veniam illam a se expetentibus, excudendorum omnium scriptorum suorum potestatem faceret, eaque, quo emendatiora prodirent, diligenter recognita, & alicubi suppleta, ad ipsos transmitteret. Eadem medicina systematica, ad quam perficiendam viginti pluresque annos impendit, apud Parisios, veste Gallica induta, prodire cœpit, jamque bina priora volumina in nostris terris conspeximus, *Jac. Joannis* BRUHERII M. D. studio procurata.

Interea

Interea dum iſtud, de quo modo dicebamus, aureum & immortale opus procudebatur, animum, gravioribus meditationibus defeſſum, ſubinde recreabat antiquis ſuis deliciis, quas chemiæ exercitium ipſi ſuppeditabat. Revocabat itaque ad incudem, repetitisque experimentis comprobabat, a ſe pridem per hos labores explorata & comperta. Atque hinc natum fuit illud volumen *Obſervationum phyſico-chemicarum ſelectiorum*, quod, tribus libris digeſtum, illuſtriſſimæ Societati Scientiarum regiæ Britannicæ, ante hos XX. annos dedicavit. Neque minus, quam ullum aliud optimi viri ſcriptum, orbi erudito placuit, lectoresque omni ævo juvabit, *Medicina conſultatoria*, quæ duodecim voluminibus conſtat, quorum quodvis quinque decurias complectitur reſponſionum, quas vel ad caſus forenſes dedit, vel medicis, aut ipſis ægrotis, conſilium expetentibus impertivit. Vernaculo ſermone, ut ſcripta erant ſingula, ita fuerunt emiſſa. Ut vero exteri poſſent fructum etiam ab hoc incomparabili opere percipere, permiſit viro cuidam doctiſſimo, operam hanc ultro ſibi depoſcenti, ut ſelectiores quasque conſultationes, in latinum ſermonem eleganter converſas, publicæ luci exponeret, duobusque voluminibus publicaret: quæ vix apud nos prelo typographorum exierant, cum jam alibi recuſa exempla eorum conſpicerentur.

Quum jam abſoluta medicina rationali ſyſtematica, atque recognitis omnibus, quæ editioni univerſorum operum deſtinaverat, otii pluſculum accepiſſet; animus autem continuis meditationibus, verique indagationi adſuetus, feriari neutiquam poſſet: nobiles curas convertit ad res graviores, ſuaque auctoritate & vita ante acta digniſſimas. Nihil magis curæ ſemper habuerat, quam ut veritates maxime utiles ac neceſſarias perſpicuo nexu propoſitas & ipſemet conciperet, & aliis proponeret. Fecit itaque periculum in ſumma ejus doctrinæ

exhibenda, quæ ad salutem nostram inprimis est necessaria; edi- ditque perbreve quidem, sed nervosum scriptum; cui titulum fecit: *Meditationes theologicæ de summa religionis christianæ:* cujus scripti fama quum ad aures Serenissimi Regis perveniret, isque cognoscere & dijudicare illud cuperet, germaniceque vertendum juberet: clementissimæ voluntati obsequutus istud hac etiam lingua legendum exhibuit.

Aliud deinceps opusculum elaboravit, quod maturæ & senilis sapientiæ specimen jure optimo maximo dixeris, aut, si id magis placet, religionem Medici. Titulum operi fecit: *Tractatus physico-theologicus, de optima philosophandi ratione in cognitione Dei, & præcipue hominis.* Solebat sæpius optare, quod & in illo scripto aperte præ se ferentem video, ut venerabiles viri, qui divinas scripturas, laudatissimo & numquam satis commendando studio, totis diebus atque noctibus scrutantur, aliquanto plus operæ ponant in rebus naturæ perquirendis, & hominis, cujus salutem omni conatu procurare student, alteram etiam partem, quæ cum anima arctissime conjuncta & copulata est, cognoscerent. Hæc quoque commendatio summis Theologis eximium in modum probata fuit: cumque essent, qui sermone vulgari conscriptam optarent; horum etiam desiderio per virum doctum satis fuit factum.

Jam autem majorne docenda, quam facienda, medicina, vir optimus fuerit, anceps videri possit disputatio. Vtraque certe facultate ita excelluit, ut ex omni antiquitate paucos, qui cum ipso comparari possint, invenire liceat. Ita quidem per omnem vitam suas rationes posuit, ut illam partem, quæ rationes agendorum requirit, ab altera, quæ experientiam ad comprobandas & confirmandas rationes, tamquam auro explorando lydium lapidem, adhibet, sejungi numquam vellet. Atque ut cognoscamus, quam parum theoriæ tribuerit, si expe-

experientia eam non confirmat; nullo alio teſtimonio opus eſt, quam ut ipſum intueamur a cathedra nuper dimiſſum, totum Helmontio quidem addictum: cujus tamen viri dogmatibus parum tribuebat, poſtquam per Weſtphaliam, & in provincia Halberſtadienſi, crebras experiendi occaſiones habuerat, quid hominem in morbos conjiciat, & quibus viis ægrotos explicare ab illis & morti ſubtrahere liceret. Illa autem via conſtanter pergens, omnium quidem, qui vitæ, ſanitatis, morborum, mortisque rationes docent, libenter audiebat ſententias & maturæ deliberationi reſervabat: nihil autem ratum firmumque ducebat, niſi experientiæ conſtanti ſuffragio comprobatum. Atque adeo medicina HOFFMANNI practica, non ut illa Ægyptiorum & Indorum, præſcripto alligata & memoriæ unius opus erat: ſed acris judicii, perpetuæque obſervationis exercitium.

Juvit autem ipſum magnopere, quod in duabus provinciis amplam inter nobiles & præcipuos homines artis opera exercendi occaſionem, per complures annos, habuerat, & cum recta ratione inſtitutas curationes felices eventus conſequuti fuerant. Ab his enim, quos juverat, etiam abſens conſulebatur: iisdemque præconibus & commendantibus plures ſemper adducebantur, qui idem beneficium ab ipſo ſe reportaturos ſperabant.

Et profecto non minus memorabile, quam admiratione dignum, quantum ipſius in arte medendi peritiæ ſummi proceres patriæ noſtræ, circa ſæculi hujus initium, quum quadrageſimum annum nuper exiiſſet, jam tribuerint; ut Moguntinus Elector ad ſe illum medicinæ cauſa evocaret, Haſſiæque principes, tam Caſſellani, quam Darmſtadienſes, conſilio ipſius uterentur: quibus mox accedebat etiam Trevirenſis. Has, tamquam longius a nobis remotas, aulas nominavimus; nam

de

de propioribus nobis Saxoniæ Ducum atque Anhaltinorum minus videri mirum poſſet, quod tanto viro, quem propius noſcebant, multum tribuerint ipſiusque opera uti voluerint.

Regiæ etiam aulæ Boruſſicæ ſatis mature innoteſcebat, præcipue commendatus per celſiſſimam Ducem Saxo-Cizenſem, quæ glorioſiſſimæ memoriæ FRIDERICI, Regis Boruſſiæ, ſoror erat, cujusque domui per complures annos a medicis conſiliis fuerat. Sed anno demum MDCCVIII. accerſebatur Berolinum, ut vacillantem ſæpeque adflictam optimi Regis valetudinem conſiliis & opera ſua ſuſtentaret. Jubebatur in aula manere; cum eo tamen, ut munus, quod apud nos acceperat, academicum non cogeretur dimittere: ad quod priori ritu & alacritate exercendum annni MDCCXII. menſe Junio revertebatur, quum quatuor illis, quibus abfuerat, ſatis didiciſſet, quanto jucundior atque tranquillior academica vita aulicæ ſplendidiori præferenda eſſet.

Solent medici, quemadmodum vina generoſa, ipſis annis ut majorem & virtutem accipere, ſic majori pretio æſtimari & a pluribus requiri. Id vere uſu venit HOFFMANNO noſtro, quem quot annis plures requirebant ſalutis ſuæ reparandæ deſiderio. Non dicam, quam multi ex remotiſſimis regionibus huc profecti fuerint, ut de ſuo morbo coram cum ipſo agerent, & curandi modos perciperent: aut hic remanentes uſi fuerint illis, quæ exhibebat: nec inibo numerum ſummorum in patria noſtra Principum, ad quos ipſemet vocatus abiit: cum ſufficiat in memoriam revocare, quod ad auguſtiſſimum CAROLUM VI. in thermas Carolinas venire juſſus fuerit, ut inter diſſentientes archiatros coram ſententiam diceret, & ſummi monarchæ valetudinem procuraret. Recentiori memoriæ obverſatur, quanda fide & induſtria, ante hos octo annos, apud glorioſiſſimæ memoriæ Regem FRIDERICUM WIL-

WILHELMUM, gravissimo tunc morbo decumbentem, versatus fuerit, quantaque felicitate tunc, una cum ambobus archiatris ordinariis, ad emendatam valetudinem reduxerit optimum patriæ patrem, ut vivo illo ac recte valente pluribus annis frueremur. Atque ab illo tempore non destitit absens etiam, & per litteras, regiæ valetudini consulere: quum grandior nostri ætas, & senilis imbecillitas, non permitterent, ut in aula perpetuo versaretur. Berolinum tunc coram spectavit, quantopere Rex clementissimus optimi senis fidem atque industriam honoraverit: æternumque loquentur clementissimæ ejusdem litteræ, quas ad HOFFMANNUM hunc jam reversum crebras dare dignatus est.

Est autem operæ pretium videre, quæ tam eximiæ artes fuerint, quibus tantam in medendo gloriam ac felicitatis famam consequutus est. Usque adeo illas non celavit, vt potius auditoribus suis easdem continuo inculcaret, librisque suis apertissime profiteretur. Ante omnia sedulo solliciteque requirebat, quis error ægrotantem in morbum conjecisset, ut, causa inventa & remota, morbi incrementa præscinderet. Deinde quum ea, quæ ad vitæ genus pertinent, rectissime constituisset, paucis utique medicinis, iisque benignissimis utplurimum & obviis, ad salutem recuperandam ita utebatur, ut festinando nihil corrumperetur, sed naturæ vires refocillatæ reliquum peragerent. Plurimum tribuebat aquæ & seri lactis patienti usui; non paucos abstinentia, aut moderatissimo usu ciborum, vini, cerevisiarum, maxime vero medicamentorum, rectæ valetudini vindicavit. Aliis auctor fuit, vt se, a laborum & curarum assiduo onere liberatos, itinere aut tempestive susceptis & productis exercitationibus corporis, reficerent. Ante omnia autem medendi præsidia plurimum tribuebat balneis & potui aquarum mineralium: horumque recto, & opti-

mæ rationi congruo uſu oſtendendo, maximum fecit operæ pretium. Neque in his tantopere commendandis uſum tantummodo & majorum commendationes ſequebatur: ſed ipſemet potius adire ſcaturigines, & ſingula per ſe explorare, atque tam uſus recti commoda, quam pravi noxios effectus, notare ſolebat. Ex quo factum eſt, ut ipſo auctore & ſuaſore nonnulla, a veterum nemine tentata, in uſum deducta fuerint, & perpetuo manſura videantur. Sic in *Carolinis* Bohemiæ *thermis*, quum antea vix uterentur niſi primaria fonte fervidiſſimo; alterius ſcaturiginis, quæ a molendino nomen accepit, uſum multis perſuaſit, auctoritatemque ipſi addidit. Effecit etiam, ut ſali, ex Carolinis his thermis parando, opera detur, illeque ad multos uſus præclariſſimos, magna copia, ad exteros dimittatur. Detexit etiam fontem in Bohemia *Sedlicenſem*, qui etiam *Seydſchüzenſis* uſurpatur: cujus tam aquæ nunc longe lateque per orbem diſtribuuntur, quam ſal ex ipſis extractus creberrimo uſu habetur. Fecit etiam auctoritatem aliis per Germaniam fontibus antea minus celebratis. Æternas HOFFMANNO noſtro gratias, ob *Selteranas* aquas tantopere prædicatas, habent urbis in tractu Trevirenſi ſitæ *Niederſeltz* incolæ, apud quos hæ aquæ ſcaturiunt: qui nunc quotannis aliquot millena lagenarum millia, non mediocri ſuo emolumento, transmittunt. Vicinumque nobis oppidum *Lauchſtadium*, Merſeburgenſi ditioni adſcriptum, HOFFMANNO uni in acceptis refert, quod antea ignobile & neglectum, nunc a multis per æſtatem ægrotis viſitur, qui balnei, ab HOFFMANNO noſtro commonſtrato & commendato uſu, a graviſſimis incommodis liberati, ad ſuos incolumes revertuntur.

Sed tempus jam pridem imperat, vel nunc tandem abrumpere hunc ſermonem, quo infinita HOFFMANNI noſtri merita practica exhaurire nec voluimus, neque ſperavimus: ſed pau-

cissimis tantum ostendere, quas potissimum medendi vias ingressus, & quibus maxime fisus fuerit. Quod superest nunc dandum videtur ceteris, quæ vel ad nobilissimam ejus familiam pertinent, vel ad extremum istum ac præcipuum vitæ suæ actum, quo se ad migrationem ex hac mortali & adflicta, ad sempiternam atque beatissimam vitam comparavit.

Jam antea commemoravimus annum, quo matrimonium contraxit cum nobilissima ac florentissima virgine, *Anna Dorothea* HERSTELLIA: quod, summa animorum conjunctione, per quadraginta & octo annos, duravit. Ex hac itaque matre familias sexies prolem suscepit: ter masculinam, totiesque sexus alterius. Ex his priori loco nata filiola, quum nondum mensem vivendo complesset, Halberstadii decessit. Primus itidem filius, in hac urbe natus, non longiorem vitam habuit. Successit iterum filia, JOHANNA DOROTHEA, quam florentissimam, omnibusque virtutibus ornatissimam virginem, vicesimo & tertio ætatis anno, mors abripuit, hectica febre implicatam. Sex annis deinde exactis luxerunt etiam ambo parentes, cum nobilissima familia, præmaturum discessum juvenis præclarissimæ spei, optimæque indolis, FRIDERICI ERNESTI, quem, quum jam laudatissimos in studiis progressus fecisset, ac salutaris artis fundamenta jaceret, in Carolinis Bohemiæ thermis febris acutissima corripuit, & mortalium consortio abstulit. Cujus tanto luctuosior jactura fuit, quum nec illud amantissimis parentibus, præcipue autem adflictissimæ matri, liceret, quod in summo luctu & squalore tamquam solatio esse solet, ut funus ipsius curare posset, & mortui genas maternis rigare lacrymis. Conditas hujus reliquias templum apud Schneebergenses præcipuum conservat.

Superesse ac durare, parentum plurimo gaudio & splendidissimæ familiæ ornamento, Deus voluit, diuque jubeat, uni-

cam filiam MARIAM SOPHIAM, anni ᴄɪɔɪɔᴄᴄ. die Februarii XII. natam, & anno ᴄɪɔɪɔᴄᴄxxɪᴠ. viro Illuſtri & conſultiſſimo D. *Erneſto Ludovico* SCHMALTZIO, potentiſſimo, Boruſſiæ regi a ſanctioribus conſiliis, ſupremo iſti Collegio, quod Directorium generale dicitur, cum voto & ſeſſione adſcripto, matrimonio collocatam, perfectiſſimi exempli matronam. Ex hac natos nepotes neptesque quinque vidit & exoſculatus eſt avus indulgentiſſimus. Prima naſcendi ſors obtigit FRIDERICÆ SOPHIÆ, altera CHRISTOPHORO LUDOVICO: tertia CAROLÆ WILHELMINÆ. Quartum FRIDERICUM parentibus Deus oſtendit & ſexto die mortalium rebus exemit. Quintum denique locum tenuit FRIDERICUS ERNESTUS, cui, cum omni SCHMALTZIANA progenie, annos incolumitatemque adprecamur, & ut HOFFMANNIANÆ domus felicitatem conſequantur, nominisque gloriam tueantur, illuſtribusque parentibus ſimillimi omnes evadant, Deum benigniſſimum imploramus.

Unicus, quem magno parenti ſuperſtitem Deus voluit, filius, *Fridericus* HOFFMANNUS, patriis artibus ut virtutibus abunde excultus, potentiſſimi Regis Boruſſiæ Conſiliarius aulicus & medicinæ Profeſſor publicus ordinarius, collega nobis conjunctiſſimus, lucem hanc adſpexit anni ᴄɪɔɪɔᴄᴄɪɪɪ. die xɪx. Auguſti. Huic nuper gratulati ſumus felix matrimonium, quod, ſenis parentis maximo gaudio, contrahebat cum virgine lectiſſima & omnibus virtutum decoribus fortunæque dotibus ornatiſſima CHRISTIANA CAROLINA, viri nobiliſſimi & eximii *Jo. Friderici* SELLENTINI, mercatoris in hac urbe magnarii, filia contraxit. Rata Deus vota habeat, quæcunque optimi parentes utriusque conjugis, quæque reliqui amici ſuſceperunt: faciatque, ut FRIDERICUS, FRID. F. FRID. N. HOFFMANNIANÆ familiæ decus in filios nepotesque patri, avo, proavo,

cete-

ceterisque majoribus digniſſimos, longa ſerie propaget, ut in ipſis conſpiciamus, quam vere Deus ſe colentibus, & ex animo obſervantibus, felicitatem, in ipſam progeniem atque natos natorum ſucceſſuram, pollicitus fuerit.

Dicendum tandem ſupereſt, quomodo beatus noſter HOFFMANNUS ex hac vita diſceſſerit. Menſis Octobris quarto die, graviſſima moleſtia a defluxione in pulmones corripiebatur, cum tuſſi perpetua & moleſtiſſima, quæ noctibus præcipue ingraveſcebat, & vix interquieſcendi moras concedebat. Hæc per aliquot dies durabant, & ſenio confecti corpuſculi vires nimium depaſcebantur. Minuebantur inde, & ſatis bene diſcedebant moleſtiæ pectori præcipue graves, jamque ſatis libere ſpirabat, emotisque ſputis nihil ſupereſſe videbatur, quam ut vires recuperaret. Enimuèro hæ, ſatis tarde minutimque collectæ, mox iterum diſſipabantur febricula lenta & marasmode, quæ verſus veſperam exaſperabatur, noctesque fere inſomnes reddebat. Pulſus, jam ab aliquo tempore inæqualis & intermittens, nuncque indies debilior notabatur: adpetitus omnino proſternebatur. Quæ quum ſingula durarent, neque conſtantem emendationem admitterent; nemo non videbat, quid exſpectandum propediem eſſet? Omnium id optime ſentiebat b. ſenex, & quam prævidebat proxime inſtare, animæ ad Deum migrationem, conſtantiſſima in Deum fiducia anhelabat, planeque cupiebat diſſolvi, & cum CHRISTO eſſe. Hoc omnibus ſermonibus teſtabatur, quibus pia ſemper vota pro Regis Regiæque domus ſalute, proque academiæ Fridericianæ flore & incrementis, pro amicorum omnium felicitate intermiſcebat.

Quum res familiæ omnes diſpoſuiſſet, atque de ſingulis etiam, quæ fieri diſceſſu ſuo vellet, mandaviſſet; litteras ad potentiſſimum Regem dictabat, quibus pietatem ſuam Regiæ Majeſtati domuique immortalem teſtabatur, ſubmiſſiſſimisque ver-

bis gratias agebat pro beneficiis innumeris, quæ a Regia & Electorali domo Borusso - Brandenburgica, sub quatuor summis principibus, quibus e servitio per LVI. annos fuerat, percepisset. Quod per insequens triduum supererat temporis, ejus non modicam partem amicis impertiebatur, quorum aliquibus absentibus amorem benevolentiamque, dictatis & subscriptis litteris, testabatur: de multis etiam mandabat certis amicis, ut, si prius discessisset, quam officium per se explere posset, id suo nomine apud illos vellent efficere. Id cum novissimo vitæ suæ egisset die, paululumque feriatus, & cum necessariis amicis collocutus esset, ab horum discessu cupiebat paululum e lecto tolli: quo facto viribus omnino exsolvi videbatur. Unde eum illico reponebant, adhibitisque fomentis frictionibusque ad se revocabant. Sed brevis erat fructus auxilium, moxque rediens fortior syncope ita omnes actiones simul efflabat, ut nullius earum superstite vestigio, dubitari amplius non posset, Deum dissolvisse illud vinculum, quo tam nobilis anima corpori per annos prope octoginta & tres copulata fuerat. Accidit hoc, cum post septimam vespertinam quarta pars horæ effluxisset, die duodecimo Novembris, præsentibus necessariis amicis, & quibusdam familiaribus, qui, ut in tam recenti dolore, acerbis lachrymis rigens & exanime corpus perfundebant, animæque ad Deum migranti æternum have dicebant.

Is fuit exitus viri illustris & incomparabilis, qui patriæ suæ eximium & incomparabile decus omni tempore habebitur: qui academiam Fridericianam consiliis & auctoritate longius, quam quisquam alius, adiuvit & moderatus est: qui cives innumeros ad illam attraxit, eosque meliores doctioresque remisit: qui orbem medicum doctrina vera & perspicua illustravit, & quamdiu erunt medici, cognoscetur ac in honore erit: qui monarchis ac principibus, medioxumis & minimis, arte sua saluti fuit,

&

& per immortalia ſcripta eſſe numquam deſinet: qui pauperum fuit certiſſimum perfugium, atque perpetuo beneficio viduis proſpexit: qui vera φιλανθρωπίᾳ hominum univerſum genus proſequutus, quidquid ad ejus ſalutem veramque felicitatem compertum habebat, in innumeros diſcipulos, victurosque libros transmiſit: qui horum omnium tamquam ignarus meritorum, ab omni faſtu remotiſſimus vixit: qui, nullo horum ſalutem apud Deum ſe mereri poſſe, omnino perſuaſus, in una Dei miſericordia, & Servatoris unici perpeſſionibus fiduciam firmam collocavit, huicque unice animam reſignavit.

Subnectendus quidem nunc eſſet Catalogus Scriptorum, intra ſexaginta annorum ſpatium ab Illuſtri noſtro HOFFMANNO publicam in lucem editorum; cum vero non ſolum in antecedentibus principaliorum ſufficiens jamjam facta ſit mentio, ſed & inſuper, præter Conſpectum eorum, ab ipſo beate defuncto Auctore Ao. CIƆIƆCCXXIX. promulgatum, & dein a celeberrimo E. G. STRUVIO, nunc pariter cœlitibus adſcripto, ad annum usque CIƆIƆCCXXXIV. continuatum, exactiſſimus omnibusque numeris perfectus, ac ſimul uberrimis adnotationibus illuſtratus Catalogus inter Funeralia Illuſtris hujus Viri, nuperrime publici juris facta, proſtet, merito, ob concurrentem ſimul ſpatii anguſtiam, eundem heic omittimus, non dubitantes, quin plurimorum in manibus idem ille jam verſetur. Quantas interim tam illuſtri atque tam probe per omnia merito Viro gratias univerſa patria & *Fridericiana Regia*, immo & ipſe orbis litteratus medicus debeat, eſt in propatulo. Non minores ſane noſtra quoque *Imperialis Academia Naturæ Curioſorum* Eidem adhuc perſolvere tenetur, utpote cui per decem fere luſtra ſingulari prorſus fuit ornamento, & licet reliqui labores concatenati graviſſimi ingensque ſcriptorum illorum doctiſſimorum multitudo, non permiſerint, ut ad Ephemerides ipſius Actaque phyſico-medica

dica complures conferre potuerit obſervationes utiliſſimas, multis tamen aliis modis incrementum & emolumentum Ejusdem promovere nequaquam intermiſit; præcipue vero recens adornatæ *Bibliothecæ* augmentum curæ ſemper cordique habuit, luculentiſſimumque ejus teſtimonium etiam in extrema vitæ periodo adhuc præbuit: Paucis enim ante beatiſſimam ἀνάλυσιν diebus, non ſolum in litteris, ad præſentem Academiæ noſtræ Dn. Præſidem datis, ultimum Ei & ſingulis Dnn. Collegis dixit Vale, ſed & iisdem quatuor illa Operum ſuorum Volumina, apud Genevenſes nuperrime excuſa & nitidiſſime jamjam compacta, adjungi curavit, brevique poſt ad cœlites migravit Illuſtris hic noſter Senex, ita ut debitas pro eximia hacce munificentia Ipſi gratias exſolvere non licuerit, unde ſuo & Academiæ nomine illas publice in Elegia quadam præſtare decrevit præfatus noſter Dn. Præſes, quam idcirco etiam coronidis loco heic adjunctam exhibemus.



SUPRE-

SUPREMUM

HONORIS ET AMORIS OFFICIUM,

QUO

VIRUM, DUM VIVERET,

ILLUSTREM

FRIDERICUM HOFFMANNUM,

S. R. M. BORUSSICÆ CONSILIARIUM INTIMUM ET ARCHIATRUM, ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ, QUÆ EST HALÆ MAGDEBURGICÆ, SENIOREM ET PROFESSOREM MEDICINÆ PRIMARIUM, &c.

A. D. XII. NOVEMB. A. MDCCXLII.

BEATE DEFUNCTUM,

COLLEGAM QUONDAM SUUM,

PROSECUTA EST

ACADEMIA NATURÆ CURIOSORUM,

INTERPRETE

EIUSDEM PRÆSIDE,

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACR. CÆSAR. MAJEST. CONSILIAR. ARCHIAT. ET COM. PALATINO, S. R. I. NOBILI, CHYMIÆ PROF. PUBL. ET FACULTAT. MED. ADSESS. ORDIN. NEC NON REG. BEROLINENS. SOCIETAT. SCIENT. SODALI.

Ergone litterulæ vertunt in funebre carmen!
Nec feriet ſummum lumina clauſa Vale!
Non licet extremas vivo perſolvere grates,
Non, vel pro tanto munere ferre novo!
Miſerat acceptam, niſi quod poſtrema, ſalutem
Ætate & meritis atque docendo PATER,
HOFFMANNUS, laus Halæ; & mens præſaga futuri
Dixerat æternum, mox abitura, Vale;
Addideratque ſuos, tot cuſa volumina, *libros*,
Quos caperet ſocii Bibliotheca chori,
Sic ornata SENIS præclara dote, propinqua
Ut poſt fata ferat nobile mnemoſynon.
Continuo calamum arripio, reſponſa daturus,
Affectu tali quæ fatis æqua forent.
Ecce ſuperveniens hunc nuncius excutit, uſum
Humanum referens jam renuiſſe VIRUM.
Sic HOFFMANNIADES fuit! O quos acris in unum
Naturæ junxit Cura ſodalitium;
En qualis quantusque fuit COLLEGA! relicto
Quantum inſtar periit præſidiumque choro!
Si quid in humanis rebus valet, eſſe ſodalem,
Cui ſua regna volens panderat alma ſalus;
Si, cujus meritas æterna volumina laudes
Diſtulerant, ſapiens quo volat usque liber;
Si, Natura ſuas leges cui tota recluſit,
Quique ſagaci illas igne imitatus erat;
Sique, tot autorem quem ſortis & artis habebant,
Inque his o noſtri pars quoque magna chori;
Denique ſi, per luſtra novem, quodque exiit ultra,
Usque ſodalitii grande fuiſſe decus:
Quantum nominibus nobis fuit hiſce colendus
HOFFMANNUS, noſtri gloria magna gregis!

Fallor an & Socium jam nunc bene noſcimus, ex quo
  Tot bona cum Socio ſuſtulit una dies?
Et deſiderium ſubit æquum abſentis amici,
  Quantumvis ſenii lex revocare vetat:
Et tacitus Functi luctus pia pectora turbat,
  Juſſerit ut lætos funeris Ille modos.
Carmina læta TUO, Venerande, in funere nobis
  Præcipis? & queſtus hinc procul eſſe jubes?
Si fas, mortales ſua commoda plangere rapta;
  Si, quod amas, abſens indoluiſſe licet;
Si pungit decuſſus honor: non juſtior ullus,
  Quam dolor eſt noſter, TE fugiente, PATER,
Mortalis cordis jam ſenſu ignoſce gementi:
  Namque TUOS ſenſus purior aura vehit;
TE jam longa tenent æternæ gaudia lucis,
  Nec noſtræ noctis tangere triſte poteſt.
Quin adeo quod adhuc ægræ vetus incola terræ
  Jubila poſcebas ad TUA buſta cani:
Jam TUA ſpirabat tum mens divinius, atque
  Jam propius fontem venerat illa Deum;
Jam, quæ terrigenum tot cauſa eſt una dolorum,
  Arbitrii ſummi tædia cæca Patris,
Errorisque ſui variæque cupidinis æſtus,
  Longius ex ſancto pectore pulſus erat;
At novus ex cœlis animus, cœlumque requirens,
  In læto requiem norat amore Dei;
Quasque tulit leges Deus & Natura, perito,
  Has erat in jacta ſorte ſuave ſequi.
Quam juvat, ignoto mortalem aſſueſcere cœlo,
  Rebus & humanis addita ſcita coli
Quam, regem terrarum & cœli agnoſcere Chriſtum,
  Atque illi affectus ſacrificare ſuos!

In contingenti divinum cernere verum,
Atque a ſenſibili ſcandere tecta poli!
Inprimis Dominum cognoſcere in Arte miniſtra,
Naturæque ſuo facta referre Deo!
Taliter HOFFMANNUS, quamvis haud clauſtra ſecutus,
Ut Chriſtum deceat, tradidit ipſe, ſequi,
Monſtravitque viam exemplo; ſolumque beata
Obſequium Domini reddere fata pium:
Atque hominis mundique ex mole coarguit apta
Degeneres homines, quos piget eſſe Deum:
Nec melior Noſtro ſapientia judice ſenſus,
Credere, quam rebus teſtibus, eſſe Deum.
Quantos alma VIRO oſtendit Natura receſſus!
Quem Medicum dux hæc atque magiſtra dedit!
Humanæ fabricæ rationem, effecta, modumque
Compererat, ſua quæ prenderat ipſa manus.
Mille ſalutiferas oculis tractaverat herbas,
Proque ſuis vires norat habere locis.
Rararum fuerat rerum collecta ſupellex:
Cujusque ingenium viderat Ille ſoli.
Quæ Natura dedit fragili tutamina vitæ,
Quis melius doctis condidit illa libris?
Quæque ars expromit ſolamina cordibus ægris,
An melior, faceret præciperetve, fuit?
Præcipue Fontes ſtant hoc auctore ſalubres,
Ubere quos fundunt Teutonis arva ſinu.
Tractavitque ignis ſollers penetrabile telum,
Et retulit ditis pulchra reperta foci.
Præterea, Medicam juvenis qui fecerat artem,
Extremo, mirum! fecerat usque die.
Idem ægris tulit innumeris qua laude medelas,
Hac ſimul innumeros imbuit arte viros.

Quam

Quam bene multijugum hiſtoriam moresque dolorum
  Narrat, queisque juvat machina viva modis!
Quam bene conſtituit Naturæ imitamina legum,
  Quam poſuit certas in medicando vias!
Adde, quod & terſo decoravit ſcripta Latino,
  Perſpicuoque animum prodidit ore ſuum;
Atque vetuſtatis ſparſa eſt ſapientia paſſim
  Et quæ plura ætas addidit inde recens.
Hæc TIBI, DIVE PATER, felicis ſemina vitæ;
  Legibus his belle ſcena peracta fuit.
TE reges urbesque amplæ, TE academia clara
  Vexit ad extremos ambitioſa gradus.
Æmula TE fuerant Collegia habere ſodalem;
  Noſtrum præ reliquis juvit habere diu.
TE proceres adhibere manus ſibi, TEque remotæ
  Optarunt gentes conſuluiſſe ſibi.
TE veneraturus venit plaudente Britannus
  Ex patria, placeat quamlibet illa ſibi:
Venit & ex lautis quantumvis Belga Lyceis:
  Atque ſuos linquens Gallia Pariſios:
Helvetus, ingenio fidens licet ille valenti:
  Et noſtris Italus rarus in hoſpitiis:
Hungarus, & Tranſylvanus, calidusque Polonus:
  Et lare de patrio Moſcus abire piger:
Normannus, Cimberque, Gothus, quemque ultima Thule
  Mittit Hyperboreis trans freta lata jugis.
Undique prela TUAS vulgarunt extera chartas,
  Quas repetita tamen patria ſæpe dabant:
Atque adeo impatiens vivacis ſero ſenectæ
  Surreptas aliquis prodidit ante diem.
Hinc Germana ſuo ſeſe jactabat alumno
  Tellus: Hala ſuo cive celebris erat.

Fortunata diu, TE non indigna, propago
 Venerat ad patrios TE ſuperante gradus.
Ultro fuſarum non ſordida copia rerum
 Lautorum poterat TE poſuiſſe loco.
Felix ipſe TUÆ famæ votisque ſuperſtes,
 Excellens poteras perficere artis opus.
En revocat magnus TE rex, Grandæve, medentem,
 Funeris & remoras imputat ipſe TIBI.
Ultima ſpes hominum plenos TE duxit ad annos:
 Limina ſic fati præmeditatus adis;
Sic vitam claudis promiſſa in ſorte piorum;
 Sic animo repetis divus ovante Deum.
Tanta TIBI fuerat gaudendi in fine dierum
 Materies: quid nos, Sancte, dolere decet!
O igitur procul hinc atros auferte cupreſſos!
 Cede rogo triſtis nænia cum lacrimis!
Florentes at ferte roſas, date laurea ſerta!
 Hymnus in exequiis conſonet hiſce frequens!
Sic æquum foret: at TE, Dilectiſſime, raptum
 Neſcio quæ tacito pectore cura ſedet.
Jamque vale, gratesque, PATER, nunc accipe juſtas,
 Qui fueris noſtri gloria tanta chori:
Qui noſtrum imbueris coram tot in arte ſalubri,
 Aſt omnes gravibus perpetuisque libris:
Denique qui noſtram tam lauto Bibliothecam
 Munere ſupremos auxeris ante dies.
Noſtra quidem hæc pietas juſſit TIBI ſolvere juſta:
 Jam, PATER, æternum denique ave atque vale!

❧)o(❧

GEORGIUS SIGISMUNDUS LIEBEZEIT,

NOBILIS HUNGARUS,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTOR, SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGO BYRUTINI CONSILIARIUS ET ARCHIATER,

IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA

COGNOMENTO NILEUS,

LIBERÆ REGIÆQUE CIVITATIS SEMPRONIENSIS PHYSICUS ORDINARIUS,

IN FUNERIS SUI CELEBRITATE

ANNO CHRISTIANO CIƆIƆCCXXXIX. VIII. IDUS DECEMBRES LAUDATUS

A

DANIELE HAYNOCZI,

GYMNASII SEMPRON. EVANGEL. CONRECTORE,


Ptandum fuiſſet, comites exſequiarum, ceterique Auditores, omnium ordinum, mœſtiſſimi, ut annum hunc exeuntem feliciores clauderemus, quam ſumus ingreſſi. At neque mortales ſemper aliquid optatis proficiunt, &, fato quodam iratiore, factum eſt, ut, quam ille inauſpicato nobis iniit, tam exeat luctuoſus. Fatalis fuit rei noſtræ publicæ menſis primus, civili juxta & ſanctiori. Nam, ut alios caſus funeſtos prætercam, noſtis, me vel tacente, quam præſtantes duos viros amiſerimus: alterum quidem, qui præcipuum in ſenatu locum obtinebat, virum de patria præclare meritum; alterum autem incomparabilem illum, cujus, ſine doloris ſenſu, meminiſſe non poſſumus, Theologum: utrumque funus tam brevi temporis intervallo elatum, ut, cum priori adhuc juſta perſolverentur, triſtiſſimus de alterius obitu nuncius per ora, euntium exſequias, dimanaret, & vulneri recens accepto, vulnus longe gravius infligeret. Stupebant omnium mentes, jacturæ utriusque magnitudine, &, quis tandem futurus ſit anni exitus, niſi modus cœptis calamitatibus ponatur, non ſine horrore, cogitabant. Benignius quidem nobiscum tandem, quam ipſi ſperare auſi fuiſſemus, agebatur. Ex eo enim tempore, quod Deo in beneficiis acceptum referimus, neque funus in cœtu noſtro, quod alicujus fuiſſet nominis, elatum eſt, &, in tanta omnium trepidatione metuque, ac periculo peſtilentis, qui multas patriæ urbes provinciasque contagione corripuit, vix unquam minus, quam hoc anno, vel ſenſit morborum, vel funerum civitas noſtra numeravit. Vix tamen ſupremum attigimus menſem, novum is nobis exhibet ſpectaculum, nihilo minus luctuoſum, tertiumque nobis eripuit virum, prioribus dignitate uſuque publico, ſi non ſuperiorem, certe ſupparem. Ne quid enim communi deſit calamitati, excuſſo primum a gubernaculis, quæ prætor tertium tenebat, juris ac juſtitiæ ſacerdote, SAILERO, ſublato paulo poſt ab aris ſacro-

ſacrorum præſule, & religionis interprete integerrimo, PILGRAMO, tertium nunc, ex ordine quidem alio, dejectum ac proſtratum, luctu publico, efferimus antiſtitem. Antiſtitem, inquam, vitæ valetudinisque noſtræ communem, ſacerdotem naturæ, atque interpretem publicum

GEORGIUM SIGISMUNDUM LIEBEZEIT,

cui, rebus humanis exemto, ut ſupremum honoris ac pietatis officium perſolveretur, ad hanc funeris celebritatem, tam frequentes, non ſine dolore, confluximus.

Huic tamen ſi ex merito honor eſſet habendus, alium meo loco ſtare oporteret Oratorem, qui & veſtræ exſpectationi, Auditores, faceret ſatis, & ab ſcientia artis ſalutaris inſtructus, ingenioque præditus divino, cultiore dicendi genere, tam excellentis viri laudes perſequeretur. Nec meritorum tantum gloria hoc poſtulat, ſed priſci quoque moris, ad imitandum propoſita, veneratio. Noſtis enim vos ipſi, quem honorem veteres habuerint viris, ſalutari medendi ſcientia excellentibus, quamve iſti nominis celebritatem poſt ſe reliquerint. Quis enim eſt, cui ignoti ſint recentioris ævi Arabes, AVICENNA & AVERROES? aut ante hos præclara illa Græciæ lumina, GALENUS, HIPPOCRATES, ASCLEPIADES; aut, bello Trojano, PODALIRIUS & MACHAON? quorum famam, ut non ingrata poſteritas adhuc conſervavit, ita omnes quoque anni excipient conſequentes. Quid jam dicemus de primis artis hujus inventoribus, ſive de ÆSCULAPIO, qui clinicen, ſive de patre ejus APOLLINE, qui ocularíam, ſive de Saturni filio, CHIRONE, qui herbariam, chirurgicamque, princeps inveniſſe traditur, quos partim artis, ab ſe repertæ, claritudo, præſtantia, ſummaque utilitas, partim probata, in curandis morbis, felicitas, in cœlum elatos, immortalitate non ſolum nominis donavit, verum divinis etiam honoribus, fato functos, auxit & cumulavit? Medico noſtro divinos præſtare honores, religio vetat, at eadem

tamen non prohibet, quo minus dignis, in hoc exſequiarum officio, laudibus extollatur, ſi modo parem ſuæ virtuti nactus fuiſſet laudatorem. Quæ enim cunque in boni medici decoribus poni ſolent, eorum vix aliquid in noſtro cenſor, æqui obſervans juſtique, deſideravit. Sive enim ſcientiam ſpectes, quæ, præter pulcherrimam rerum naturalium intelligentiam, accurata ſolidaque cum morborum, tum remediorum, cognitione abſolvitur; ſive nihilo minus neceſſariam, quam incredibilis rerum, curationem morborum circumſtantium, varietas requirit, & quæ non, niſi longinquo multorum annorum uſu experientiaque, comparatur, prudentiam; ſive denique bonæ ac religioſæ mentis integritatem, qua medicus, non modo ipſe, recto divini numinis ſenſu metuque, ſit præditus, ſed aliorum quoque animos non indiligentius curet, interitus expertes, quam fragilia, mortalitatique obnoxia, corpora: vix, inquam, horum aliquid noſtro defuit Machaoni.

Non rei medicæ ſcientia. Ad hanc enim ut natus videbatur, ſic a puero ſibi ſtudioſius in eo elaborandum exiſtimavit, ut, ſuperficiaria rerum cognitione, vanaque ejus jactantia, circuitoribus & aliis, medicos ſe fingentibus, relicta, ipſe intimos omnium diſciplinarum, quæ ad præſens inſtitutum faciunt, receſſus penitius pervideret, vim naturæ totam, quoad ejus fieri poteſt, ſcrupuloſius pernoſceret, fonteſque omnium, quibus ea laborat, corruptelarum, ac vitiorum, rationemque juvandi male adfectos, ſollicitius perveſtigaret. Hoc animo, non tantum domeſticorum diſciplinæ magiſtrorum ſeſe erudiendum tradidit, verum etiam, ad omnem ſic domi cultum ac humanitatem formatus, peradoleſcens, anno ætatis duodeviceſimo, qui erat ſeculi octavus, ſolidioris eruditionis gratia, ſedes muſarum Saxoniæ academicas, felicibus auſpiciis, adiit. In harum conſortio annos fere quinque, laudabiliter verſatus, primum quidem Halæ Magdeburgicæ medicos, ætate illa celeberrimos, *Albertios*, *Stahlios*, *Hoffmannos*, alios, deinde Lugduni

quo-

quoque Batavorum, præter alios, illuſtrem illum ſui temporis Æſculapium, hoc demum anno, ut accepimus, vita functum, *Boerhaaven*, in inveſtigandis ſtudii tam ardui myſteriis, viaque ad feliciorem artis exercitationem inquirenda, doctores ducesque ſpectatæ fidei, non modo nactus, ſed etiam gradu haud impari ſequutus eſt. Horum enim fide, atque inſtitutione eas fecit, in hoc ſtudii genere, progreſſiones, ut, poſtquam ex Batavis Fridericianam repetiiſſet, dato comparatæ eruditionis documento, *de fœda nefandaque abortus promotione*, docte commentatus, viam ſibi ad dignitatem aperiret, & ſummos laureæ medicæ honores, anno Chriſtiano MDCCXIII. exhibente, ritu majorum, inſignia, illuſtrium viro meritorum, *Friderico* HOFFMANNO, adplauſu omnium maximo, conſequeretur. Nomen autem hoc ut facto tueretur, auſpicatumque artis ſuæ periculum faceret, quinto, quam exierat, anno, in patriam revertit. Qua re haud infeliciter cœpta, ſæviente tum in patriæ viſcera morbi peſtilentis lue, ſic induſtriam ſuam quotidianis experimentis exercebat, ut & ſe, in adhibendæ curationis prudentia, redderet confirmatiorem, & amorem benevolentiamque omnium bonorum domi, apud exteros famam æſtimationemque haud exiguam ſibi compararit. Noſtis enim ipſimet, quantum gratia, cum apud optimum quemque, tum præſertim apud *Joannem Georgium* POCHIVM, cui, in conſulatu mortuo, ſedecim abhinc annis, ex hoc ipſo loco parentatum eſt, vel apud incorruptæ religionis ſacerdotem, etiam poſt fata venerabilem *Michaëlem* MEISNERUM, valuerit. Illius enim cum privignus eſſet, obſequio tamen ac pietate ita ſibi animum devinxit, ut, nullo non tempore, filii locum caritatemque obtineret. Hic vero filiam quoque, ſingularibus animi corporisque dotibus conſpicuam, quia, in deligendis generis, Themiſtoclis exemplo, non ludibria fortunæ, ſed viros quærebat, medico, probatæ jam fidei, atque multæ experientiæ, nuptui collocare, nullus dubi-

tavit. Sed non ista solum, quæ privata videntur, verum alia etiam publica existimationis bonæ ac dignitatis documenta Nostri merita illustrarunt. Postquam enim salutarem artis scientiam, septem annorum usu exercitationeque, firmasset, Patres urbis nostræ conscripti, anno MDXX. decedente tum, acerrimi medico judicii, GENSELIO, non melius publicæ saluti consuli posse, judicarunt, quam si ejusdem salutis ac valetudinis, privatim ac publice curandæ, custodem præsidemque constituerent LIEBEZEITIUM. Vix hanc ornare cœperat provinciam, supervenit, anno postero, ne opinanti quidem, auctoritatis fideique Cæsareæ diploma, quo in consortium Collegarum Illustris Nat. Curios. Societatis Leopoldino-Carolinæ, principem locum in ea tenente, *Luca* SCHROECKIO, ultro receptus, cognomentumque NILEI, *Galeno* & *Celso* laudatum, indeptus est. Qui vero honor non confertur, nisi viris, ingenii acumine, doctrinæ excellentia, longinquo rerum usu atque experientia, laborisque industria, clarissimis, &, qui non modo curandis ægrotis, numeros suæ professionis implere studerent, sed, qui simul amplissimo rerum naturalium studio curiosius dediti, & *nunquam otiosi*, sive splendidos illos cœli orbes, sive admiranda cujusque generis animalium agmina, sive pretiosos abditosque terræ ac montium thesauros, sive varias plantarum structuras ac delicias, sive inexhaustas aquarum scaturigines ac virtutes, sive quæcunque alia, quæ cœlo, quæ aëre, quæ terra, quæ mari, aut continentur, aut fiunt, haud obiter intuentes, ubique id, quod verum, quod scitu pulchrum, quod necessarium esset ac salutare, curatius investigarent, orbi litterato bona fide detegerent, atque hac ratione, cunctis mortalibus Deum præsentem demonstrantes, communem humani generis salutem promoverent. Habet omnino Sempronium nostrum, cur hoc nomine sibi gratuletur, quod cum aliis Societatibus eruditorum, apud exteros principes, sapienti consilio,

con-

constitutis, tum præsertim inclutæ huic Academiæ, diffusæ per totum orbem terrarum, generet foveatque viros, quorum celebritate illustres prisci ævi medici, tamquam ex bustis ad vitam revocati, in hoc orbis theatrum revertuntur. Etsi enim aliæ quoque Hungariæ urbes vel ediderunt, vel coluerunt ingenia, quæ patriam non minus, quam Societatem hanc, illustrarunt, gloriaturque Posonium MOLLERO, RAYGERO, WINDISCHIO, HERMANNO, Eperiesinum PATERSONIO, RAYMANNO, Leutchonia SPILENBERGERIS, Kesmarkinum FISCHERO, aliæ aliis: nostra tamen, præsente seculo, reliquas omnes tali fœcunditate superasse videtur. Hæc enim, nostra quidem memoria, ut *Andream* LOEWIUM, meritis in patriam Illustrem, prætercam, qui superius clausit, hoc inchoavit seculum, orbi medico peperit, aut potius ex cineribus suscitatos, restituit, & *Diodorum* in *Joanne Adamo* GENSELIO, iterum mortuum, & NILEUM, cui nunc exsequias imus, & *Apollophanem*, cum *Joanne Jacobo* NEUHOLDIO, sepultum, & *Pittalum*, in *Carolo Friderico* LOEWIO, supra laudati filio, adhuc viventem ac florentem, quorum quisque, pro ingenii felicitate, atque industria sua, id studiose dedit operam, ut, quam induerat, personam, cum dignitate tueretur. Nec minori gloriæ cedit urbi nostræ, quod, in hac benigna divinorum ingeniorum matre ac nutrice, exteri principes nanciscantur deligantque sibi, tum archiatros tum consiliarios. Nam, ut in mortui laudibus persistam, silentioque prætercam viventes, & NILEO *Semproniano* id honoris obtigerat, quem, serenissimi Princeps nominis, Brandeburgo-Byrutinus, FRIDERICUS, scriptis perbenigne litteris, sua sponte, in tuenda valetudine moderandisque aulæ negotiis, uti consuevit.

Ex his omnibus proclive est colligere, quæ viri fuerit non tantum, de qua hactenus, scientia, sed etiam, quod alterum boni medici

medici eſt, in curandis ægrotis prudentia. Illa docet ac dirigit, hæc autem confirmat, perficit, conſummatumque reddit artis ſalutaris poſſeſſorem; ſed quæ non, niſi diuturno temporis bene multi uſu, atque exercitatione comparatur. Reperies non paucos ex hoc ordine, qui & magiſtros audiverunt, in hoc doctrinæ genere præſtantes & omnia priſcæ, ac recentioris ætatis monimenta diligenter evoluerunt, noruntque multa, de cauſis, de remediis malorum, diſerte non minus, quam ſcienter, loqui: at, ubi ad ipſam rem perventum, & adplicanda eſt medicina, hic tandem, ut ajunt, aqua hæret, fallitque ſpem exitus. Non loquor de circumforaneis illis hominibus, qui, oppidatim, vicatim, ut imprudentiores auro emungant, ſuam jactitant ſcientiam, emendicata oſtendant teſtimonia, merces improbas prædicant, ſuarum ipſi laudum buccinatores. Nec mihi ſermo eſt de medicaſtris, quos *empiricos* vocant, GALENUS *amethodos*. Hos enim, quia medicos ſe jactant, & artem, quam nunquam didicerunt, audacter profitentur, quid mirum, nihil ratione agere, ac de doloribus ſaltim leniendis, maloque tegendo potius, quam radicitus tollendo, laborare, haud abſimiles medicamentis ſuis, quæ, in globulos formata, ut aloë tegatur, vel melle oblita, vel auro obducta, porriguntur? Nihil enim, ut SENECA monet, in morbis curandis periculoſius, quam intempeſtiva medicina. Etſi vero in nullo mendacio majus ſit periculum, quam in hoc, ſunt tamen, qui hominibus, tam ſubleſtæ fidei, ſalutem ſuam credere non dubitant. Ita quidem eſt, recteque AVICENNA judicat, fiduciam ac ſpem ægrotantium, ſive in medico, ſive in medicina, poſitam, ſæpenumero plus efficere, quam ipſam cum medico medicinam: verum enim vero, quam ſæpe cæcam hanc credulitatem ſua ſpes fallat, quam multos, non tam vis morbi, quam medicantium imperitia imprudentiaque morti objiciat, confirmat experientia. Sed mitto medicaſtros. De illis enim loquor, qui, cum inſignem

habeant

habeant rei medicæ notitiam, uſu tamen deſtituti, judicio adhuc carent. Hoc enim, ut ſubigatur, pareatque rationi, tempore, multaque artis exercitatione, opus eſt. Sicut enim nec eadem vis naturæ, nec eadem locorum conditio, nec idem ſemper anni tempus, perpetuis ſubjectum viciſſitudinibus, eadem victus ratio, nec eædem animorum propenſiones, vel commotiones, ſæpeque res, quæ minimi eſſe videtur momenti, maximum, ſi negligatur, poſt ſe trahit periculum: ita circumſpectos admodum, Argoque oculatiores, ad omnia, quæ morbos circumſtant, momenta, oportet eſſe medicos. Nihil hi agunt temere, nihil inconſiderate, nihil præcipitanter, nihil, dum in mora periculum vident, cunctanter. Nec ducunt ſibi ſemper religioni, ſimulando, diſſimulandove, fallere, dum pia fraude ſervare poſſint periclitantes. Neque omni morbo adhibent medicinam, quiescendoque plus interdum proficiunt, quam movendo agendoque. Didicerunt enim ex magiſtri ſui COI aphorismis, morbos eſſe, qui abſtinentia optime curantur & quiete. Hæc ut omnia probe tenebat NILEUS, & longinquo multorum annorum uſu, artem, ingeniumque ſuum, exercebat: ſic alterum hoc decus in ſe deſiderari nequaquam eſt paſſus. Dicerem plura de medica ejus prudentia, ſed cordatiorum hoc, & illorum, qui opera ejus conſiliisque utebantur, judicio relinquo. Ego manum de tabula. Vereor enim, ne quis illud mihi oggerat: Ne ſutor ultra crepidam. Maloque adductior in prædicandis ejus laudibus videri, quam effuſior. Neque hoc patitur temporis ſpatium, in ſemihoræ curriculum coactum, atque adeo exiguis temporis momentis circumſcriptum, quod ſubmonet, ut ad tertium medicorum ornamentum adcedamus: quod eo majorem Noſtro attulit commendationem, quo rarius in hujus ordinis viris reperitur.

Religionem mentis intelligio, omnis expertem ſimulationis, quam & ſenſus Dei, omnibus ab natura mortalibus inſitus, contem-

contemplationeque hujus univerſi confirmatus, & cura, tum ſuæ, tum alienæ ſalutis requirit. Naturæ enim ſacerdotes meminerunt, ſe neutiquam ſpectatores eſſe rerum otioſos, verum ejusmodi interpretes, qui & ipſi numen aliquod immortale, ubique præſens, cognoſcant metuantque, & colendum aliis demonſtrent. Ad hoc obtinendum ſatis ſuppetit ſubſidiorum. Quo enim cunque oculos convertant, ubique manifeſta præſentis Dei veſtigia reperiunt, ut nihil, in hoc vaſtiſſimo mundi theatro, tam parvum ſit, quod non communem omnium parentem ac opificem, Deum indicet, quod non infinitam ejus virtutem, ſapientiam, bonitatem ac juſtitiam arguet, quod non contemplatorem, niſi ille omnem ſenſum exuat, ſancto divini numinis metu, horroreque religioſo, corripiat. Quid? ſi nihil aliud, præter ſe intueantur, unaque humani corporis fabrica cultro ſecetur; quid dico, totius corporis? ſi auris, ſi oculi, ſi cordis, admiranda prorſus ſtructura perſpiciatur, neminem non mortalium fore, ſapientiſſimi quique judicant, qui non Deum ſentiat, his intentus, niſi quis omni & corporis & animi lumine captus videatur. Eo tamen dementiæ, in hac mundi fece, jam prolapſi ſumus, ut, quo quisque rerum naturalium artisque ſalutaris peritiorem ſe credit, hoc magis, in Deo cognoſcendo, cæcutiat, hoc minus in eo ſit religionis. Jam enim multorum religio medicorum ita refrixit, ut male prorſus audiat, & fere proverbio locum fecerit. Paucos omnino hodie reperies medicos *agapetos*, quo encomio D. PAULUS *Lucam* apud Colloſſeos commendavit, paucos *Gregorios, Baſilios, Oemeſios, Ambroſios, Theodoritos*, alios, qui, cum naturæ artisque medicæ ſcientia excellerent, ſanctiſſimi tamen fuerunt myſteriorum divinorum ac religionis Chriſtianæ, admiratores juxta, ac defenſores. AVERROEN inique de omni religione ſenſiſſe, & ritus Turcarum, ut *brutos*, Judæorum ut *pueriles*, Chriſtianorum ut *impoſſibiles*, contemtui ludibrioque habuiſſe, tantopere non miramur: quanto-

pere

pere eos, qui, dum medicos Chriſtianos ſe profitentur, nihil minus ſunt, quam Chriſtiani. Dubitari vero poteſt, utrum medici? Quodſi enim auctoritate litterarum divinorum iam nihil moventur, animadverterent ſaltem, & facerent id, quod *Pergamenus* artis hujus magiſter præcipit, cui quamvis doctrina Moſis, & Chriſti, ſorderet, non tamen omnis expers religionis, id a genuinis artis ſuæ diſcipulis requirit, ut, conſilio & ope medica, non tantum infirmitatibus corporum ſubvenire, verum mentes quoque corruptas ad ſanitatem perducere adlaborent. Qui vero hic aliis perſuadebit religionem, cui religio eſt nulla? Hic ſcilicet alios ad rectam viam, ſanamque mentem reducet, qui cœcus, qui mente captus eſt. Annon tali monitori illud, quod Græcorum proverbio tritum, PLUTARCHUS recitat, ſalſa profecto irriſione, regeretur, de medico ſcilicet, aliis ſaluberrima dante conſilia, ipſo ſcatente ulceribus? NILEUS noſter ita ſacerdotio, in regno naturæ, orbeque medicorum, fungebatur, ut ſemper ab hac cyclopica profanarum mentium opinione atque licentia non dicam abeſſet quam longiſſime, ſed totus abhorreret, religionique ſemper tribueret plurimum. De Deo, ejusque revelatis per Chriſtum myſteriis, non modo recte ſenſit, ſed coluit quoque ſancte ac reverenter numen ejus, idemque ut facerent alii, verbis non magis, quam exemplo ſuo, commonefecit. Numquam ſine religione animi ad conſilia, egentibus danda, deſcendit, numquam acceſſit gravius decumbentes, quin preces ad Deum, quin medicinam animæ, quin curam ſalutis æternæ, omnibus anteponendam humanis ſubſidiis, ſerio commendaret. Sicut autem nihil potius, nihil prius antiquiusque habuit, quam venerari Deum immortalem, ſine fuco, atque oſtentatione: ſic in vita communi nihil injuſte, nihil avare incontinenter faciebat. Omnis enim vitæ inſtitutio apud eum ſic comparata, ut noceret nemini, prodeſſet, quoad poterat, omnibus. Nihil agebat arroganter, animo

plane non elatus: nemini opem, nemini consilium, arcessitus, negabat: quibus non potuit coram, in absentia opem tulit: numquam interdiu sic occupatus, numquam noctu sic deditus quieti, quin laborantibus, sine tergiuersatione, succurreret: in partem consiliorum, ubi desperata salus videbatur, & alios admittebat libenter, &, vocatus ab aliis, alacriter veniebat: etsi doloribus pedum identidem exerceretur, molestias tamen in adeundis sublevandisque egentibus, non detrectabat: defatigationes suas, non suo commodo, sed aliorum salute necessitateque metiebatur: valetudinem alienam, ut suam, curabat: sobrietatem, fidem, diligentiam, nemo unquam in eo desideravit: obtractationes malevolorum, malignitatemque mordacium linguarum, patienti tulit animo, ipse ab omni, obtrectandi, calumniandi, altercandi, libidine quam alienissimus: nemini molestus, acceptus omnibus, amicis jucundus, æquus collegis: in templo visus semper, in convivio raro, in alea nunquam. Hanc autem vitæ morumque innocentiam, ex non simulata mentis religione profectam, constanter, usque ad extremum spiritum, tenuit.

Unum est, quod optimus quisque in eo desiderat. Ut enim ad persequendum vitæ curriculum redeamus, cum longiore annorum serie dignus videretur omnibus, intractabilis morbi vi ac diuturnitate accidit, ut, annum ætatis omnino undequinquagesimum, d. III. Idus Novembres, quem natalem habuit, supergressus, consumtis omnibus corporis viribus, vitam cum morte commutaret, in aliis servandis, quam se ipso, felicior. Feliciorem enim forsitan, hac in parte, fuisse dixeris, aut GALENUM, qui, cum adolescens tenui, vel potius nulla esset valetudine, tandem, cum ætate processisset, artis suæ beneficio sic eam correxit, ut annum septuagesimum attingeret; aut ASCLEPIADEM, qui, ut artis fiducia, temerario prorsus ausu, sponsionem cum fortuna fecerat, posita, ne medicus haberetur, si secus acciderit, conditione, ita victor, nullo unquam morbo tentatus est; aut HIPPOCRATEM, qui,

quod

quod tantum cibi ac potionis adhiberet, ut reficerentur, non opprimerentur vires, exercitationibus modicis uteretur, modumque in omnibus rebus, ut ipſe gloriabatur, teneret, annum quartum ſupra centeſimum ſuperavit. At ſapientes felicitatem non annorum numero, verum vitæ bene actæ laude ac glor.a metiuntur. Non enim quam diu, ſed quam bene, rectiſſimo SENECÆ judicio, refert. Nec vero, ut annos habeas, aut recte valeas, id ſemper, vel in arte medendi, vel moderata victus ratione, poſitum. Neque NILEUS non habuit valetudinis rationem. Nobis vero ille præmatura morte obiit, non ſibi. Parum omnino vixit matri, cum qua nunquam in gratiam rediit: parum uxori, cum qua annos XXV. ſine querela tranſegit: parum amori, illisque ſuis deliciis duabus, quas reliquit, filiabus: parum cognatis, adfinibus, amicis, civibus, ſortis præſertim tenuioris, quibus opera ejus ſemper expedita, nunquam mercenaria, fuit. Si quid autem felicitatis in mortis genere ponendum, multos ille medicorum principes, exitu vitæ placido, etiam ſuperavit, Nec enim fulmine percuſſus periit, ut fertur de ÆSCULAPIO: nec ſcalarum lapſu exanimatus, ut ASCLEPIADES: nec præpoſtera victus ratione, atque inſcientia utendi medicina, mortem ſibi acceleravit, ut AVICENNA, neque, fluctuans animo, incertusque ſalutis mortem conſecuturæ, impiam efflavit animam, ut Cordubenſis ille ſacrorum fideique Chriſti contemtor, AVERROES, qui, ubi morti ſe vicinum ſenſit, inter fluctus dubitationum, hanc in naufragio adripuit tabulam, omnis ſolatii expertem, ut mortem ſibi philoſophorum, aut, quod verius, hominum perditorum, deligeret. Medicus noſter, in vita non magis, quam morte, ut ſapientior, ita beatior fuit. Dudum ille mente, ſuæ infirmitatis morbique pertinacis, conſcia percepit, multoque ante ſuis prædixit, brevi futurum, ut ex hac fragili & adflicta gravius corporis compage, cœlo reddatur. Hac ille ſpe vitæ melioris, & ſe, proſtratis viribus enervatum, & ſuos, deſiderio ſui tantum non contabeſcentes, continenter recreabat, quo pro-

pior morti, hoc, ad excipiendum fatalis horæ telum, paratior, hoc liberationis cupidior, hoc in Deum religioſior. Sic, accepto, paucis ante diebus, pretioſo illo gratiæ divinæ, Chriſti merito nobis reconciliatæ, pignore, tamquam viatico, pridie Calendas Decembres, inter ardentiſſimas ſuorum comprecationes & lacrymas, adſtante ſibi, ſe conſecrante, & formulas precum pias recitante, ſalutaris religionis ſacerdote, ſine ulla mentis colliſione, eo, quo diu cogitabat, quam placidiſſime emigravit.


Quod reliquum eſt, agite jam mœſtiſſimi exſequiarum comites, ceterique Auditores, omnium ordinum ſpectatiſſimi, diſcite ex medico veſtro, qui tam ſcienter, tam prudenter, tam ſancte ſacerdotio ſuo præfuit, ſalutarem illam bene vivendi ac moriendi artem. Longa ea eſt, neque perdiſcendæ omnis vita hominis, vel Neſtorea, ſufficit. Tribus tamen verbis, a CÆSARIO, Arelatenſium quondam præſule, comprehenſam, accipite. In omni vita cogitandum vobis de medico, de ægroto, de morbo. Ecquis ille ſervator? Deus eſt: quis, qui periclitatur? omnis homo: quid morbi? quid periculi in homine? noxa illa, quæ, niſi in tempore, pœnitentia, & Chriſti fide expietur, pœnitentiam poſt ſe trahit ſempiternam

ILICET.





Fig. 2.
ad Obſervat. VIII
pag. 40
Volum. VII. Actor. Acad.
N. C.
TAB. I



Fig. 1.
ad Obſervat VII pag. 36


ad Obſervat. X.
p. 42
Fig. 4
b
b
c
d



ad Obſervat. IX
p. 41
Fig 3.





J. G. Schmidt sc. Br.



Volum. VII. Act. Acad. N. C. Tab. III.
ad Observ. LII. pag. 158. sqq.
Fig. 1.
ad Observ. LI. pag. 145. sqq.
Fig. 2
Fig. 3
Fig. 4. pag. 181.
ad Observ. LV. pag. 181.
Fig 5.
ad Observ. LV pag. 182.
Fig. 6.


ad Observ. LI.
pag. 154 sqq.
Fig. 1
A
N
L
R
T
P
F
H
B
D
S
G
O
E
C


Fig. 3. Volum VII. Act N.C. Tab IV
ad Obs. LIII
pag. 168.
F
E
D
L
A
I
K
B
M
O
S
G H
C
Fig 6
ad Obs LIII
pag 172 sq.
K
L
E
H
D
C
G
I
O
F
A
X
B


ad Obs. LIII p. 167.
Fig. 2.
F
R
A
D
S
E
r
d
e
P
K
n
o
l
m
Q
c
B





Fig. 2.
ad Obs. LIII.
p. 170.
G
A
K
N
H
B
L
O
P
M
C
I
Q
E
F


Fig. 1.
ad Obsers. IV. p. 181.


Fig. 3.
ad Obs. LIII.
pag. 175. sq.
A
Q
P
S
B
T
R
V
C
D
H
L
M
E
K
I
N



Fig 4
ad Obsers. LIII.
p. 177.
K
G
B
H
O
F
C
D
R
A
E
S

PIPERODENDRUM.



Tab VII ad Observ. p. 276.

PIPERODENDRVM FLORENS.


fig. 3.



fig. 2.

Fig: 1.




Fig. 3.
ad Observ.
XCII. p. 396
A
F
R
M
QNIK
L
E
O
B
S
C
V
G
T
P
X


Fig. 1
ad Observ. LXXXIV.
p. 283.


Fig. 2.


Fig. 4.
ad Observ.
LXXXVIII
p. 295.



Fig. 5.
ad Observ. XCIV. p. 342.




Fig. 1. ad Obſerv. CII p. 363.




Fig. 3.


Fig. 2.





a
Fig. 6 ad Obſer XCVII p. 331.
b

Fig. 4.
e
d
d
i
C
D
ad Obſervat. XCVI. p. 346
g
c
c
c
a
c
c
c
c
c
B
A
f
h
h




Fig. 7.
ad Obſerv. XCV. p. 343
Fig. 8.


Fig. 5. p. 346.
h
A
c
C
d
h
g
g
e
B
c
c
c
D
d





Append. Volum VII. Act. N.C.


TAB. I.






















Append. Volum. VII Act. N. C.

TAB. II.








Fig 2. pag. 74.





